BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
3 I
8

VI 05

ISIDORI CLARII

EPISCOPI FVLGINATIS

In ſermonem Domini in monte habitum
Secundum Matthæum.

Orationes ſexagintanouem ad Populum.

In quibus, præcipuè Dominicam orationem accuratè admodum exponit: Fulginenſem Clerum inſtituit: ac peruerſas prædeſtinantium opiniones, redarguit.

Nunc primum in lucem editæ.

CVM PRIVILEGIO.

B.IV.13

VENETIIS, Apud Dominicum Nicolinum.
M D LXVI.

Pertinet ad Bibliothecam S. Fran.ci de Urbe ... mento ... Ill.mi et R.mi D. Ascanii Ricualdi ...

IOANNI DELPHINO
EPISCOPO TORCELLANO.
Benedictus Guidius Monachus Caſinàs
S. D.

EA fuit ſemper Patrum Caſinenſis Familiæ ad hæc fermè tempora mens IOANNES DELPHINE *Antiſtes ampliſſime, vt probè noſti, vel vt ita dicam, ingeniorum quædam veluti nox, herculea illa longè prolixior, in edendis noſtrorum hominum ingenij monumentis, vt nullis virorum illuſtrium precibus flecti, nullis rationibus adduci vnquam potuerint, vt quæ illi, magna alioqui omnium noſtrum cum laude, & Chriſtianæ reipublicæ, vtilitate iampridem conſcripſerant, ea in lucem vnquam emitti; aut publicari paterentur. ſi ſecus feciſſent, atrociſſimis eos exilijs & carceribus, longè ipſa morte grauioribus, peſſimè aliquando multabant. hinc, plures ob ſingularem & egregiam doctrinam, honeſto apud nos loco aliquandò conſtituti, repentè velut turbine quodam, deiecti: plures, quòd eruditis ſuis lucubrationibus editis, aliquantulum famæ ac nominis apud exteros homines eſſent conſecuti, in vltimas propemodum terras relegati, doctrinæ atque eruditionis ſuæ pœnas dabant. quo factum eſt, vt vel nulla, vel omnino perpauca noſtrorum hominum ſcripta, ad hanc diem edita, in publicum prodierint. metu ne id ac ingenuo*

quodam pudore necne, haud facilè dixerim, tuum & alio=
rum ſit iudicium. id certè conſtat, quamplurimos quos præ
claris ſuis lucubrationibus Chriſtianam Remp. iuuare po=
tuiſſe exiſtimandum eſt, eas vt id crimen euitarent, aut
igne deleuiſſe, aut ſcribendi ratione intermiſſa, non ſine ma
gna noſtrorum temporum iactura, longè aliam ſtudiorum
rationem, ſecutos eſſe.. quæ omnia tu, quæ tua prudentia
eſt, Antiſtes ampliſſime longè melius noſti, quam à me
hoc loco altius commemorari neceſſe ſit. ISIDORI quidem
noſtri tam etſi Epiſcopi Fulginatis ac doctiſſimi hominis
ſcripta, tantum abeſt vt ab hoc periculo aliquandò vaca=
rint, vt credendum ſit, quod niſi ANDREAE Tampuri
Apulani præſidis noſtri cura ſtudiumque acceſſiſſet, eo
proculdubio quo tot antea præclara noſtrorum hominũ ſcri
pta, ſupremo ſuo quodam quaſi fato, concidiſſent. Sed cum
ille præclaro, & diuino præditus ingenio diù multumq; in
literis verſatus ſit, multaque Chriſtianæ reipublicæ orna=
menta literarum monumentis contineri perſpexerit, ea ille
præclarè vt reliqua omnia, & ex antiquis auctoribus in
lucem luculentis noſtrorum hominũ editis verſionibus co=
natur aſſerere, & noſtros ipſos homines, ad ſcribendum ali
quid quotidie hortatur atq; impellit. mirum igitur, quàm
ingens hoc toto decennio, vel vnius ipſius maximè ſtudio,
ex publicatis præclaris lucubrationibus Monachorum no=
ſtrorum, Congregationi Caſinenſi dignationis ac nominis
acceſſio, facta ſit. Hoc certè tempore, optimi hi Patres no
ſtri, quorum ſingulari curæ ſtudioq;, nos noſtraq; omnia
iam=

iampridem tradita ac commiſſa unt, illius hortatu, & de vetere illa atq; aſpera nimium ſeueritate in edendis Monachorum ſcriptis plurimum remiſerunt: &, quos veteres illi patres noſtri, pridem, vel ob id, quod literarum ſtudia ſectantes inani gloriæ ſtudere viderentur, fortaſſe minus probabant: hi nunc ſaniori iudicio, quantum in ipſis eſt omnibus certatim honoribus proſequuntur. Itaq; cum ob quãplurima in nos collata beneficia ingentes Deo opt. max. gratias habere debemus; tum vel ob id præcipue nos ei vehementer debere exiſtimandum eſt; quod ea nos ætate naſci, atq; hac Monaſticæ Diui BENEDICTI *vitæ conditione, his ſeptis, hoc præſertim tempore voluerit contineri; quo ſcilicet, vt ſapientes olim viri cupiuerunt, vel Præſides philoſopharentur, vel præeſſent philoſophantes. vtrũ eſſet futurum, vt homines ex virtute penderent: quod ſi vllũ vnquam tempus fuit cum rationes & cogitationes noſtras omnes non in vanis illis inanibusq; antiquorum Philoſophorum placitis, ſed in veræ vnius omnium Chriſtianæ philoſophiæ dogmatibus conſtitueremus, tũ profectò cæpit eſſe, cũ primum* ANDREAS *Pampurus noſter, &* MAVRVS *Vercellius, &* EGNATIVS *Meleatius, necnon* BAPTISTA *Tartaleonius, &* PLACIDVS *Aſulanus, qui præſes nobis diuinitus proximis comitiis datus eſt, præſidere cæperunt. Quorũ ego hortatu ſuperiore anno, cũ huius* ISIDORI *orationũ in D.* LVCAM *volumẽ emiſerim, eidemq;* ANDREAE *Pãpuro, cui omnia poſt Deum Opt. Max. debeo, editionem dicauerim, operæpretium me atq; eidem rẽ*

admo=

admodum gratã facturum exiſtimaui,(cum idem Pampu rus tui præcipuè ſtudioſiſsimus, qui non modo teſtis,uerum etiam ſtudij, & obſeruantiæ auctor in te meæ fuit ad id me vehementer impulerit) ſi nunc hæ in ſermonem Domini in monte habitum orationes, ex ſacra Matthæi Euangeliſtæ hiſtoria, ſub tui vnius potiſsimum ANTISTES *optime, ſacri nominis tutela ederentur. nanque vt omittam quod* ISIDORI *Antiſtitis optimi orationes,ad te optimum Antiſtitem mittuntur: tu,* ISIDORI *vitam, ac cum ea morum ſanctitatem, atq; doctrinam, ita imitaris, ita aſſecutus es,vt qui vnum è vobis norit,ambos nouerit: nulliq; magis* ISIDORI *orationes, & conciones conueniunt, quam tibi, qui non ſecus atq; ille, gregem tuum, & curare optime ſoles, & paſcere. Itaq; facit, vel noſtra vetus in te, ac Delphinam nobiliſsimam gentem tuam, quæ nobis tecum iam inde ab* AMBROSIO *Ferrario Mediolanenſe eruditiſsimo viro Abbate Diui* BENIGNI *apud Genuenſes, tui amantiſsimo homine intercedit beneuolentia atque obſeruantia, atq; officiorum tuorum in nos ingens numerus, vel ſacræ iſtius doctrinæ tuæ ſplendor egregius, vel vtrunque ſimul, vt te orandum putem, uti,quas tibi nunc damus orationes, eo accipias animo, quo te* ISIDORI *Antiſtitis optimi, qui ex illorum Monachorũ cætu prodijt,qui tibi omnium longè deditiſsimi ſunt, ſcripta ſuſcepturum confidimus.Sunt enim eiuſmodi, vt legentibus non prodeſſe modo, quod mirum eſt, ſed etiam delectare lectorem poſsint. nam nouem ſupra ſexaginta*

oratio-

orationibus dum eum ſermonem exponit, quo CHRISTVS *Dominus ex ſacra* MATTHAEI *Euangeliſtæ hiſtoria, diſcipulos ſuos, in monte allocutus eſt, cuncta ferè Chriſtianæ vitæ præcepta traduntur; & præclara quædam nobis animi excolendi ratio oſtenditur. in quibus, dum orationem Dominicam, concionibus nouem, vberrimè explicat, & enucleatè pertractat, quàm argutè bone Deus, quàm eleganter, omnem chriſtianam philoſophiam complexus eſt: ea porrò æloquentiæ laude, ac quibuſdam quaſi floribus, vt rudes auditorum animos oblectaret, ac deliniret, exornauit, nihil vt ingenij luminibus ijs, quæ in eis plurima elucēt, nihil, vt præclara effigie eius pietatis ac religionis erga ſummum Deum, quæ in illis mirificè expreſſa eſt, fieri poßit illuſtrius. Synodalibus porrò ſeptem orationibus, vel potius concionibus, ad clerum Fulginenſem, quibus ille velut alter* PAVLVS, *nunc arguendo, nunc obſecrando, atq; increpando, in omni patientia, & doctrina ſacerdotes ſuos eleganter inſtituit, mirum dictu, quàm præclaras in iis leges indixerit. Quid dicam, de pulcherrimis illis tribus orationibus, quibus acerrimè in eos inuectus qui peßime de Deo, deq́ Chriſtiana religione ſentiunt, accuratè eorum potißimum errata confutantur, qui de prædeſtinatione ætate noſtra inconditis ſermonibus, ac libris perniciosè conſcriptis, omnia referſerunt? nimius in hac parte ſim, ſi omnia ſigillatim perſequi voluero. tales certè omnes* ISIDORI *noſtri orationes, & conciones ſunt, vt ad rectè formandos, atq; oblectandos legentium animos mirificè conferant.*

rant . enarrat quos ſumit Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores ISIDORVS *præclarè & ſuauiter : elocutione autem emendata & leni quum proponit : acri & concitata cum infringit : porrò quum diffinit aliquid atq; decernit, adeò graui ſedataq́, Vt nec melius quid, nec magis eruditum Chriſtianus lector in iis deſiderare quicquam poßit. itaq; ne* ISIDORI *noſtri, elogium alicui texere videar, quem ſatis centum anniuerſarijs laudationibus funebri pompa dictis, laudari poſſe non credam, iam miſſa hæc faciam, atq; ad te vnum, optime ac ſapientißime Antiſtes me totum conuertam: qui & optimus Antiſtes es; &, quam alij ſcientiam commißi ſibi gregis ritè paſcendi, veterum optimorum, ac ſanctißimorum epiſcoporum vitas perlegendo conſequuntur, eam tu, in te ipſo cumulatè ex ſacris fontibus pridem hauſtã, optimè exprimis. Qui à Pio IIII. Pontifice maximo, ſuperioribus annis Epiſcopus Torcellanus factus, præclarum omniũ virtutum ſpecimẽ dediſti. Simulac enim ad epiſcopatũ vocatus es, Tridentum vbi ſacra illa quingentorum amplius patrum Synodus celebrabatur, accurriſti: breuiq́ tẽporis ſpatio, doctrina tua ſanctißimis illis patribus vehementer probata, tantum tibi nominis ac gloriæ comparaſti, vt* DELPHINAE *nobilißimæ gẽti tuæ multis quidem nominibus illuſtri antea, vel vnius potißimum* IOANNIS DELPHINI *fortißimi Reip. Venetæ principis, qui ab* LVDOVICI *Hungariæ Regis impetu patriæ tuæ* TARVISIVM *conſtanter defendit, nouum iſtud reconditæ doctrinæ ac ſanctitatis incrementum adieceris, mox peracta Tridentina*

Synodo,

Synodo, ad Eccleſiam tuam quamprimum reuerſus, Epiſcopium tuum nimia iam vetuſtate collapſum, reſtituiſti, & præclarum ſubindè opus erexiſti. mox, quia id non ſatis fore videbatur, niſi plebis tuæ etiam curam ſuſciperes, atq; ouium tibi commiſſarum (ſiqui fortè laterent) morbos quaſi bonus paſtor agnoſceres, non tam quia aliena libenter inquiras, quàm ut laborantibus ſalubri remedio ſubuenire poſſis, eas leges promulgaſti, quibus omnem Diæceſim tuam, ſed præcipuè Sacras Virgines ad antiquũ, hoc eſt optimum vitæ inſtitutum, à quo pridem diuerterant, facilè reuocares. quo factum eſt, vt meritò te non Veneta modo omnis Reſp. atq; vniuerſa hæc ciuitas, in qua è præclaro genere natus, & ſanctiſſimè educatus es, charum maximè ac iucundum habeant, ſed omnis Italia, vrbs ipſa Roma, et Romana Curia, in qua decennium, & amplius, quaſi pulcherrima quadam luce, & chriſtiani orbis Theatro omnium celeberrimo vixiſti, quæ te amorem, ac delitias bonorum omnium appellat, ampliſſimos tibi ſubindè honores polliceatur, ac deferat. quibus honoribus tu ſeu pollicitationibus potius, neq; commoueris quicquam, neq; efferri te propterea vnquam ſinis. Omnes in te ſemper in omni fortuna æquitatem quandam animi ſingularem, ac moderationem admirantur. Tu quidem, & ſi te multi ſtudioſè colunt, vel ob nobiliſſimæ DELPHINÆ *familiæ tuæ ſplẽdorem, vel ob clariſſimi viri* ANDREAE *patris tui, vel* DANIELIS*, qui ſuperioribus annis vita functus eſt, patrui decus, vel ob ingentes opes, & ampliſſimas fortunas, ipſe*

B tamen,

tamen, qui ſemper fuiſti, idem omnibus es. nemo excluditur ſermone tuo: nemo congreſſu. tui omnibus, quod temporis tibi reliquum eſt à ſtudijs, copiam facis: & neq; tui tantum, ſed domus, ſed muſæi tui, omnium librorũ, iomnibus totius antiquitatis monumẽtis, optimè referti pretioſa ſupellectile, ſed fortunarum omnium, et ſi quæ tibi omnibus fortunis cariora eſſe poſſunt. eo quidem inſigniore tua cum laude, quod domus tua, non eruditis tãtum hominibus, quorum magnũ numerum quotidie alis, ſed pauperibus, pupillis, viduis, & ſacris virginibus (quorum ſemper calamitatibus præſto es) aſſiduè pateat. ſequitur inſolentia fortunã; comes eſt, rerum ſecundarum arrogantia; tu tamen eandem manſuetudinem amas: tu eandem continentiã: tu eandem benignitatem, quæ in te ſemper fuerunt, retines, retinebisq; in omnẽ vitam, ſtudioſiſſimè. Quamobrem ISIDORI *noſtri orationes has quas tibi nunc damus, eo nomine accipies* ANTISTES *amplißime, vt nõ à Benedicto Guidio tui ſtudioſiſſimo, ſed ab* ANDREA *Pampuro Abbate noſtro, atq;* AMBROSIO *Ferrario, hominibus qui te amant egregiè, plurimiq; faciũt, profecta eſſe intelligas. Vale.*

Venetijs. V. Id. Maij. MDLXVI. *Ex Cœnobio Diui Georgij Maioris, cognomento.*

CHRISTIANO LECTORI

Benedictus Guidius. S.

HABES hucuſq; humaniſſimè Lector à nobis Iſidori Fulginenſis Epiſcopi, orationes in Lucam quatuor ſupra quinquaginta, iampridem in lucem æditas. quibus nunc ad Populum in ſermonem Domini in Monte habitum ex Matthęi Euangelio, ſexagintanouem orationes, quemadmodum ſuperiore Anno nos tibi priore illa editione daturos polliciti ſumus, amanter adiecimus.

Extraordinariæ verò Orationes. CVI.
In Tridentino Concilio ſub Paulo III. Pont. max. VI.
De modo diuitijs adhibendo. I.
Ad eos qui à communi Eccleſiæ concordia diſceſſerunt. I.
Carminaq; Chriſtianæ pietatis atque elegantiæ floſculis diſtincta quamplurima,
à nobis in lucem propediem dabuntur.

Te modo, Lector humaniſſime, quæ tua eſt in Iſidorum vita functum pietas, rogamus ſi quod eorum quæ ſupra memorauimus, aut eiuſmodi aliud ab eodem Iſidoro conſcriptum, quod nos lateat penes te habueris, ad nos perferendum quam primum cures. quum enim eorum quæ diximus pauca quædam in lituris adhuc ſint, ac nonnullis locis mutila, vel ob id in vnum quampluribus collatis manuſcriptis exemplis conferre optamus, quo integra magis atq; emendatiora omnia è tenebris in lucem ad communem ſtudioſorum vtilitatem, prodire poſſint. quam ob rem tuæ quidem, quantum in te eſt opis nobis hac in re amanter preſta: nos interim tibi, vt debemus à Deo opt. max. conceptis votis precabimur, vt cum præclarum aliquid ipſe quoq; conſcripſeris, quod æditione maxime dignum ſit, cœptis tuis fortuna itidem fauere non deſit.

Vale, & nos ama.

ORATIONVM ISIDORI CLARII

In ſermonem Domini, in monte habitum ſecundum Matthæum Index.

PVlchrum ſanè eſſet. Oratio I. folio.1.a
Ortatur populum vt ſe præparet ad audiendam Euangelicam philoſophiam.

Videor mihi. Oratio II. 4.a
Initiũ interpretationis quinti Capitis Matthæi, quòd quæq; præclara in monte facta ſint.

Beati pauperes ſpiritu. Oratio III. 8.a
De beatitudine paupertatis.

Repetendum eſt eadem mihi. Oratio IIII. 11.b
Eiuſdem ſententiæ.

Reliquias huius admirandæ. Oratio V. 13.b
Eiuſdem ſententiæ.

Quod heri faciendum erat. Oratio VI. 17.a
De natiuitate Domini Ieſu.

Quæ ratio effecit. Oratio VII. 20.b
De Epiphania Domini.

Quod iter agentibus. Oratio VIII. 24.b
De beatitudine luctus.

Oportuit ſanè. Oratio VIIII. 25.a
De beatitudine mitium.

Beati qui eſuriunt. Oratio X. 33.b
De beatitudine eſurientium, & ſitientium iuſtitiam.

Et ſi ſentiebam. Oratio XI. 37.b
De beatitudine miſericordium.

Superiore Oratione. Oratio XII. 42.b
De miſericordia, quæ ſpiritu fit, & de munditia cordis.

Quæ

Quæ res in homine. Oratio XIII. 47.a
Eiuſdem ſententiæ.
Cogitanti mihi. Oratio XIIII. 50.a
In illud Deuteronomij XV. Attende tibi.
Heſterna nobis Oratione. Oratio XV. 53.a
De dignitate hominis.
Quod ſuperioribus diebus. Oratio XVI. 58.a
De pace.
Chriſtianæ philoſophiæ facultas. Oratio XVII. 64.a
De patientia in perſecutionibus.
Ego hodie in hunc. Oratio XVIII. 68.b
Inſtruit populum quo pacto ſe cuſtodiri debeat, dum abſens erit, viſendi Diœceſeos gratia.
Paulus Apoſtolus. Oratio XIX. 72.b
Reuerſus à viſitatione admonet populum, vt amoris vicem ſibi rependat, caueat à Diabolo, & Deo fidat.
IESVS Chriſtus filius Dei. Oratio XX. 76.b
Septem beatitudines compendiò declarat.
Diximus hunc Domini. Oratio XXI. 80.b
Docet quales eſſe debeant ij quibus animarum cura eſt credita.
Dum cogito. Oratio XXII. 84.b
Eiuſdem ſententiæ.
Non poteſt ciuitas abſcondi. Oratio XXIII. 88.b
Docet quo pacto glorificetur Deus.
Nolite putare. Oratio XXIIII. 92.a
Quòd Chriſtus venerit adimplere, & non ſoluere legem aut prophetas.
Ex ijs quæ ad populum. Oratio XXV. 95.b
Oratio ſynodalis, qua clerum ſuum reformat.
Memini me ſuperioribus menſibus. Oratio XXVI. 97.b
Eiuſdem ſententiæ.
Cum generale Concilium. Oratio XXVII. 102.b

Eiuſdem ſententiæ; continens capita reformationis.
Facilè mihi ſuperiore anno. Oratio xxviii. 106.b
Eiuſdem ſententiæ.
Oportere quidem ſingulis annis. Oratio xxix. 111.b
Eiuſdem ſententiæ.
Neſcio quod dicendi initium. Oratio xxx. 116.b
Eiuſdem ſententiæ.
Synodus, quam ſuperiore. Oratio xxxi. 122.b
Epilogus conſtitutionum, & admonitionum ad emendandos cleri, & populi mores.
Dico enim vobis. Oratio xxxii. 125.b
Scribarum, & Phariſæorum errores redarguit, faciendiq́; & docendi modum indicat.
Hodierna concio. Oratio xxxiii. 129.b
Eiuſdem ſententiæ; redarguit eos, qui linguam cohibere, nolunt, & qui auaritiæ ſtudent.
Si ergo offers munus. Oratio xxxiiii. 132.b
De reconciliatione: arguit eos, qui nutriunt ſimultates cum proximo.
Habeto beneuolentiam. Oratio xxxv. 135.a
De beneuolentia.
Audiſtis quod dictum fuerit. Oratio xxxvi. 139.b
Inuehitur in adulterium, & fornicationem.
Qui aſpexerit vxorem. Oratio xxxvii. 143.b
Eiuſdem ſententiæ; & admonet vt cohibeamus ſenſus, & luxus in veſtimentis.
Reliqua erat Euang. verborum. Oratio xxxviii. 147.b
De eleemoſina.
Nollem ego. Oratio xxxix. 151.b
De matrimonio.
Rurſum audiſtis. Oratio xl. 156.a
De iuramento.
Audiſtis quod dictum fuerit. Oratio xli. 160.b

Admonet ne malum pro malo reddamus, & inuehitur in auaritiam.
Audiſtis, quod dictum ſit. Oratio XLII. 164.a
Inuehitur in ſcribas, & adulterinos interpretes legis, admonetq; vt inimicos diligamus.
Superioris orationis. Oratio XLIII. 165.b
Interpretatio capitis tertijdecimi primæ ad Corinthios, De charitate.
Illud in Euangelico. Oratio XLIIII. 174.b
Habita, cum diſcedendũ ei fuit viſendæ diœceſeos gratia, & queritur quod à nullo deſeruntur peierantes.
Spero ex mea hac bimeſtri. Oratio XLV. 176.b
Epilogus eorum, quæ dicta ſunt.
Attendite ne iuſtitiam. Oratio XLVI. 178.b
De eleemoſyna.
Orantes autem nolite. Oratio XLVII. 183.b
Docet quo pacto debeamus orare, arguitq; eos, qui ob multitudinem verborum ſperant ſe exaudiri à Deo.
Aggreſſus hodie. Oratio XLVIII. 187.a
Interpretationem orationis Dominicæ, aggreditur.
Pater noſter. Oratio XLIX. 193.a
Eandem interpretationem ſequitur.
Non difficile quidem. Oratio L. 197.a
Eandem interpretationem ſequitur.
Fiat voluntas tua. Oratio LI. 200.b
Eandem interpretationem ſequitur.
Panem noſtrum. Oratio LII. 204.b
Eandem interpretationem ſequitur.
Et remitte nobis. Oratio LIII. 208.a
Eandem interpretationem ſequitur.
Et ne nos inducas. Oratio LIIII. 212.a
Eandem interpretationem ſequitur.
Sed libera nos. Oratio LV. 216.b
(Pater noſter … Sed libera nos:) In Orationem Dominicam.

Nollem

Nollem ego meos. Oratio LVI. 223.a
Interpretationis orationis Dominicæ epilogus.
Cum verò ieiunatis. Oratio LVII. 226.a
Docet quo animo ſit ieiunandum.
Nemo poteſt duobus dominis. Oratio LVIII. 233.a
De inſatiabili habendi cupiditate.
Cum hodierna dies parandis. Oratio LIX. 240.a
De eleemoſyna.
Nolite iudicare. Oratio LX. 242.a
De iudicio,& condemnatione temeraria.
Ne detis ſanctum canibus. Oratio LXI. 245.a
De vtilitate,& dignitate Chriſtianorum dogmatum.
Petite,& dabitur vobis. Oratio LXII. 249.a
De beneficentia Dei.
Omnia igitur,quæcunq;. Oratio LXIII. 252.
De diligendis proximis.
Intrate per anguſtam portam. Oratio LXIIII. 255.b
Docet viam,quæ ducit ad vitam. & admonet in quãto periculo verſentur qui vitam ſibi pollicentur.
Neſcio quantum vos. Oratio LXV. 259.b
Pſeudo Apoſtolorum doctrinas redarguit.
Exiguo mihi paſtori. Oratio LXVI. 264.a
De prædeſtinatione.
Antequam reliqua. Oratio LXVII. 276.b
Eiuſdem ſententiæ. Arguit prædeſtinantium errores.
Ea quæ de prædiſtinatione. Oratio LXVIII. 282.a
Eiuſdem ſententiæ.
Omnis arbor. Oratio LXIX. 289.b
Admonet ſalutem Chriſtiani hominis, in factis, non in verbis eſſe collocandam.

FINIS.

ISIDORI CLARII EPISCOPI FVLGINATIS, IN SERMONEM DOMINI, IN MONTE HABITVM, SECVNDVM MATTHAEVM.

Oratio Prima.

PVLCHRVM ſanè eſſet, ac hominum generi maximè ſalutare, ſi innumera Dei erga nos beneficia accuratius, quàm fieri à nobis conſueuit, & gratiori animo recogitaremus. duo enim in primis bona inde proficiſcerentur, vnum, quòd in illa cogitatione ingrati notam fugientes, maiora etiam (nam hic eſt incomprehenſæ Diuinæ bonitatis mos) aſſequeremur. alterum, quòd in amorem Dei vehementius inflammaremur, quod cum adepti fuiſſemus, tunc demum eſſemus beati. In hanc autem cogitationem veni ob ea, quę nunc dicturus ſum. cum enim Deus in omnibus, quæ tum ad corpus, tum ad animum pertinent, fuerit erga nos liberaliſsimus, videte tamen, vt, in ea parte, quæ potior eſt, fuerit multò liberalior. cuius rei vnum, quod hodie ad rem noſtram pertinet, exemplum proponam. Multò facilior eſt curandi ægroti animi ratio, ſi ægrotans velit, quàm corporis. primum enim ab vno medico (quemadmodum medicę artis periti volunt) multi curari non poſſunt. deinde fieri poteſt, vt curari quidem ægrotus velit, ſed non queat medici opera vti, cum ob inopiam non habeat, vnde illum conducat. interdum omnino copiam medici non habet. vel, ſi habet, non ſatis peritus eſt medicus, vt morbi cauſas ac remedia agnoſcat. vel certè morbi magnitudo ea eſt, vt medici artem ſuperet. nam rectè quidam poëta dixit.

Non eſt in medico ſemper, releuetur ut æger:
Interdum docta plus ualet arte malum.

at vbi ægritudo animi curanda eſt, nequaquam eiuſcemodi incidunt difficultates, ſed tantum velit quis ex animo curari, & conti-
*Pſal.*31. nuo ſanus effectus eſt. Dixi (ait propheta) confitebor aduerſum me
,, iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.
nulla præterea opus eſt pecunia, nequis excuſari ſe ob inopiam poſſit. vnus verò medicus multis hominum millibus curandis idoneus eſt. vna tantum in re circunſpectum eſſe oportet, ne in medico eligendo, qui volentibus deeſſe nunquam poteſt, quis decipiatur, né ve, dum curari poſtulat, in grauiores incidat morbos. in-
Phi. 2. ueniuntur enim plerique, qui verbum Dei (vt ait Paulus) caupo-
,, nentur, quærentes, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. in hoc ingens ſtudium adhibendum eſt, & ſelectione vtendum, cum curandorum animorum medicus quæritur, vt non ſolum ſcienter, verum etiam amanter curet, ac paterno erga laborantem affectu moueatur. cætera facillima ſunt, atque, vt dixi, modo quis ex animo velit, continuo ſanus, atque incolumis effectus eſt. non hic ingentibus opus eſt ſumptibus, non longa peregrinatione. regnum
Luc. 17. Dei intra nos eſt, ait Dominus. & de hac iuſtitia, quæ eſt ex fide, ui-
Deu. 30. dete quid in Deuteronomio ſcriptum ſit. Mandatum hoc, quod
,, ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec
,, in cœlo ſitum, ut poſſis dicere, quis noſtrum ualet in cœlum aſcen-
,, dere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atq; opere compleamus?
,, neque trans mare poſitum eſt, ut cauſeris, & dicas. quis è nobis po
,, terit transfretare mare, & illud ad nos uſq; deferre, ut poſſimus au
,, dire, & facere quod præceptum eſt? ſed iuxta te eſt ſermo ualde in
,, ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Quantò ergo facilior adipiſcendæ curationis ratio eſt, tanto magis reprehendendi illi, qui tantum Dei beneficium contemnunt, maluntq; aliena errata curioſius peruestigare, quàm ſua corrigere. qui ſi tantum ſtudium agnoſcendis ſuis uitiis, atque peccatis impenderent, quantum faciunt in alienis, breui euaderent optimi, atque perfectiſſimi. ſed nemo in ſeſe tentat deſcendere, neq; in ſe inquirere, quæ res ſingulari eſt ad progreſſus in uirtutes impedimento. Vos ergo qui hic adeſtis, in hoc incumbite, qui ſi ſtrenuè agere uolueritis, non ſolum reliqua ciuitas exemplum ueſtrum ſequetur, uerum etiam tota hæc ueſtra regio Vmbria.

Vmbria ad lucem, quam uos ueſtris rectè factis prætuleritis, accedet, ut uerè Fulginea hæc ciuitas, non ſolo nomine, ſed factis ipſis appellari poſſit. Et ſanè ut illud, quod hactenus tacui, profitear, cum ſignificatum mihi fuiſſet, me eius ciuitatis factum epiſcopũ, quę Fulginea uocaretur, hæc huius uocis appellatio ſpem mihi nõ exiguam iniecit, fore, ut non fruſtra huius nominis ciuitatem fuerim ſortitus. Et profectò id quod dixi, omnino eueniet, ſi etiam exigua ueſtrum pars hiſce initiis ſtrenuè Chriſtianæ philoſophiæ negocium amplectatur. atqui quoties magnum aliquid, atque admiratione dignum à Deo factum eſt, paucis uti Deus conſueuit, ac data opera declinare multitudinem, cuius rei unum uobis exemplum nunc proferam. Cum populus Dei ob eius peccata in hoſtium poteſtatem eſſet datus, tandemq; miſeratus Deus liberare eum uellet, populuſq; multus duce Gedeone iam conueniſſet contra hoſtes Madianitas, di-
,, xit Dominus Gedeoni. multus tecum eſt populus, nec tradetur Ma- *Iudic. 7.*
,, dian in manu eius, ne glorietur contra me Iſrael, & dicat. meis viri-
,, bus liberatus ſum. loquere ad populum, & cunctis audientibus prę-
,, dica. qui formidoloſus eſt ac timidus, reuertatur. reuerſiq; ſunt ex
,, populo uiginti duo millia uirorum. ac tantum decem millia reman-
,, ſerunt. dixitq; rurſum Dominus Gedeoni. adhuc populus multus
,, eſt. duc eos ad aquas, & ibi probatum quenque tibi oſtendam, &
,, de quo dixero tibi ut tecum uadat, ipſe pergat: quem ire prohibue-
,, ro, reuertatur. cumq; deſcendiſſet populus ad aquas, dixit Domi-
,, nus Gedeoni. qui lingua lambuerit aquas, ſicut ſolent canes lambe-
,, re, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curuatis genibus biberint, in al-
,, tera parte erunt. fuit itaq; numerus eorum, qui manu ad os proij-
,, ciente aquas lambuerunt, trecenti uiri, reliqua multitudo flexis po-
,, plitibus biberat. in trecentis ergo illis tradidit Dominus in manus
,, Iſraëlis Madianitas, qui numero locuſtis æquabantur. Quod ſi prę-
terea cogitetis, qua arte hæc uictoria parta ſit, inuenietis, quid & uobis ſit faciendum, ſi aduerſus humani generis hoſtem congredi uolueritis. Iuſſit Gedeon, ut illi trecenti, quiſque lagenam, in cuius medio eſſet lampas, una manu teneret, altera tubam, ac tripertito agmine hoc pacto aggreſſi ſunt hoſtes, incipientibus uigiliis noctis mediæ. cœperunt enim tubis canere, & complodere inter ſe lagenas, quibus fractis, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris tubas, quibus perſonabant. Eadem facienda uobis ſunt, & primum

ex eorum numero eſſe debetis, qui bibituri non ſe pronos in terram abiecerunt, ne uidelicet ad corporea commoda totos uos demittatis, ſed erecti, quantum fieri poteſt, conſiſtatis. quid uerò aliud eſt, fractis lagenis lampades tenere, & tubis perſonare, quàm ſuperata & ſubacta hac corporis infirmitate, tanquam fictili uaſe confracto, lucem rectè factorum præferre, & quod factis oſtenditis, etiam uoce, & prædicatione, & diuinis laudibus perſonare? Vt ergo id quod ſpero, facilius fiat, cum iam uos magis capaces Chriſtianæ philoſophiæ, quàm initio fueratis, uidere mihi uidear, cogitaui uos altius euehere, atque in eum montem ducere, ubi Seruator noſter ac Dominus Ieſus Chriſtus ſummam huius philoſophiæ explicuit. uerum non hoc hodie faciam, ſed octauo ad hinc die, hoc eſt, ſequenti die Dominico, ut intereą ipſi uos accuratius pręparetis. etenim, ſi,

Exo.19. cum lex Hebræorum populo danda fuit, quæ umbra duntaxat noſtrę ueritatis erat, iuſſus eſt populus tanto ſtudio ſe pręparare, ut nō ſolum ab uxoribus, re alioqui licita, abſtinerent, uerum etiam externum corporis cultum curarent, ac lauarent ueſtimenta ſua, tantúmque abeſt, ut permitteretur illis in montem aſcendere, ut dictum ſit

ibidem. Moſi. conſtitue terminos populo per circuitum, & dices ad eos. caueue, ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius. omnis qui tetigerit montem, morte morietur, ſiue iumentum fuerit, ſiue homo, non uiuet. ſi tantus, inquam, in illa rerum umbra apparatus quæſitus fuit, uobis, qui in ipſum etiam montem mecum eſtis aſcenſuri, & eum montem, in quo non umbrę ſed rerum uęritas explicatur, quanta cenſetis opus eſſe pręparatione? Sed illud in primis admonendi eſtis, oportere eos, qui hunc montem ſunt aſcenſuri, omne onus deponere, ut expediti aſcendant. noſtis enim arduum eſſe montium aſcenſum, ut qui onuſti ingredi uelint, facile in medio itinere deficiant. quare deponendum eſt onus peccati, hoc enim eſt unum, quod opprimere atque impedire idoneum eſt. non poterūt qui carnis laſciuiam ſectantur, in hunc montem aſcendere, neq; qui honores ac dignitates ambiunt. non poterunt auari, & qui toti parandis pecuniis incumbunt. hoc enim eſt onus multò moleſtiſſimum, quod eò amplius obruit, quo plus pecuniarum acquiſitum eſt, quod contra oportuerat. ſi enim inopiæ metus ſolicitos uos reddit, atque ad parandas pecunias anxios, decebat, ut, cum tantum paratum eſt, quantum ad leuandam inopiam eſt ſatis, finem

ac-

acciperet iſta ſolicitudo, ſed contrarium experimur, ut cum acceſſione pecuniç ac facultatum, fiat quotidie maior cupiditatis acceſſio. uidete enim quid illi in Euangelio diuiti uſu uenerit. Hominis *Luc. 12.*
,, (inquit) cuiuſdam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat
,, intra ſe dicens, quid faciam, quia non habeo quo congregem fru-
,, ctus meos? cernitis anxiam ſolicitudinem ob hanc unam cauſam, quòd ditior eo anno eſſet factus? abiiciendum eſt ergo omnino hoc onus. Vos quoque mulieres, quas ſcio uelle prorſus in hunc montem conſcendere, nam ab hoc in cœlum uno gradu peruenitur, neque niſi per hunc montem iter in cœlum eſt, uos ergo non poteritis onuſtę tam multis ueſtium generibus, tot monilibus, gemmis, auro, argento, & ueſtro illo deniq; mundo muliebri me in hunc montem ſequi, relinquenda ſunt iſta impedimenta, atque onera. quòd ſi hæc ita uobis cordi ſunt, ut ægrè ea deſeratis, docebo uos, quo ea pacto non ſolum in montem, uerum etiam in cœlum afferatis. iſta omnia pauperum humeris imponite, qui ea deferant. hæc enim horum retinendorum una eſt uia, neque præterea alia. & ſanè mirum eſt, niſi conditionem hanc accipiatis, ut res, quę uobis tam uehementer cordi ſunt, perpetuo uobiſcum habeatis, alioqui omnia per mortem amiſſuræ, niſi hac ratione uobis ueſtręque utilitati conſulatis. Sed una præcipuè res maximo uobis eſt ad optima quæque impedimento, illa uidelicet procraſtinatio, dum bono & parato ad benignè faciendum animo uos eſſe, ueſtris cogitationibus perſuadetis, & tamen bonam hanc uoluntatem nulla unquam facta ſequuntur. atq; ita bona ueſtrum pars ſine ullis egregiè factis ex hac uita migrat. quod quàm ſtultum atque adeo inſanum ſit, mecum quæſo ſic cognoſcite. Fingamus Paulum tertium Pont. max. decreuiſſe, ut quicunque ex Fulginatibus, calendis Decembris, ad quas calendas ab hoc die decem dies interſunt, Romæ reperirentur, maximis muneribus honeſtarentur. quis ueſtrum expectaret, ut, non dico ipſis calendis, ſed tantum pridie calendas Romæ eſſet? nullus opinor. quamobrem? cogitaretis enim apud uos, fieri poſſe per aliqua, quę forte acciderent, impedimenta, ut prohiberemini, quo minus ad ſtatutum illum diem adeſſetis. quare maxima opinor ueſtrum pars hodie iter aggrederetur, rem tutiſſimam arbitrati, ſi ſex aut octo diebus hoc negocium præueniretur, ne forte aliqua tam expectato bono priuaremini. Fingite rurſus indefinitam

nitam diem, atque ita eſſe ſignificatum, eundem Paulum uelle uno ſequentis anni die, quem diem incertum eſſe uellet, Fulginates, qui eo die Romæ reperirentur, eiſdem afficere beneficiis, multò profectò maiorem diligentiam adhiberetis, ne is dies elaberetur è manibus. quare ueriti ne forte calendis Ianuarii id accideret, aliquot ante ipſas calendas dies vrbem Romam adiretis, quòd ſi etiam res ad nouiſſimũ anni diem prorogaretur, nihil uos pœniteret, tantum tempus repræſentaſſe. ut expectata bona tandem aliquando aſſequeremini. atque hoc quidem ſtudium adhiberetis in hiſce caducis ac momentaneis bonis, quæ paulò poſt eſſetis relicturi, ubi uerò agitur ęternitas, & incerta eſt dies, qua ante iudicem Deum eſtis ſtatuendi, auderis tantę ſummæ negocium in dies, atque adeo annos prorogare, nec metuitis nequis repentinus caſus ueſtra omnia conſilia euertat? O' ſupinas mentes, ò ſtupidos animos, quàm

Luc. 19. uerum eſt quod Seruator ipſe ait. filii huius ſeculi prudentiores fi-
„ liis lucis in generatione ſua ſunt. Si alicuius principis rem familia-
„ rem ac facultates quiſpiam ueſtrum per aliquot annos adminiſtraſſet, iubereturque rationem reddere, alioqui interficiendus, quàm accuratè cenſetis hunc rationes dati atque accepti compoſiturum, ne in uitæ periculum ueniret? ubi uerò & ipſa ocioſa uerba in iudicium ſunt uocanda, non cogitatis multò magis ocioſarum ueſtium, quas tineę conſumunt, & ocioſarum in arca pecuniarum, dum interea Chriſti fratres ſrigore ac fame conficiuntur, rationem eſſe reddendam? quod ſi cogitaretis, non committeretis profectò, ut tam periculoſa in re tam ſomniculoſi inueniremini. atq; hoc eſt, quod metuo uehementer, ne plurimi ueſtrum, dum tam negligenter rationes ſuę conſcientię diſcutiunt, cum ſe in cœlum recipiendos certiſsimè ſibi perſuadebunt, eo ipſo tempore in imum tartarum demerſi reperiantur propterea, quòd multa grauiſsimè peccantur, quę ne peccata quidem eſſe à uobis intelliguntur. atque id ob eam cauſam accidit, quòd nos in leges Euangelicas non bene penitus da

2.Pet.1. mus, quę tanquam lucerna lucens in caliginoſo loco, expellere te-
„ nebras poſſent, quæ aſpectibus ueſtris nunc offuſæ, non patiuntur uos errores ueſtros agnoſcere. ſed futurum ſpero, ut cum in hunc montem fulgentiſſimum aſcenderitis, omnia meliorem formam ſint habitura. quem aſcenſum ut facilem ac ſecundum habeamus, rogate Deum, ut has preces, quas nunc facturus pro uobis

bis ſum, benignus exaudiat. Deus ſumme atq; æterne pater, qui icc irco appellari pater uoluiſti, ut fiduciam haberemus poſtulandi, quę nobis ſunt ſalutaria. ſcis ipſe pater, hanc prouinciam, quę nunc prę manibus nobis eſt, eam eſſe, à qua vna hominum ſalus pendet. quare nunc maximè intuere hunc populum, cuius me curæ ipſe præfeciſti, neque fruſtra id à te factum perſuadere mihi unquam potero. Da ergo & mihi uires ducendi, & huic ciuitati generoſum animum aſcendendi in hunc montem, in quo unigena ille tuus docuit ea, quæ non ſolum ad æternam uitam comparandam, uerum etiam ad hanc mortalem optimè ac feliciter degendam pertinerent. Effice ut audita filii tui uoce, falſas, quas hactenus tenuere, opiniones exuant, atque Euangelicis monitis ac præceptis aſſueſcant. mitte hodie è cœlo ſancto tuo per hanc epiſcopi dexteram, uberiorem in hunc populum tuam benedictionem, quę intima eorum penetret, ac nouum cor nouúmque ſpiritum in eis creet, quo fiat, ut & temporariam hanc vitam tranquillius agat, & demum immortalem illam atque æternam conſequatur, quam à te expectamus ſancte pater per unigenitum tuum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui tecum & ſpiritu ſancto, uiuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO SECVNDA.

VIDEOR mihi in eundem penè modum poſſe, atque adeo debere Deo gratias agere, quo Abrahæ ſeruus uſus fuit, cum miſſus ad quęrendam uxorē pro Iſaac filio domini ſui, omnia ita opportunè cecidiſſe reperit, ut ea puella, quæ quærebatur, ut uxor eſſet ipſius Iſaac, prima fieret illi obuia. hoc enim animaduerſo pronus adorauit & dixit. Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, *Gen. 24.*
„ qui non abſtulit miſericordiam & ueritatem ſuam à domino meo,
„ & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. Sic mi-
„ hi uidentur agendæ à nobis Deo gratiæ, qui effecerit, ut hoc inſigni die in Euangelicum hunc montem aſcenderemus, cum nihil profectò tale quippiam ueniſſet in mentem, quo tempore de hoc

aſcenſu

aſcenſu cogitaui. eſt enim hodierna dies Dominica prima aduentus, tempus nimirum celebratiſſimum uetuſtis iam temporibus à Chriſti eccleſia, quod iccirco aduentus appellatur, quòd eadem ecclesia fideles adhortetur, ut per unius, aut non multò ſecus, menſis ſpatium, ſeſe pręparent ad ſuſcipiendum aduenientem in carne Dominum, ne tanti regis aduentus improuiſos adoriatur, quod cum ſapientisſimè ac ſanctiſſimè iam olim fuerit inſtitutum, uidetur mihi ita apud maximam hominum partem obſoletum, ut ne nomen quidem eius ſciant, nedū factis ullis Chriſtiano homine dignis hoc tempus obſeruent. quare reuocandus eſſet antiquus mos, & quemadmodum quadrageſimæ ſpatium inſtitutum eſt, ut ad commemorandam mortem & reſurrectionem Domini, animos habeamus paratiores, atque purgatiores, ſic tempus hoc uſque ad natiuitatem Domini accuratius agendum eſſet, & purgandi eſſent animi peccatorum confeſſione, ut quęnam ſit hæc celebritas, intelligere uideamur. etenim ſi regis alicuius aut principis natalem diem homines tanta cum pompa celebrant, quid nobis in natali ſummi regis, atq; ipſius filii Dei non eſt elaborandum? Sed tempus eſt, ut iam hunc beatum montem conſcendamus, atque opportunè ſanè, nam uidemur in ea tempora incidiſſe, ut admonendi & nos ſimus, quod ipſi Loth fuit dictum, cum ciuitates illæ euerſæ fuerunt. dixerunt
Gen. 19. enim ei angeli. ne ſtes in omni iſta planitie, ſed in monte ſaluum
,, te fac, ne & tu ſimul pereas. grauiſſima enim peccatorum moles, quibus Chriſtianus orbis premitur, ingentia intentat mala, quæ quo pacto euadamus, niſi per huius montis aſcenſum, ego ſanè non uideo. Sermonem itaque Domini, quem in monte habuit, tractaturi, uideamus, quid in Euangelico contextu pręcedat. Cum cœpiſſet iam Dominus prædicare Euangelium regni, morboſque non animi ſolum, ſed etiam corporum curare, atque eius fama in
Matt. 4. totam Syriam abiiſſet, *ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilea, & Decapoli & Ieroſolymis, & Iudæa, & trans Iordanem*, quo facto ſe-
Matt. 5. quitur Euangeliſta Matthęus. *Cum uidiſſet autem turbas, aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos.* Cur uiſis turbis Dominus in mon-
Luc. 6. tem aſcenderit, apertius facit Lucas Euangeliſta dicens, exiit in mon
,, tem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. quòd uerò paulò poſt idem Lucas eundem Domini ſermonem, quamuis maiori

compendio, narraturus ait, illum deſcendentem de monte ſtetiſſe in loco campeſtri, fieri poteſt, ut in ipſo monte fuerit aliqua planicies, ubi conſtiterit Dominus, quanquam ſunt, qui diuerſum illum uelint eſſe ſermonem ab hoc, qui à Matthęo deſcribitur. Rectè autem in monte lex Euangelica data eſt. etenim, ſi diligentius perſcrutemur, reperiemus præclariſsima quæque in monte ſacta, ut, cum uellet Deus fidem Abrahæ, atq; in Deum reuerentiam experiri, iusſit, ut filium immolaret in monte, quem ipſe illi oſtendiſſet. Lex per Moſen in monte eſt lata. Elias in monte Oreb diuinas uiſiones eſt contemplatus, ipſe uerò Dominus ac Seruator noſter oraturus patrem, in monte id agere conſueuerat. in monte coram tribus diſcipulis transfiguratus, maieſtatem ſuam declarauit, ſactaq; ibi ſunt ea, quæ illi hiſtoriæ coniuncta omnes noſtis. poſt reſurrectionem rurſus iusſit diſcipulos in Galilęam profectos, conuenire in monte, quem ipſe illis conſtituerat. denique aſcenſurus in cœlum, egregium illud ſpectaculum diſcipulis ſuis in monte præbuit. cum enim animo conſtemus ac corpore, corpusq; ipſum ſpiritui ſeruire debeat, corporeis quoque & rebus, & locis eſt utendum, & iis pręſertim, quæ animi actionibus ſint accommoda, montium autem ſolitudo, ut quæ multitudine uacet, aptior eſt optimis quibusq; negociis tractandis, præſertim cum orandum eſt, quod nunc Dominum feciſſe ante quàm ſermonem hunc haberet. Lucas ſcribit, ut ſupra diximus. Hoc uerò in loco illud etiam accedit aptisſimum; quòd nouam legem daturus Dominus, quę ueteris illius, quæ per Moſen data fuerat, futura eſſet complementum atque perfectio, ſicut priorem in monte dedit, ita decuit & hanc quoque in monte promulgari. *Viſis ergo turbis Dominus aſcendit in montem*, non quòd eas auerſaretur, quibus & docendis & ſanandis & alendis uenerat, ſed docuit quid nobis faciendum ſit, ut uidelicet tantiſper cum multitudine uerſemur, dum eis prodeſſe aliquid poſſumus, deinde ab illis abſtineamus, nosq; ad noſmet ipſos recipiamus. *Et cum ſediſſet* (inquit) *acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*. in fine huius Dominici ſermonis legimus miratas fuiſſe turbas ſuper doctrina eius. quare ſignificatio ſit, etiam turbam audiuiſſe, ſed negocium ita progreſſum eſſe, ut diſcipuli tanquam paratiores primum acceſſerint, deinde ſecutæ turbę ſint, quod & inter uos eſt faciendum. neque enim expectandum eſt, dum tota ſimul ciuitas

Gen. 22. *Exo. 19.* *3. Re. 19.* *Mar. 6.* *Mat. 17.* *Mar. 9.* *Luc. 9.* *Mat. 28.* *Mat. 28.* *Luc. 17.* *Luc. 11.* *Matt. 5.* *Matt. 5.*

uno die Euangelicam philoſophiam amplectatur, ſed aliquibus ex uobis inchoandum eſt, qui attentius huius philoſophię uirtutem ac maieſtatem obſeruant, quos reliqua multitudo contemplata, facile in ueſtram ſententiam trahi ſe patietur. At uerò beatisſimos illos ego ſanè iudicabo, qui primi hoc negocium aggredientur. nam longe maiora à Deo pręmia aſſequentur, quàm illi, qui in alicuius urbis expugnatione primi muros aſcendunt, & uiam aliis illius capiendę aperiunt. ſolent enim hi maximis honeſtari muneribus. *Et aperiens os ſuum docebat eos*. pulchrè os ſuum Dominum aperuiſſe dicit, qui antea prophetarum ora aperuerat. quod futu-

Eſa. 52. rum longè ante pręmonuit per Eſaiam ita dicens. Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe, qui loquor ecce adſum. Quod ut manifeſtè de Seruatore Chriſto dictum agno

Rom. 10. ſcamus, addit mox propheta illa uerba, quę de apoſtolis allegat Paulus, uidelicet, quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, di-

Heb. 1. centis. Sion regnabit Deus tuus. Atq; hoc eſt, quod ad Hebręos dicitur. multifariè multisque modis Deus olim locutus patribus per prophetas, nouiſſimis diebus hiſce locutus eſt nobis per filium. Habituri ergo magiſtrum Dei filium, quanto illius monita ac præ-

Mat. 13. cepta amplecti ſtudio debetis, & meminiſſe, quid ipſe dixerit. Beati oculi, qui uident quæ uos uidetis. amen dico uobis, multi reges & prophetę uoluerunt uidere quę uos uidetis, & non uiderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Si apud Pythagoreos tanta erat magiſtri eorum Pythagorę auctoritas, ut quicquid dixiſſet, nunquam in dubitationem uocaretur, hinc enim illud qua-

Ada. ſi prouerbio tritum erat, αὐτὸς ἔφα, multò profectò magis audi- tis iis, quę cœleſtis magiſter atque adeo Dei filius ac Deus docet,

Ada. huius unius ſtandum ſententiæ eſt, neque ullis hominum inani-

Deu. 17. bus opinionibus, aut perſuaſionibus ab ea latum (quod dicitur)

Heb. 10. unguem recedendum. Irritum quis faciens (inquit) legem Moſis, ſine ulla miſeratione duobus uel tribus teſtibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei con-

Heb. 12. culcauerit? & alibi. ſi enim illi non effugerunt, recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur, multò magis nos, ſi de cœlis lo-

Matt. 5. quentem nobis auerſemur. Audiamus ergo quid dicat: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Sed quæ-

ren-

rendum prius eſt. cur Dominus à beatitudine ſermonem hunc ſuum ſit exorſus. Appetunt homines bonum, natura ipſa eos ad hoc exſtimulante, atque is eſt eorum finis, cuius gratia agunt, quęcunque agunt, itaque finis ac bonum ad idem conſpirant. quare qui de ſummo, quod expeti poſsit, bono ſcripſere, de finibus inſcripſere libros ſuos. cum autem bonum paſsim expetatur, illud in primis ſolicitos reddit homines, in quo in primis felicitas ſumma poſita ſit, quod ſummum bonum appellant. de quo philoſophi tam anxiè ſunt digladiati, ut ſectas hac de re colligat M. Varro, ducentas octoginta eſſe poſſe. Cum ergo in factis noſtris omnibus id quęramus, quo bene ſit nobis, ac beati eſſe poſſimus, atque ante Euangelicę lucis exortum hac in re uariarent etiam ſapientum ſententię, dum plerique ita ſe demitterent, ut alii ſummum hominis bonum in uoluptate ponerent, alii alia in re non admodum pręſtantiori, & quę reliquis etiam animalibus, atque adeo plantis ipſis poſſet eſſe communis, opportunum fuit, ut in ipſo ſermonis initio, finem quendam ſtatueret, ad quem conſilia omnia, & cogitationes eſſent dirigendæ. nam fine non intellecto, incerti ac uagi feruntur homines, neque ſatis expeditè agere quicquam poſſunt. Hunc ergo finem, atque hanc felicitatem filius Dei, hoc eſt ipſa ueritas docet, ubi ſit poſita. & mirandum ſanè eſt, cum tantum magiſtrum teneamus, quo pacto diuerſa atque adeo aduerſa potius uia ingrediamur. uidete enim, ut in prima ipſa beatitudine cogitationes omnes ueſtras conſiliaque deiiciat, cum ait. *Beati pauperes.* at uos noctes & dies eandem incudem tunditis, ut fugata paupertate ditemini. Verum quando longius iam progreſſa oratio eſt, non uideo me poſſe huius beatę paupertatis diuitias hodie explicare. quare id tantum faciam, proponam uobis ipſius Seruatoris exemplum, qui præ omnibus, qui unquam fuere, eam eſt inſigniter amplexatus. & primum naſciturus, cum poſſet nullo negocio (quid n. erat ei non poſsibile, nimirum filio Dei ac Deo?) re- *Luc.* 2.
gium ſibi palatium præparare, in ſtabulo naſci uoluit, atq; in pręſepio reponi. totam uerò uitam quo pacto egerit, uidete quid re- *Matt.* 8.
ſponderit ei, qui ſe eum ſequi uelle diceret. Vulpes (inquit) fo- *Luc.* 9.
ueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non ha *Mat.* 27.
bet, ubi caput reclinet. ultimum uerò clauſurus diem nudus in cru *Mar.* 15.
ce mortuus eſt. tanto autem ipſos pauperes fauore eſt proſecutus,

Luc. 3. ut fratres eos appellare non ſit dedignatus. quod uni (inquit) ex
Ioan. 19. his fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis. audiſtis fratres ap
Mat. 25. pellatos pauperes ab ipſo filio Dei, & eos non reuerebimini? & eos non curabitis? neque eis uictum cultumque pręparabitis? Si regis alicuius, à quo bona ingentia percepturos uos ſperaretis, fratrem hoſpitio eſſetis ſuſcepturi, quod officii genus eſt, quod ei non pręſtaretis? at ij illius regis fratres ſunt, cui quicquid habetis, quicquid eſtis, acceptum prorſus referendum eſt, qui pręterea uitam ipſam pro uobis profudit, ut regnum uobis pararet ſempiternum. non ergo omnem fauorem fratribus huius tanti regis, cui tantum debemus, à quo infinita bona expectamus, exhibebimus? nam ſi ijs, quos ſcimus charos eſſe principibus, impenſe fauemus, eos, quos tanti facit Chriſtus rex regum & Dominus dominantium, ut ſe in illis beneficium accipere profiteatur, non ſummis fauoribus proſequemur? Pręterea illud cogitate, ſi quiſquam rex ſeruandę huius ciuitatis gratia, regiam dignitatem depoſuiſſet, factusq; propter uos eſſet pauper, atque in ea paupertate uos adiſſet, certam ſpem faciens uobis, ſe iterum eandem dignitatem reparaturum, quo facto uos ab illo ingentibus honoribus ac muneribus honeſtandos; proculdubio facultates ueſtras omnes illius commodis exponeretis, cum officii gratia, tum ut recepti regni promiſſa felicita
2. *Cor.* 8. te potiremini. at filius Dei, qui cum eſſet diues, pauper propter uos effectus eſt, ut uos illius paupertate diuites euadatis, paucos
Luc. 2. poſt dies naſcetur uobis nudus & inops, ut, cum ne locum quidem in diuerſorio habiturus ſit, in præſepi ſit collocandus, & nulla erga illum miſeratione commouebimini? Quare moneo, ut ei ueſtem, & alimenta pręparetis. & mulieres quidem ex tanta ueſtium ſupellectili, & tam multis monilibus, ueſtem ei conficient tanto regi conſentaneam, auream uidelicet, uiri uerò alendi illius curam accipient. utrunq; autem harum rerum apparatum uellem hoc ipſo in loco ante natalem Domini diem me inſpectante fieri. nam ego ueſtri honoris plus nimio fortaſſe zelotypus ſum, ſalutis uerò nunquam ſatis eſſe ſtudioſus poſſum. quod enim ad honorem ueſtrum pertinet, ſciunt uicinę ciuitates habere uos epiſcopum, qui pro uiribus uos curat, qui cum cernunt nihil uos ex præſentia hac & laboribus meis profeciſſe, hoc non exiguam illis admirationem parit, at ſalutis ratio plus momenti habet. uereor enim,

ne,

ne, dum ita inerter agitis, ut hactenus factum eſt, meus aduentus, qui utilitatis tantum ueſtræ cauſa fuit, condemnationi uobis ſit futurus: nam & ob hanc ipſam cauſam Seruator Chriſtus dixit, de Iudæis. Si non ueniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum Ioan. 15. non haberent, nunc autem excuſationem nullam habent de peccato ſuo. quanquam adduci non poſſum ut hoc expectem. neque enim perſuadere mihi unquam quiſquam poterit, hanc ciuitatem, Dei munere hoc priuilegio affectam, aliam ullam ob cauſam, quàm ut, quemadmodum à fulgore nomen habet, ſic etiam factis ipſis non ſolo nomine, uicinis quoque urbibus lumen præferat. Sed illud præcipuè cauendum eſt, cum enim hoc negocium, quod uobis aggrediendum propoſui, ianua quędam ſit ad optima quæque ac præclariſsima, credibile eſt, noſtri generis hoſtem in tanto rerum cardine non ceſſaturum, quare ſuggeret cogitationibus ueſtris, ciuitatem non eſſe ita locupletem, ut ijs queat aſſueſcere, ſed perniciofiſsima hęc tentatio eſt. quis enim non uideat, hunc paſsim errorem apud omnes uerſari, ut nunquam ſe inopes, niſi cum aliquid Chriſto dandum eſt, eſſe credant? at uerò cum in ſcorta eſt impendendum, cum ueſtes parandæ, cum ſumptus ad pompam aut uoluptatem faciendi, nunquam deſunt pecuniæ, ita miſeri ad nolmet ipſos circumueniendos ſumus inſtructiſsimi. quanquam illa erogandi in pauperes generoſitas non tam in facultatibus, quàm in animi alacritate poſita eſt, cuius rei indicium hoc eſt, quòd cernimus aliquos tenui admodum fortuna, & qui potius egeant, quàm ut eis ſuperſit, liberaliter tamen erogare eleemoſynas; cum interea plerique ditiſsimi, & qui ſine ullo incommodo ſubuenire aliorum paupertati ac penuriæ poſsent, id facere recuſent. quare fallax hęc mali Dæmonis perſuaſio procul reijcienda eſt, & initium huic egregio facto dandum. tantum enim in hoc labor eſt, ut inchoęmus, atque aſſueſcamus, cætera erunt non ſolum facillima, ſed etiam iucundiſsima. quid enim erit, quod non libenter impendamus, ſi bene penitus in noſtris animis defixerimus, uerè nos Chriſti fratribus, atq; adeo ipſi Chriſto iſta largiri, quæ tamen omnia demum in noſtram ipſorum utilitatem, ſiue futura bona cogites ſiue præſentia, ſint redundatura? nam centuplum illud ad pręſentem uitam pertinere, mani- *Mar.* 10. feſtè dictum à Domino apud Marcum legimus, quanquam etiam ſine illa additione intelligi facile poteſt. cum enim ait, centuplum *Mat.* 19. accipiet,

accipiet, & uitam æternam poſsidebit, neceſſe eſt alterum de hac præſenti, alterum de futura intelligere. nam æterna illa retributio neq; centenarij, neque millenarij, neque ullius numeri proportione comparari cum hiſce rebus poteſt. Quod ſiquis ueſtrum pręterea (nam præuenienda ſunt omnes, ſi fieri poſsit, illius maligni inſidiæ) exiſtimaret, ſinendum eſſe unumquenque, ut ſuo arbitrio priuatim faciat eleemoſynam, hic quoque error eſt perničioſiſsimus. tam enim grata Deo eſt unanimitas, atq; in aliquod bonum multitudinis conſpiratio, ut id, quod hoc pacto fit, ſit illi gratius, quàm ſi duplum ſine illa coniunctione pręſtaretur. atque ob eam cauſam Dominus

*Mat.*18. dicit, ubi fuerint duo uel tres congregati in nomine meo, in medio illorum ſum. Quid ergo? ſiquis ſolitarius in ſpecu aliquo tibi ſeruiat, cum illo non es? nę, inquit, ſed per hoc ſignifico, quanti apud me ſit coniunctio animorum. Adde, quòd ubi in commune aliquid fit, inflammantur animi omnium, atq; ad optima quęque animantur, quod non uſu uenit, cum ſeorſum quiſque per ſe boni aliquid facit. ſint enim decem ex uobis, qui ſoli tantum erogent, quantum tota ſimul ciuitas, haudquaquam tamen tantundem ualebit. nam illic decem illi duntaxat proficiunt, hic uerò tota ciuitas lucrum facit, atque ad maiora ſemper incitatur, quod unum Deus in primis in factis omnibus noſtris quærit. Horum itaque exemplo, quę nunc admonuimus, ſiqua alia hoſtis generis noſtri ueſtris cogitationibus ſuggeſſerit, ea omnia generoſè propulſate, ne tam pręclara incępta, à quibus reliqua omnia bona tanquam à fonte quodam proficiſcentur, queant impediri. hoc enim & temporariam hanc tranquillitatem à Deo uobis comparabit, & uitam pręterea conciliabit ſempiternam. quam utinam omnes aſſequamur, iuuante Domino noſtro IESV CHRISTO, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor, & imperium per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

ORATIO

ORATIO TERTIA.

BEATI *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum* *Matt.5.*
cœlorum. Euangelicam philoſophiam à paradoxis Dominus inchoauit. quid enim tam præter hominum opinionem eſt, quàm felicitatem eſſe in paupertate? cum nihil ferè aliud, aut certè magis auerſentur homines quàm paupertatem, tanquam ingens & formidandum malum. quod ubi cogito, ego ſanè facile deſperarem poſſe me quicquam in hoc Euangelico negocio, quod tractamus, proficere apud ſeculi huius mores, niſi me ſpes Diuini adiutorij animaret, neque animo cadere ſineret. facilius enim eſſet ex ethnico Chriſtianum facere, quàm eum corrigere, qui poſtea quàm Chriſto nomen dedit, in humiles ac terrenas, & nihilo ethnicis meliores, atque adeo deteriores interdum, cogitationes ſe demiſit. de eiuſmodi enim dici poteſt illud beati Petri, melius erat *2.Pet.2.*
illis non cognouiſſe uiam iuſtitiæ, quàm poſt agnitam retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. rarò enim fit, ut huius generis homines excitentur ad ea præſtanda, quæ eum decent, qui Chriſtum ſit profeſſus. at ij, qui ex ethnicis ad lucem Euangelicam ſe conferebant, nihil pręterea aliud præ illa æſtimabant, & non ſolum facultatum direptionem æquo animo ferebant, uerum etiam uitam ipſam pro Chriſto animosè profundebant. uerum de uobis, ut dixi, bene ſperandum eſt. aderit enim Dei fauor, qui ut uos ad hęc attentè audienda excitauit, ſic ad ea aſſequenda uires adijciet. Aggrediamur ergo rurſus orationem de hac beata paupertate, uideamusque quàm verè ueritas ipſa Dominus noſter Ieſus Chriſtus dixerit, in ea ſitam eſſe beatitudinem, & non in appetitione diuitiarum. quam rem facilius intelligemus, ſi pericula & damna, quæ à diuitijs proficiſcuntur, perſcrutemur. Et ſanè cum damnum maximum omnium ſit in iactura æterni illius regni, quod nobis Chriſtiana profeſſio pollicetur, obſeruate quantum illius amittendi periculum in diuitijs ſit. Scribunt Euangeliſtę fuiſſe adoleſcentem quendam, qui audi- *Mat.19.*
to regni ac uitę æternę nomine, illius cupiditate flagrans petijt à Do *Mar.10.*
mino ut doceretur, quid ſibi boni faciendum eſſet, ut uitam æter- *Luc.18.*

nam

nam aſſequeretur. qui cum audiſſet, ſeruanda ſibi eſſe Diuina præcepta, reſpondiſſetque, ſe omnia à iuuentute ſeruaſſe, quæ ſibi fuiſſent precepta, adiecit Dominus, unum tibi deeſt, nequedum impleſti, ut arbitraris, præcepta, alioqui unde tibi tam multæ diuitiæ, ſi proximum tuum ut fratrem, immò ut teipſum dilexiſti? uade ergo & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & ueni, ſequere me. cum audiſſet autem adoleſcens hęc uerba, abijt triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones. Videte obſecro uim ac tyrannidem huius morbi. adoleſcens hic reliqua omnia ſuperauerat, neque ætas fuerat impedimento, quo minus & carnis uitia ſubegiſſet, & quæ à Deo præcipiuntur, accuratè ſeruaſſet. optabat uitam illam æternam, quam audiebat à Domino prędicari, atque ad huius prędicationis famam fuerat inflammatus. audit, ſi uendat, quæ hic habet, habiturum ſe theſaurum in cœlo, tutiſſimo uidelicet loco ac beatiſſimo, & tamen facultatum ſtudio uictus, tantę rei, tamque uehementer expetitę fructum miſer perdidit. tanta aſſecutus fuerat in ipſa adoleſcentia, abſtinuerat ab adulterio, à cęde, à furto, à falſo teſtimonio, à fraude, debitum honorem detulerat parentibus. unum, quod deerat, quodque cæteris facilius factu eſſe debuerat, pręſertim ſub tanta pollicitatione, in cauſa fuit, ut tanto bono, tam optato, ob intemperantem pecuniarum amorem priuari ſe paſſus ſit: quis hoc non exhorreſcat, ac toto corpore, contremiſcat? Audite uerò quid ſe-
Luc.18. quatur. hoc facto circunſpiciens Ieſus ait diſcipulis ſuis. quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. diſcipuli autem (inquit) obſtupeſcebant in uerbis eius. at Ieſus ut periculi magnitudinem in animis hominum euidentius infereret, rurſus reſpondens ait illis. Filij quàm difficile eſt, confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. hoc quid aliud eſt, quàm dicere, rem eſſe, quæ fieri nullo modo poſſit? quare diſcipuli magis admirabantur dicentes inter ſeſe, & quis poteſt ſaluus fieri? nimirum ob communem ferè omnibus hominibus morbum.
Luc.18. & intuens illos Ieſus ait. apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum. omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum. Qua in re quæri meritò poteſt, cur in diuitijs tantum hoc dixerit, & non in alijs etiam uitijs atque peccatis. ſed uidentur mihi omnes qui peccant,

cant, tanquam naufragium facere. at in naufragio alij adhęrent alicui rei, cui innixi non omnino ſine ſpe ſunt, alij ſine ſpe relicti vndis feruntur, qui ſi ſeruentur, ſolius Dei beneficio acceptam referunt ſalutem, quamuis etiam alij, qui tabula aliqua ferebantur, gratias agunt Seruatori Deo. Diuites ergo ſimiles illis ſunt, qui amiſſa alioqui omni ſpe, ſolius Dei quodam miraculo ſeruantur. & cum tam periculoſa res ſint diuitię, is tamen felicior à ſtulto hominum errore creditur, qui ditior eſt, hoc eſt, qui ſęuioribus circunuoluitur fluctibus. Vt autem intelligatis adhuc euidentius, quàm inſana res ſit, huic periculo tantorum amittendorum bonorum ob diuitiarum ſtudium ſeſe obijcere, fingite quempiam ueſtrum dominandi appetentiſſimum, aditurus hic ſit hæreditatem, quæ mille nummos aureos annuo reditu afferat, ſed admoneatur, fore, ſi uelit, ut huius vrbis imperio potiatur, ſed periculum eſſe (nolo enim ut pro re certa ei proponatur) non exiguum, ne hoc amittat, ſi eam adire hæreditatem uelit. quid cenſetis hunc dominandi libidine exſtimulatum eſſe facturum? proculdubio in illud periculum amittendæ tam optatę rei nullis perſuaſionibus ſe conijci patietur. quod ſiquis ei diceret, tentandum eſſe, ſi forte vtrunque aſſequi poſſet, reſponderet, nolle ſe in re tanta periculum facere. qui idem ſi facultates magnas haberet, promitteretúrque hęc dominandi facultas, ſi maximam harum facultatum partem largitionibus inſumeret, faceret profectò, neque ſumptibus vllis parceret, atque id ob aſſequendam eam rem, quam uno die amittere facilè poſſet. vbi uerò agitur ęternitas ac regnum illud, quod fine caret, non ab ijs abſtinebimus, quæ veritas ipſa Chriſtus tanto eſſe impedimento ad illud adipiſcendum profitetur, ut rem non tam difficilem, quàm impoſſibilem eſſe declarauerit, ſimul cum appetitione diuitiarum regnum illud homines aſſequi poſſe? rurſum ea non aggrediemur, quę eadem ueritas certiſſimam ad tantam comparandam ſalutem, eſſe viam docet? cur non tandem aliquando deſinimus eſſe pueri ſenſibus? nam puerorum id proprium eſt, parua & inutilia curare, neglectis grauibus ac neceſſarijs. Clamat Paulus, qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum, & deſideria multa ſtulta & nociua, quę mergunt homines in interitum & perditionem. Audis non periculum, vt in ſuperiore exemplo, ſed denuntiationem, hinc ſcilicet fieri, ut demergantur homines *1. Ti. 6.*

C in inte-

in interitum & perditionem, & committemus ut in tanta ac tam manifeſta damna pecuniæ cupiditate præcipitemur? ne quæſo, ne tam ſupini in rebus tanti ponderis inueniamur. Quòd ſi beatam hanc paupertatem, quam hic Dominus prædicat, amare uoluerimus, uidete quantò meliore conditione futuri ſimus. Libet enim, ea quæ ſequuntur in eodem Euangelij loco, quem de diuitijs citauimus, commemorare. Auditis ijs, quæ Dominus de diuitijs dixerat, Petrus ſentiens ſe ab eorum numero ſe iunctum, quaſi gra-
Mat.19. tulabundus ait: ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te. reſpondens Ieſus ait. amen dico uobis, nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, & in ſeculo futuro uitam æternam. Cernitis apertiſſimè dictum, nunc in hoc tempore centenariam multiplicationem eſſe reddendam ijs, qui Euangelicis pręceptis uelint obtemperare? cernitis Euangelicæ paupertatis felicitatem, & longo interuallo maiorem ea, quam ſtulta multitudo in diuitijs collocat? hic enim centies multiplicatum prẹmium in hac ipſa uita promittitur, non ſolum ſine ullo æternæ uitę amittendę periculo, uerum etiam cum eiuſdem certiſſima pollicitatione. illic uerò neque vlla centupli fit mentio, atqui plerunque ſumma rerum iactura fit; cum maximè quærúntur diuitiæ, & pręterea, quod multò maximum eſt, maximeque formidandum, ſummum amittendi æterni regni, & penè certiſſimum periculum adiectum eſt. hic omnia tuta ac tranquilla, illic fluctuantia omnia & perturbationibus plena reperies, ac plus damni quàm commodi ſecum afferentia. Videte enim, in Euangelica paupertate contentus quiſque ſua ſorte eſt, nihilo plus appetit quàm habet; quòd ſi etiam illud auferatur, gratias agit, ſiquid vltra uictum adeſt & cultum, in Chriſti fratres diſtribuit; non metuit fures, non inſidias, nihil de ſucceſſore ſolicitus eſt, ſe ſuaque Dei prouidentiæ permittit. at in diuite contraria omnia, nullà unquam ei accidit tam bona ſors, ut ea contentus uiuat; plura ſemper ac maiora concupiſcit. tantum abeſt, ut ſibi quicquam ſupereſſe exiſtimet, ſemper eſurit, ſemper eget, ut nunquam ſperandum ſit; quicquam illum uelle in cæteros impertiri. ſiquid ſorte pecuniarum depereat, dolores mortis illum circunſtant, omnia metuit & omnes, non ſeruos ſolum,

verum.

verum etiam filios, noctes & dies ſolicitus eſt, quicquid noctu increpuerit, fures timentur. ſomni ſoliciti ſunt, uigiliæ moleſtæ, ut uerum ſit, quod ait quidam ſapiens. vigilia diuitiarum tabeſaciet carnes, & cogitatio earum auferet ſomnum. ſi hęredes habeat, multis ei modis ſolicitudinem pariunt, quos enumerare longum eſt, ſi non adſint, nihilo minus continuum eſt illi ſtudium diuitiarum, quam rem admiratus Salomon dixit. Conſiderans reperi & aliam vanitatem ſub ſole. vnus eſt & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens, cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Qui etiam admiratus ſtultiſſimam hominum opinionem, quibus cum pauca admodum ſatis facere poſſint, anxij tamen ſuperuacuè ſunt, aiebat. Omnis labor hominis in ore eius, ſed anima eius non implebitur. Laborat (inquit) homo ut uiuat, qui uictus non admodum multo negocio parari poteſt, ſed tamen infinita habendi cupiditas nunquam ſatiatur. Video uos his aſſentiri, neque negare poſſe, uerisſima eſſe quæ dicuntur, atque optare, in hoc Euangelicorum pauperum numero eſſe aſcriptos, ſed nondum eſſe tam generoſo animo, ut omne diuitiarum ſtudium penitus abijcere audeatis. quare inuenienda omnino mihi uia eſt, & ineunda ratio, qua iuuari & uos posſitis. nam Seruator Chriſtus nobis eſt imitandus, de quo prædixit Eſaias, calamum (inquiens) quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Veſtræ ergo facultates ita apud uos ac ueſtrę ſint, atque eas ita curate, ut nimis anxium illud ſtudium earum relinquatis, nec illarum gratia iniuſtum quippiam à uobis fiat. charitatem in proximum quenque illis anteponatis. in pauperes Chriſti fratres quantum poteſtis impendite. parati pręterea, ubi Chriſti honor id poſtulet, eas peſſundare, ac pro nihilo habere. hoc enim erit proximè accedere ad illud, quod Dominus à nobis requirit, cum ait. niſi quis renuntiauerit omnibus, quę poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. nam ex animo paratum eſſe ad omnia relinquenda, ferè eſt omnia reliquiſſe. Hęc quidem omnino factu neceſſaria ſunt, neque grauia ullo modo uideri uobis debent. nam ſi lata eſſet lex iſta à Chriſto, ut nemo, ęternam illam, quam pollicitus eſt, uitam, niſi abiectis omnibus facultatibus atque opibus, ſperare auderet, quid facturi fuiſſetis? recuſauiſſetis immortalia & infinita bona pro exiguis & caducis? nemo opinor, ni

Eccl. 31. *Eccl. 6.* *Eccl. 6.* *Eſa. 42.* *Luc. 14.*

ſi inſanus prorſus & amens, id faceret. oportuiſſet ergo omnia relinquere. nunc uerò tam mitis tam plena rationis conditio propoſita eſt, ut ſine ulla cogitatione regni cœleſtis, ſola naturę noſtrę contemplatione, id præſtandum eſſet, & quiſquam ueſtrum adiectis tam felicibus promiſſis illam recuſabit? Sed cauendum uobis eſt, ne uoſmet ipſos, quod omnium facillimum eſt, circunueniatis, dum ueſtrę uobis cogitationes perſuadent, paratos eſſe uos ad facultates ueſtras impendendas, quoties neceſſe fuerit, pro Chriſto. hoc nolim uobis ipſi credatis, niſi factis ipſis aliqua ex parte periculum faciatis, ſubuenientes pro uiribus ijs, qui ueſtra ope, ueſtrarum facultatum auxilio uarijs modis indigent. atque illud eſt, quod ego uos octauo ab hinc die adhortatus fui, ut omnes hoc loco pro facultatum ſumma in commune erogaretis, quod in pauperes, quos tanti fieri à Chriſto iam intellexiſtis, diſtribueretur. ſed cum uellem id à uobis totum confici, ut nihil mihi reliquum eſſet, niſi iucundo hoc ſpectaculo frui, uideo tamen neceſſarium eſſe, ut ego certum diem ſtatuam. quare opportunum eſſe iudicaui, vt ſequenti Dominico die negocium conficiatur, atque ut oblatio hæc magis grata Deo ſit (erit autem quo maior fuerit populi numerus) faciendum uobis
Apocal. eſt, quod in Apocalypſi admonemur, ubi dicitur, qui audit, dicat
22. ueni. accerſat ergo unuſquiſque ueſtrum alterum, & eum ſecum ducat, ut duplicato numero conueniſſe reperiamini. uolo præterea, non ſolum diuites, uerum etiam pauperes, huius beneficij (nam dantis maius eſt in eleemoſyna beneficium quàm accipientis) eſſe participes. nam ij plus erogare quàm diuites poſſunt. quod ne uobis fortaſſe paradoxum uideatur, audite quam tulerit in hac re ſen-
Mar. 12. tentiam Dominus. ſic enim ſcribit Marcus Euangeliſta. Sedens Ieſus contra Gazophylacium, aſpiciebat quomodo turba iactaret æs in Gazophylacium. & multi diuites iactabant multa. cum ueniſſet autem uidua una paupercula, miſit duo minuta, quod eſt quadrans, & aduocans diſcipulos ſuos ait illis. amen dico uobis, quòd uidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in Gazophylacium. omnes enim ex eo quod abundabat illis, miſerunt, hæc uerò de penuria ſua omnia quæ habuit miſit, totum uictum ſuum. Quã in re duo obſeruanda ſunt diligenter. unum, quòd diuites, quantumcunque largiantur, nunquam magni quicquam faciunt, donec uſque eò peruenerint, ut de indigentia ſua proferant. alterum, quòd

paupe-

pauperes habent, quo maximè lætentur, quòd uidelicet plura poſſunt quàm diuites offerre. diuites ergo plus debent, pauperes plus poſſunt. hæc enim eſt Chriſtianę philoſophiæ & Euangelicæ paupertatis felicitas. Adeſtote ergo ad decretam diem alacres & frequentes, atque ut promptiore animo accurratis, mementote uos eo die fœnerari Domino. fœneratur enim Domino (ait Salomon) qui miſeretur pauperis, uiciſsitudinem ſuam reddet ei. *Pro. 19.* audiſtis uerò dudum, quàm liberaliter reddere fœnus ſoleat etiam in hac uita. memento te rurſus uos ſeminaturos eo die. at, qui parcè ſeminat (ait Paulus) parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, hoc eſt, abundè, abundè & metet. *2. Cor. 9.* & quemadmodum cernimus, non pigere eos qui ſeminant, ſemen ſpargere, ſperant enim, fore, ut quo plus ſeminis ſpargunt, eò amplius ſint percepturi; ſic uobis hic faciendum eſt, & cogitandum, eis, qui parcè dederint, id damno ipſis futurum, qui uerò copioſè obtulerint, eos etiam copioſius percepturos. nam ueſtrum hoc totum eſt, exiguum enim admodum eſt quicquid in pauperes tribuitur, præ eo quod in ueſtrum lucrum cedit. quamobrem aiebat Paulus. non quæro datum ſed fructum abundantem in rationem ueſtram. *Phil. 4.* Videte uerò quàm multa, ſi ijs, quæ hodie à me dicta ſunt, aſſentiatis, bona uobis hinc proficiſcantur, particeps quiſque ueſtrum huius beatitudinis fit, cui regnum cœli promittitur. fit etiam frater Chriſti, qui pauperes tantum habere fratres dignatur. hoc quantum eſt? ita magnum, ut non dubitem quenque ueſtrum, ut magni alicuius regis frater fieret, non recuſaturum omnes opes ſuas profundere. præterea ingenti fœnore debitorem uobis Deum facitis. paratis uobis amicos, qui, cum defeceritis (quemadmodum ait Dominus) recipiant uos in æterna tabernacula. *Luc. 16.* denique remedium ſingulare eſt hoc aduerſus omnes huius uitę calamitates. ait enim quidam Sapiens. abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa exorabit pro te ab omni malo. *Eccl. 29.* Ad hæc tam felicia promiſſa, quis tam marmoreus eſt, qui non molleſcat? quis tam frigidus, qui non incaleſcat atq; inflammetur? quare ne in tanto rerum cardine ceſſes ciuitas mea Fulginea, neque tantam negligas tuæ felicitatis occaſionem. ego interea precabor, ut tibi generoſus animus, & ad optima quæque aggredienda paratus, è cœlo detur iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre, & ſpiritu ſancto eſt honor per imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO QVARTA.

Mat. 5. REPETENDVM eſt eadem mihi. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. multa enim adhuc reſtant dicenda, libetq; in plures dies illud diſtribuere, quod alioqui uno die dictum, & mihi laborem, meæ imbecillitati corporis non ferendum, & uobis faſtidium, ob nimiam copiam, quam locus ille animi noſtri ſtomachus non ferret, parere potuiſſet. nam & corporeo in ſtomacho idem uſu uenit, ut ſatius ſit in prandium & cœnam partiri, quod uno prandio acceptum damno potius quam utilitati eſſet. Aggrediamur ergo rurſus eadem uerba. *Beati pauperes ſpiritu*,
Pſal. 33. de quibus & propheta dixit. & humiles ſpiritu ſaluabit. in his ergo uerbis duo complexus eſt, & humilitatem & contemptum diuitiarum. nam alterum ab altero pendet. ubi enim quis ſubmiſsè ſe gerit, continuò ille habendi ardor extinguitur. cum hac humilitate diuitiæ nihil obſunt, ſine hac nihil paupertas prodeſt. atque hi ſoli Euangelici & à Chriſto commendati pauperes ſunt, quibus ſolis
Eſai. 61. miſſus eſſe uidetur. nam per Eſaiam ipſe ſic loquitur. Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus miſit me. quod ut impletum in ſe oſtenderet, reſpondit diſcipulis,
Mat. 11. quos Ioannes miſerat. ite & renuntiate Ioanni, quę audiſtis & uidi-
Luc. 7. ſtis. cæci uident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, pauperibus euangelizatur. Miram profectò horum pauperum felicitatem, quos ſolos tanta maieſtas curare uideatur. cæcum uerò hominum errorem, qui tantæ felicitati non inuideant. hæc ergo laudata à Domino paupertas, in humilitate domicilium habeat neceſſe eſt. neque unquam ſine humilitate diuitiarum appetitus poterit ſuperari. atque hinc fit, ut multi egeni ac inopes repe riantur, qui tamen ab hac beatitudine diſtant quàm longiſsimè, dum animum habent minimè ſubmiſſum, & cupiditatibus plenum. contra uero, plures reperias, qui ſint locupletiſsimi, neque tamen impediantur, quo minus inter hos beatos pauperes poſsint numerari. totum enim in animo conficitur. atque illud fortaſſe eſt, quod
Pro. 13. ait Salomon. Eſt quaſi diues, cum nihil habeat, & eſt quaſi pauper, cum in multis diuitijs ſit. In horum erat numero eximius

ille pa-

ille patriarcha Abraham, qui tametſi erat ditiſsimus, ſeſe tamen deijciebat, dicebatque. Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis. & re uera quid expetere magni audeat, qui ſe puluueri ac cineri intelligat comparari? iccirco aiebat ille ſapiens. quid ſuperbis terra & cinis? hanc appellationem obiecit Deus *Eccl.*10.
primo homini, cum vidiſſet illum cœpiſſe inſoleſcere. puluis es (in *Gen.* 3.
quiens) & in puluerem reuerteris. quicunque ita ſe deijceret, paupertatem mox toto animo amplecteretur. atque apud ſe ita cogitaret. quid diuitijs opus eſt? quid præter id, quod ad victum cultumque pertinet, eumque tenuiſſimum? quid pretioſa ueſte puluis ac cinis optat circundari? quid ſatellitio opus eſt pulueri & cineri? quid ſeruorum, quid equorum pompa? veſtietur auro terra & cinis? quid hoc abſurdi eſt? hoc cogitandum eſſet uobis uiris ac mulieribus, qui omne ſtudium, omnes labores ueſtros in hoc unum inſumitis, ut hunc puluerem ornetis, ut hunc cinerem honeſtetis. quænam ueſtrum mulieres pateretur ſummam auri impendi in aceruo aliquo pulueris ueſtiendo? multò minus ſtercoris. at corpora ueſtra quid aliud ſunt (ſit honos auribus) quàm vaſa ſtercorum? ſi enim enumerare velim, quæ atque ex quot partibus ueſtri corporis fœdiſſimæ ſordes prodeant, nónne ſtomachum nobis moueam? & tamen hoc cœnum (neque enim iam puluis appellandus eſt, neque cinis) has ſordes ita curamus, ita ornamus, ut nihil aliud curæ nobis eſſe uideatur. Sed miſerum me, quid nudius octauus accidit? impoſtor quidam (ſic enim rectius quàm monachus eſt appellandus) me nequaquam id permittente, concionari auſus, & illa Euangelij uerba interpretans, qui *Mat.*11.
mollibus ueſtiuntur, in domibus regum ſunt, vbi apertiſſime Do- *Luc.* 7.
minus appellatione mollium ueſtium omnem faſtum reprehendit, non ueritus eſt ſceleſtus adhortari uos & uiros & mulieres præſertim, ut pro conditione ſua unaquæque ſericis atque auro textis ueſtibus liberè vtatur. quibus tandem ſcripturę auctoritatibus? ego quidem lego Petrum, cum de mulieribus uerba facit, ſic dicentem. quarum ornatus non ſit extrinſecus plicatura capillorum, aut cir- 1.*Pe.*3.
cundatio auri, aut amictus veſtimentorum. Paulus uerò, mulie- 1. *Tim.*
res (inquit) in ueſtitu modeſto cum verecundia & caſtitate ornare 2.
ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, uel ueſte pretioſa, ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bo-

na.

na. Quàm parum atque adeo quàm nihil potius hæc curantur uerba illius apoſtoli, in quo loquebatur Chriſtus, perinde quaſi nihil ad ſalutem pertineant. Audiſtis quid Petrus, quid Paulus primates Apoſtoli admoneant, qui etiam ſanctas ſuperiorum temporum mulieres in exemplum adduxerunt, quæ ornabant interiorem atque abſconditum hominem. Sic enim quondam & ſanctæ mulieres (inquit) ſperantes in Deo ornabant ſe ſubiectæ proprijs viris. Videte uerò, quàm rectè ſuperioribus diebus dixerim, difficillimum eſſe inuenire, qui ſyncere verbum Dei tractet, & non potius cauponetur. de eiuſmodi enim ait Eſaias. caupones tui miſcent aquam vino, hoc eſt, deprauant doctrinę integritatem, atque corrumpunt. quare ne poſthac huius generis hominibus fidem habeatis, qui loquuntur placentia, quod idem Propheta reprehendit. ſed pro certo habetote, exactiſſimam à vobis exigendam in die iudicij eſſe rationem eorum, quę inaniter conſumitis, dum interea Chriſtus in pauperibus fratribus ſuis frigore fameque conficitur. audite enim, quid Iacobus Apoſtolus dicat. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs ueſtris, quę aduenient vobis. diuitię veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tinea comeſta ſunt. aurum, & argentum veſtrum eruginem traxit, & erugo eorum in teſtimonium vobis erit, & comedet carnes veſtras ſicut ignis. Iam redeundum erat ad uerba Euangelica, & quod reliquum eſt in eis dicendum. ſed vereor, ne nimis progrediatur oratio, atque impedimento ſit pręparationi nuptiarum, quam vobis nudius octauus imperaui. dies enim natalis Domini, pro quo iſta parantur, dies nuptiarum eſt, in quo prodit filius Dei noſtræ naturæ copulatus, & facti ſunt duo in carnem vnam, hoc eſt, Deus & homo vnus Chriſtus, vnaque perſona. huic tanto regi tantoque liberatori noſtro parantur hodie nuptiæ. hęc ſola cogitatio quid non impetrare à vobis debet? ſiquis princeps hanc vrbem è barbarorum manibus eripuiſſet, eſſentque illi parandę à vobis nuptiæ, nullis profectò pecunijs parceretis. at pro magno hoc liberatore, qui nos non à caduca, & mortali, temporariaque, ſed ab æterna captiuitate ac morte ſuo ſanguine liberauit, quid non eſt impendendum, ſi etiam nihil expectaretur aliud, tantum, ne pro tantis beneficijs eſſemus ingrati? nunc verò cum ęternam pręterea vitam nobis compararit, bonaque illa ineffabilia, ingratiſſimi profectò erimus, niſi generoſum aliquid

Eſai. 1. *Iac. 5.* *Gen. 2.*

aliquid hodie efficiamus. Vos autem in primis mulieres, quæ eſſe miſericordes ſoletis, ponite ante oculos ueſtros illum cœli regem viliſſimo in loco poſitum, illum, cuius munere expectatis, corpora veſtra ſpecie ac forma ſolem ęquatura. hoc quanti apud vos, quę tanti formam facitis, eſſe debeat, ſic cogitate. ſiquis alicui veſtrum, quæ hic cum aurea torque ac pretioſa veſte adeſtis, polliceretur ſe effecturum, ut omnes fœminas, quę vſquam in orbe omnium terrarum eſſent, pulchritudine ſuperaret, modo ea pręberet ornamenta, quibus obtecta eſſet, libentiſſimè conditionem acciperet, quamuis nullum certum vitę ſpatium polliceretur, quantò liberaliores erga hunc Dei filium eſſe debetis, qui tantam pulchritudinem, eamque ſempiternam vobis eſt donaturus? at uiros rurſus admonere, poſt tam multa per hoſce dies dicta, quę ijs etiam, quę ſenſu carent, ingenerare ſenſum debuiſſent, pudor eſt. ſed illud tamen addam, faciendum illis eſſe, quod Euangelicus Zachæus fecit, qui dimidium bonorum ſuorum dare pauperibus *Luc. 19.* non contentus, pro fraude quam facere potuiſſet, quadruplum reddidit. meminerint efficaciſſimum aptiſſimumque remedium ad abolenda peccata eſſe eleemoſynam. quòd ſi non aliud, certe admirandum illud exemplum, quod in Daniele legimus, admonere debet, vbi cum iam decreta à Deo eſſet ſententia, ut monar- *Dan. 4.* cha ille Nabuchodonoſor noua pœna afficeretur, dictumque illi eſſet, eijcient te ab hominibus; & cum beſtijs feriſque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, cęteraque, quæ ſequuntur, non dubitauit tamen Daniel adhortari regem, ut ſingulari hoc remedio eleemoſynę prohibere Diuinam vltionem conaretur. ſic enim dixit. Quamobrem rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. forſitam ignoſcet Deus delictis tuis. Cernitis ingentem eleemoſynę efficaciam, in qua pollicetur propheta, ſpem fore, vt decreta iam ſententia, per miſericordiam in pauperes poſſit reuocari? mirum pręterea, quòd tanta in re nullius alterius rei eum admonuerit, niſi eleemoſynę, quę ut ijs, qui in ea exercentur, maximo eſt ad ſalutem adiumento; ita qui eam negligunt, uidete, quid de eis dicat Salomon. qui obturat aurem ſuam ad clamorem *Pro. 21.* pauperis, & ipſe clamabit & non exaudietur. qui etiam alibi docet, eleemoſynam prodeſſe non ſolum ratione ſalutis animorum,

verum etiam hinc augeri opes, contraque, eos, qui non miſerentur pauperum, futuros in egeſtate. qui dat pauperi (inquiens) non indigebit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. Videte ergo, quantæ uos circunſtant neceſſitates faciendę eleemoſynæ, quot vos ſtimuli adigunt. vis Diuinam vltionem euadere? peccata tua eleemoſynis redime. vis in hac etiam uita diteſcere? da pauperi. vis non egere vnquam? ne deſpicias deprecantem. Agite ergo aggredimini me inſpectante hanc eleemoſynam. interea uerò, quia ſcio intuentes iſta angelos lætari, organorum modulator, angelicum hymnum in ipſis organis decantet. (hic facta eſt oblatio, qua peracta rurſum Epiſcopus dixit) Mos mihi parentum imitandus eſt, qui dum filios infantes ac teneriori ætate habent, etiam minima quæque eorum rectè facta laudibus efferunt, quibus in maiori ętate non eſſent contenti. ita mihi nunc eſt faciendum, dum teneri adhuc eſtis, atque in via Dei infantes. nam maiora, poſtea quàm grandiores euaſeritis, à vobis expectabo. Laudo itaque vos, atque hoc initium gratiſſimum habeo, ſatiſque pro ætatis huius ueſtræ ratione factum eſſe profiteor, & Deum opt. max. precor, ut mentem hanc ueſtram augeat, atque maiores in dies in Chriſtiana philoſophia atque Euágelica via progreſſus faciatis. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorùm. Amen.

ORATIO QVINTA.

RELIQVIAS huius admirandæ, atque, ut ſic dicam, paradoxæ beatitudinis, quas ſuperiori Dominico die conficere non potuimus, uobis hodie ſumendas proponimus, quo fiet, ut toto hoc ſacrato tempore, quo aduentus Domini Seruatoris celebratur, habueritis, unde inter Euangelicos pauperes uobis liceurit aſcribi, ut magis idonei ad Chriſti natiuitatem, qui cum diues eſſet, ut ait Paulus, pro uobis pauper factus eſt, excipiendam reddemini. age ergo rem aggrediamur. Diximus in illis Domini uerbis, *beati pauperes ſpiritu*, ſignificari & animi ſubmiſſionem, quam humilitatem trito uocabulo appellamus, & contemptum præterea diuitiarum,

diuitiarum, quòd ſcilicet interior animi paupertas exteriorem præcedat neceſſe eſt. Duas ergo (uidete enim huius loci diuitias) capitales peſtes, & omnium pernicioſiſſima uitia hic Dominus amputat, ſuperbiam uidelicet atque auaritiam, à quibus reliqua uitia omnia proficiſci conſueuerunt. nam de ſuperbia ſcriptum eſt, initium omnis peccati ſuperbia, de auaritia uero. radix omnium malorum auaritia, uel, ſicut in Græco eſt. φιλαργυρία, hoc eſt, ſtudium argenti, ſiue pecuniæ, quæ quantum mali hominibus afferat, addit apoſtolus, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Duo hæc mala orbem terrarum perturbant atque confundunt. nam à ſuperbia opum inſatiabilitas oritur, dum non ſolum æquare alios, uerum etiam ſuperare uolumus ſplendore uitæ & copia rerum. & tum demum aut potius tunc ſolum nos magnos exiſtimamus, cum ueſte pretioſa, ſatellitio, equis, latis ędificijs, atque eiuſmodi pompa iactare nos poſſumus. his ita intumeſcimus, ut eos, qui paupertate premuntur, nè homines quidem eſſe agnoſcamus. hinc lites implacabiles excitantur, atque infinita odia, hinc homicidia & cędes, hinc bella & urbium prouinciarumque direptiones. Eadem parit auaritia, atque his multo plura. nam odia, quę inter uos tam frequentia ſunt, diſſenſiones, murmurationes, oblocutiones ex hoc fonte, ſi rectè animum attenditis, plurimum oriuntur. forenſia item latrocinia, & miſerorum hominum deprędationes, & nunquam finiendę lites. ut ob hanc unam cauſam hominum uita reliquorum omnium animantium uita longè ſit miſerabilior. Iam uerò nundinæ illę eccleſiaſticę, quæ eccleſiæ Chriſti faciem ita deturpauerunt, ut nulla in ea reliqua ſit ſpecies neque decor, quam aliam ob cauſam, niſi auaritię gratia Chriſtianum orbem inuaſere? quid aliud nunc, cum epiſcopatuum, cum beneficiorum eccleſiaſticorum mentio fit, quid inquam cogitatur aliud, quàm prouentus, quàm pecuniæ? ut is epiſcopatus exiguus ſit, qui tenues fructus reddat, quamuis alioqui decies centena hominum millia regenda habeat, contra uerò, is magnus, qui ingentes reditus poſſideat, tametſi neminem habeat hominem, quem regat. ita pecunię obediunt omnia, quemadmodum Salomon ait. quod verò non minimum eſt malorum hinc proficiſcentium, ob hanc cauſam ipſi Chriſti fratres paſſim negliguntur, perinde quaſi ad humanam naturam non pertineant, cum

Eccl. 10.
1. *Ti.* 6.
Eccl. 10.

ij magis quàm reliqui omnes curandi eſſent, non ſolum quia magis indigent, verum etiam, quia tanti eos cernimus à Chriſto fieri, vt ſingulari præter omnes homines priuilegio, fratrum appellatione illos ſit dignatus. & cum diuites apud inſanum mundi errorem ſoli honorentur, in ſcripturis tamen ſacris diuites contemnuntur, arguuntur, deteſtationi ſunt. pasſim verò cura & fauor Dei in pauperes prædicatur. Audiſtis duarum harum ferarum rabiem, & damna, quę hominum generi afferunt, quas ſoli ij, qui huius beatitudinis participes fuerint, nempe pauperes ſpiritu conficere idonei ſunt. & profectò ſi nihil aliud afferret hęc prędicata à Chriſto felicitas, quàm tantarum tamque immanium belluarum necem, amplectenda toto animo atque omni mente eſſet. ſed videte atque admiramini quanta illi felicitas promittatur. quid ergo addit? *quo*

Mat. 5. *niam ipſorum eſt regnum cælorum*. Libet mihi hic vociferari cum pro

Pſal. 61. pheta. vani filij hominum, mendaces filij hominum, in ſtateris ſi ponantur, erunt pariter vanitate leuiores. Quid maius, quid beatius immenſo atque æterno cæli regno excogitari poteſt? & hoc promittitur huic beatitudini, nec ad eam aſſequendam toti incumbemus? quis veſtrum pro terreno regno non omnia libentiſſimè relinqueret? & pro cœleſti non ſaltem bonam bonorum noſtrorum partem erogabimus? miror ad hanc regni appellationem homines non commoueri, at in primis naſcentis eccleſiæ temporibus non erat in hominum animis tanta ſegnicies, ſed audita rei tantæ pollicitatione, facile omnia proijciebant. Cupio uos ciues mei hos Chriſtiano homine dignos mores induere, atque ob hanc cauſam

1. Ti. 1. ſæpe hortor, ut eleemoſynis dandis aſſueſcatis. nam cum finis præcepti, ut ait Paulus, ſit charitas, nullumque charitatis opus neque vtilius, neque gratius Deo facilè inueniatur, quàm in pauperes miſeratio, iccircò uolui, vt aliquod initium tanto bono ſtatueremus, ſuperiori Dominico die in medium pecuniam à uobis conferri, quod ſanè (Deo ſit gratia) optimè ceſſit, & plus multò quàm in hiſce principijs expectauiſſem, eſt collatum. non tamen iccirco velim exiſtimetis, quantum vel oportet, vel etiam opus eſt, à vobis eſſe factum. quantum enim hoc eſt, ad tam varias pauperum ne-

Mat. 22. ceſſitates? quas ex vobiſmet ipſis metiri poteſtis, atque adeo de-

Mar. 12. betis, ſi illud implere vultis, quod omnibus præcipitur, diliges

Luc. 10. proximum tuum ſicut teipſum. ſed vt dixi, pro inchoantium at-

que

que adhuc tanquam infantium ratione, abundè mihi ſatis eſſe factum profiteor. ſpero enim fore, vt, cum negocium repetetur, vos habiturus ſim longè paratiores atque alacriores. interea verò ceſſandum vobis non eſt, ne torpeſcant animi, ſed inſtaurandus mos, qui optimus erat, ſed hominum negligentia obſoleuit. extat enim in templo arcula, ad hoc vnum parata, vt ijs pauperibus, qui pudore deterrentur, ne palàm mendicent, inde ſuccurratur. in eam ergo poterit vnuſquiſque veſtrum, quoties & quantum placuerit, immittere, placeret autem, vt nunquam ille dies, quo verba ad vos facio, prætermitteretur. ſic enim cogitandum à vobis eſſet. paſtor noſter ſpiritale nobis conuiuium inſtruit, qui ſi poſtularet, vt aliquid ei, quotieſcunque id facit, ex facultatibus noſtris offerremus, facere profectò id deberemus. ait enim apoſtolus Paulus, ſi nos ſpiritualia vobis ſeminauimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus? at verò cum ipſe id minimè requirat, nón ne benefactori Deo, qui nobis priuatum hoc munus largitus eſt, vt non iam mercenarij, ſed paſtoris noſtri vocem audiamus, grati aliqua ex parte erimus, vt eo die quo verba facit, pro accepto ſpirituali alimento, aliquid impendamus, quo pauperes refocillentur? hoc ſi fiat ciues mei, exiguum atque adeò nullum potius incommodum vobis erit, & magnum inde emolumentum comparabitur. nam ſemper ita pecuniæ ſuppetent, vt nullus deficere ob inopiam inter vos poſſit. Dabimus pręterea operam, vt alius item mos inſtauretur, quę rendorum videlicet per vrbem panum, quod ab ipſis ciuibus veſtris fiebat, & rurſus cerno eos ad id munus obeundum paratiſſimos. Externus hic apparatus maxima erit interioris componendi hominis occaſio. corda enim veſtra, quæ hactenus duriuſcula ad amandum inter vos viſa ſunt, mollientur. ceſſabunt iurgia & lites. multi erunt, qui pacificationem inter diſſidentes accuratè tractabunt. agnoſcetis eſſe vos omnes fratres, atque vnius corporis membra, eius nimirum, qui iam iam naſciturus expectatur, ad cuius aduentum quàm oportet uos omnes expurgatis per exhomologeſim conſcientijs, & ornato interiori homine eſſe præparatos? cogitate enim, ſi magno alicui regi nobis eſſet occurrendum, ſi etiam nihil ab eo neque accepiſſetis, neque expectaretis, regia tamen dignitas ac maieſtas ipſa per ſe inuitaret, ut ſolennem omnem pompam, quantam poſſetis maximam, inſtrueretis. at cum

1. Cor. 9.

excipiendus

Phi. 2. excipiendus ſit rex regum & Dominus dominantium, cui cœleſtia, terreſtria, atque inferna flectunt genu, qui uobis omnia, ſiue quę ad corpus, ſiue quæ ad animum pertinent, bona eſt largitus: qui præterea, ò profuſam liberalitatem, ipſe ſe ad uos demiſit, ac pro ueſtra omnium ſalute genus mortis perpeſſus eſt teterrimum ac crudeliſſimum, neque hoc contentus, vitam illam eſt pollicitus ſempiternam. tanto ac tam benefico regi non omne officij munus conabimur exhibere? Sed heu miſerum me. rem audiui, quę gaudium omne, quod ex hac ueſtri profectus ſpe conceperam, in luctum mœroremque conuertit. ſignificatum enim mihi eſt, maximam ciuium partem, ſacratiſſimam noctem illam, qua omnium miraculorum maximum factum eſt, atque adeo quod ſolum mihi videtur eſſe miraculum, cum videlicet Deus naturæ noſtræ copulatus ex utero virginis prodiit, noctem inquam illam inſomnem ducere non ut precationi gratiarumque actioni, quod decebat, ſed ut aleis, reliquiſque indecoris ludis & compotationibus etiam ac crapulæ operam dent. O' facinus infandum, ò barbaros mores, ò horrorem, qui animum meum occupauit, atque ad extremos uſq; (quod dicitur) pedum vngues fecit contremiſcere. ubi nam quæſo gentium eſt hæc ciuitas educata? apud quas barbaras gentes iſta didiciſtis? ſi Bacchanalia agenda eſſent, fieri ne poſſet aliquid magis indecorum, magiſque diſſolutum? nullà ne differentia ſtatuetur inter natalem Chriſti, & Bacchanalium diem? quo tempore is naſcitur, qui tollit, atque ob hanc cauſam, ut tollat peccatum mun-

Ioan. 1. di, eo ipſo tempore peccato magis (ſic enim audio) quàm reliquo

Luc. 2. anni tempore opera dabitur? qua nocte cantarunt Angeli, gloria in altiſſimis Deo, ea nocte tanta Deo ignominia pro gloria irrogabitur? qua nocte cecinerunt, in terra pax, in hominibus reconciliatio, id enim ſignificat bona uoluntas & *εὐδοκία*, ea ipſa nocte bellum inferemus Chriſto, & tanti faciendam reconciliationem contemnemus? quomodo ferre hoc poteſtis? uix intra me ſum, cum cogito, qui fieri poſſit, ut hæc ciuitas, alioqui bene morata, tot ſeculis tantam barbariem, tamque impios mores tolerauerit. Occurrendum omnino eſt tanto errori, aut potius tanto ſceleri, ne ira Dei, quem experti eſtis iandudum ueſtris peccatis irritatum, magis exardeſcat. nam hactenus incogitantię, qnanquam ſupina nimis fuit, ſed ei tamen, quicquid peccaſtis in hac re, referri acce-

ptum

ptum potuit. nunc uerò poſtea quàm rei tam nefariæ eſtis admoniti, ſi rurſus ad eadem reuoluamini, longè maioris criminis rei eſtis conſtituendi. Atque illa una quidem res idonea eſſe deberet, ad uos reuocandos, quòd ſcilicet iſta facientes, in Seruatorem ueſtrum eſtis iniurii, ſed tamen pœnarum metus in minus ſubiectos eſt adhibendus. quare uelim ut magiſtratus publicè ſignificari faciat per vrbem totam, nequis ea nocte eiuſcemodi luſibus operam det, quod qui fecerit, pœna in eum pecuniaria ſtatuatur, quę pecuniæ in vſus pauperum epiſcopi arbitrio ſint diſtribuendę. Hebręis quidem, qui ſingulis annis (ut audio) inſtrumenta ludendi maximo cum eorum lucro, ante Dominici natalis diem in urbem hanc ferre ſolent. heu miſerandam ſortem noſtram, propter Chriſtianos Chriſti nomen inter eos male audit. quid enim dicturi de nobis, quid de fide noſtra ſunt iudicaturi? nónne ſomnia eſſe & deliramenta res noſtras? iis ergo Hebræis mandaui, ne inferre audeant illa ludorum inſtrumenta, alioqui amiſſuri ea, & ſummam præterea pecuniæ perſoluturi. ſed metus eſt, ne aliqui ex noſtris, longè Hebręis ſceleratiores, dolosè ea introducant. iccirco præcipiendum etiam eſt, nequis ea uendat, aut emat, & uenditoribus atque emptoribus item pœna decernatur. Ego interea non deero officio meo, & ijs armis, quæ epiſcopo ſunt conſentanea, vtar in tanti ponderis negocio. & quidem inuitus hoc facio, neq; unquam vellem in has anguſtias coniici exercendę ſeueritatis, ſed tam neglectus Dei ac Domini mei honor ita iubet. & quia res eſt non contemnenda, moneo, ut iis, qui abſentes ſunt, hæc, quæ nunc facturus ſum, ſignificetis. Ea ergo auctoritate, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus huic epiſcopali in primis muneri adeſſe voluit, cum dixit, quęcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, denuntio execrationem ijs, qui ſacratiſſimam illam noctem in luſus & conuiuia inſumpſerint, ut nihil unquam proſperi euentus ſecuturo anno expectent, quoties noctem illam tantis probris afficiunt. Verum obſecro te ſumme Deus auoca huius ciuitatis animos ab his uitiis, eoſque ad te conuerte, ut pro execratione iſta, dum ſanis conſilijs obtemperant, vberrimam à te benedictionem accipiant. hi præſertim, qui hic aſtant, quos mihi nunquam perſuadebo commiſſuros, ut poſthac in hunc errorem pertrahantur. Horum autem malorum ciues mei, & quòd tam abſurdos tamque monſtroſos.

Rom. 2

Mat. 18.

monſtroſos mores ne uitioſos quidem eſſe intelligitis, tota in eo cauſa eſt, quòd videmini nunquam cogitaſſe, quid Chriſtianũ hominem, qualémue eius eſſe vitam deceat. quod facile ſciremus, ſi apoſtolicis pręceptis atque adhortationibus aſſueſcere curaremus.
1. Cor. 7. Videte enim quid Paulus nos admoneat. cum timore & tremore veſtram ipſorum operantes ſalutem. vbi timor ac tremor eſt, nullus profectò ludis locis que eſt locus. & alibi, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus enim propè eſt. accinctus ergo ſemper eſſe vir Chriſtianus debet, ne tanti regis repentinus aduentus, minus eum paratum offendat. iccirco adiecit, nihil ſoliciti ſitis. ſed in omni oratione & obſecratione cùm gratiarum actione petitiones veſtrę innoteſcanr apud Deum. Iubet Paulus, vt nulla humanarum rerum, etiam earum, quę neceſſarię uitæ hominum ſunt, ſolicitudine afficiamur, nequid ſit impedimento, quo minus totos nos Diuinarum rerum cogitatio ſibi vendicet. & tolerabimus conterere & diſperdere ludendo & iocando, tempus, quod tantis tantique ponderis rebus eſt aſsignatum? non meminiſtis, ſcriptum eſſe, vitam hominis militiam eſſe, & continuam nos colluctationem habere, non cum carne & ſanguine, hoc eſt, cum hoſtibus, qui hiſce corporeis oculis cernantur, ſed cum inuiſibili exercitu, qui ſine vlla mora, ſine ulla requie, noctes ac dies infandis nos inſidijs ſtudent circumuenire? Si in aliquo pręlio eſſe contingeret, ubi de uita ageretur, atque eodem tempore ad luſus inuitaremini, nullus proculdubio inuitantem audiret, ſed inſanum eum arbitraretur, qui tam periculoſa in re de luſu cogitaret. at tota vita pręlium nobis continuum eſt cum Dęmonibus, cum mundo, cum carne, agiturque æterna uel ſalus vel perditio, & delectabit in tanto periculo ineptire? Quare mutate ſententiam mihi credite, & deſinite pueri eſſe ſenſibus, quorum peculiare eſt leuia & ludicra tractare, & factis grauibus, ac Chriſtiano homine dignis aſſueſcite. ſic enim & iratum his ſceleratè factis Deum placare licebit, & bona immortalia tutò expectare, iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Phi. 4. — *Iob. 7.* — *1. Cor. 14.*

ORATIO SEXTA.

QVOD heri faciendum nobis erat, niſi ſolennis res Diuina, quę totum penè diem ſibi vendicauit, fuiſſet impedimento, hodie iuuante Deo præſtare conabimur. & fortaſſe multi ex vobis expectant, vt poſt abſolutam primam beatitudinem, alteram aggrediar, videlicet, *beati qui lugent*. ſed natalitius Domini dies non ad luctum, ſed ad lætitiam inuitat. audita enim eſt vox exultationis & ſalutis in tabernaculis peccatorum, quando is natus eſt, qui peccatum mundi ſublaturus è medio eſt. Quanquam tribus mihi affectibus hodie vtendum video, ſtupore, gaudio, & luctu, ne beatitudo, quam proximè ſumus tractaturi, intacta omnino relinquatur. Et ſtuporem quidem facit rei magnitudo, quæ tanta eſt, vt omne miraculum ſuperet, atque adeo nihil aliud præter hoc miraculum queat appellari. nam hæc mundi fabrica, cœli, terræ, ſolis, lunæ, ſtellarum, & reliquarum rerum creatio, angelorum item atque hominum, magna quidem res eſt, mortuorum quoque reſurrectio, & expectata noſtrorum corporum gloria. verum ſi horum auctorem conſideremus Deum, cuius poteſtas, teſtibus etiam ethnicis, immenſa eſt, & finem non habet, quid eſt mirandum, ab infinito finita iſta eſſe facta? at eum, qui infinitus eſt, finiri, & circunſcribi, hoc vnum mihi videtur eſſe miraculum. Ieſus Chriſtus filius Dei, is, qui in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, is, per quem omnia facta ſunt, naſcitur in Bethlehem Iudææ. Virgo parit, Deus naſcitur, & in ſtabulo naſcitur, collocaturque in pręſepio. O ſtuporem, ò miraculum. hoc mentem omnem ſuperat, hoc naturæ omnis limites tranſilit. incomprehenſa illa maieſtas puluerem non eſt auerſata, quæ ſi purgatis illis mentibus voluiſſet copulari, vt quæ naturę eſſent viricinioris, non tantam peperiſſet admirationem, ſed cineri ac puluerí permiſceri, hoc multò eſt admirabiliſſimum. Sed quęrat fortaſſe aliquis, cur non angelos apprehenderit (vt ait Paulus) ſed ſemen Abrahæ. Difficile quidem eſt hæc perueſtigare. quis enim nouit mentem Domini, aut quis particeps eius conſiliorum fuit? ſed tamen non auerſatur Deus curioſitatem, quæ cum pietate coniun-

Matt. 5. *Pſa. 117.* *Matt. 2.* *Ioan. 1.* *Luc. 2.* *Heb. 2.* *Rom. 11.*

Gen. 1. cta ſit. quare aliquid hac de re perquiramus. Ante hominem conditum, duplicem Deus mundum creauerat, alterum inuiſibilem, alterum qui aſpectibus ſubiectus eſſet. nam primum quidem virtutes angelicas ac cœleſtes excogitauerat, vt eſſent quaſi ſecunda lumina, ac ſplendores, primi luminis miniſtri. atque hic mundus ſine corpore & ſola mente conſtans appellari poteſt. at poſtquam prima hæc rectè habere Deo viſa ſunt, mundum alterum meditatur materia plenum & corpore, videlicet globum iſtum, qui cœlo conſtat & terra, & ijs, quæ interiacent media. laudabile quidem opus in ſingulis etiam quibus que naturis eius, ſed longè laudabilius coaptatione omnium inter ſe, atque concentu, dum aliud alij pulchrè reſpondet, & omnia omnibus in vnam mundi perfectionem. Duplex itaque hic mundus, hoc eſt, ſpiritualis, corporeaque natura, tanto à ſe ipſis diſiunctę interuallo, intra proprios terminos conſiſtebant, & artificis verbi magnificentiam prę ſe in ſeipſis ferebant, taciti laudatores maieſtatis. nam & cœli vocem ſuam habent, Pſal. 18. de quibus ſcriptum eſt. cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Sed nondum erat ex vtriſque facta coniunctio, neque contrariorum mixtura, quo fieret ſapientiæ maioris ſignificatio, & ubertatis elegantiſſimę circa naturam. neque enim hactenus omnes diuitiæ bonitatis notæ fuerant. Volens itaque artifex uerbum id palam facere, & ex vtriſque, in-Gen. 2. uiſibili inquam natura atque viſibili animal unum conſtituere, hominem fingit, & à corporea quidem materia, quę iam extabat, corpus accipiens, per ſeipſum verò uitam inſpirans, hoc eſt, plenam intellectu animam, & imaginem Dei, uidit hominem tanquam alium quendam eſſe mundum, magnum in exiguo corpore ſimulacrum in terra, angelum alium, adoratorem mixtum, contemplatorem huius uiſibilis fabricę, regem eorum, quę in terra ſunt, qui tamen & ea, quę ſola mente percipiuntur, intueri contemplatione interdum poſſit. terrenum & cœleſtem, temporis atque ęternitatis participem, uiſibilem & inuiſibili mente inſtructum. terminus verò huius myſterij erat, vt Deus fieri poſſet, ſi ad Deum aſpiraret. Iam agnoſcere incipitis, cum tanti eum Deus fecerit, atque hoc priuilegio hodierni myſterij illum præ cęteris honeſtauerit. Hunc Gen. 2. Deus hominem in paradiſo collocauit, propria uirtute ac libertate honorans. data eſt huic lex, quæ quaſi materia fieret ei, qui

qui ſui iuris eſſet. erat autem lex, præceptum ex quibus plantis percipere ſibi fructus licuiſſet, & quæ non eſſet tangenda arbor. Vt uerò inuidia Diaboli & mulieris lapſu oblitus eſt homo præcepti, & ſuperatus eſt ab amaro illo guſtu, pariterque à ligno uitæ, à paradiſo, à Deo exul effectus eſt ob culpam. iam pelliceam ueſtem induitur, ſymbolum fortaſſe craſſioris carnis, & iam morti obnoxiæ ac reluctantis. Multis uerò modis primum eruditus homo pro ſceleribus multis, quæ malitiæ radix germinauerat, diuerſis in cauſis inquam eruditus atque temporibus, ratione, lege, prophetis beneficijs, minis, plagis, aquarum eluuionibus, incendiis, bellis, uictoriis, prælijs, ſignis è cœlo, ſignis ex aëre, ex terra, ex mari. hominum, vrbium, gentium improuiſis mutationibus, à quibus ſedulo poterat conteri peſſima quæque malitia. demum fortior adhibenda fuit medicina, ubi grauius morbo laborari cœptum eſt, mutuis cædibus, adulteriis, periurijs, inſaniis, et, quod omnium ſupremum malorum & primum eſt, ſimulacrorum cultu. Vbi ergo maiore hęc egebant auxilio, nimia Dei benignitate maius illud acceperunt. id uerò fuit ipſum Dei verbum, verbum, inquam, ante ſecula, inuiſibile, incomprehenſum, incorporeum, principium de principio, lumen de lumine, fons uitę & immortalitatis, effigies expreſſa, ſigillum immotum, immutabilis imago, ratio patris & definitio. Hic inquam ad imaginem ſuam accedit, & carnem ferre ſuſtinet propter carnem, & humanę animę propter meam animam permiſcetur. egreſſusq; eſt ex virginis vtero Deus cum eo quod aſſumpſerat. O' nouam permixtionem, ò admirandum temperamentum. is, qui eſt, fit, rerum auctor in rerum ordinem redigitur, incomprehenſus comprehenditur, qui alios ditat, pauper efficitur, & carnem meam mendicat, ut ego illius Diuinitate ſim diues. Et hæc quidem atque eiuſmodi ſunt, quæ ſingularem nobis parere admirationem debent. gaudiorum uerò non minor nobis copia ſubminiſtratur. quam rem & ipſe angelus intelligens, alloquens paſtores dixit. annuntio uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt hodie uobis Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Verè gaudium magnum, de quo & propheta Eſaias multò ante cecinerat. Lætabuntur (inquiens) in te, ſicut qui lętantur in meſſe, ſicut exultant uictores capta prędа, quando diuidunt ſpolia.

ibidem. *Mat. 1.* *Luc. 2.* *Luc. 2.* *a. 9.*

lia. & cur iſta? ſequitur. iugum enim oneris eius, & uirgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in Die Madian.
Iudic. 7. Pulchrè ſanè belli in Madianitas meminit, qui Diuina potius quàm humana manu fuerunt ſuperati. ſic Diaboli imperium in homines
Eſai. 9. Diuina Chriſti uirtute ſublatum eſt. quando paruulus natus eſt nobis, nempe homo, & filius datus eſt nobis, Deus uidelicet. Si in barbarorum, crudeliſſimorumque hominum aliquot annos poteſtate fuiſſemus, à quibus varijs modis uexati atque afflicti eſſemus, contingeretque ab eorum manu liberari, quanta geſtiremus lætitia? quàm ingenteis liberatori gratias haberemus, ac pro uiribus referremus? at hic ab æternæ mortis faucibus, æternique exilij damno, à Diaboli immani ſæuitia crudeliſſimaque tyrannide erepti, quo exultare gaudio, in quas gratiarum actiones erumpere non debemus? Gaudeamus ergo, ſed in Domino, nam gaudia, in quibus hactenus hæc ciuitas ſe hiſce diebus exercuit, maximis lacrymis & luctu digna ſunt, ut quæ in tanti benefactoris, tantique liberatoris ignominiam contemptumque ſint facta. Sed obſeruemus
Luc. 2. angeli uerba, quæ ſequuntur. & hoc uobis (inquit) ſignum inuenietis infantem faſcijs inuolutum & poſitum in præſepio. Nihil exiſtimandum eſt in tanti regis natiuitate fieri temere uel dici. cur ergo infans, qui prodire potuiſſet eloquentiſſimus, inueniendus ſignificatur? cur faſcijs inuolutus? cur poſitus in præſepio? hęc profectò conſideratione ſunt digna. Videamus ergo. peccauerat homo, primus noſtri generis parens, & peccati conſcius, ubi
Gen. 3. primum uocem Dei audiuit deambulantis in paradiſo, abſcondit ſe à facie eius inter arbores paradiſi. hic uerò cum uenerit filius Dei, ut mundum reconciliaret patri, ne metu redargutionis ab eius præſentia reſiliremus, infans, hoc eſt, qui fari neſciat, naſci uoluit. & ne, non ſolum obiurgationes, ſed neque uerbera metueremus, & expulſionem, quemadmodum primo homini accidit, manus pedeſque ligari ac faſciis inuolui ſibi paſſus eſt. & quia plerunque ædificiorum magnificentia & ſplendor deterrere homines ſolet, etiam hoc abſtulit impedimentum, & naſci in ſtabulo, collocarique in præſepio noſtri cauſa non eſt dedignatus. Quiſquis ergo ueſtrum grauiori peccatorum mole ſe depreſſum ſentit, occaſionem hanc adeundi arripiat, dum nihil eſt formidabile, dum opportuna omnia, dum non ſolum verberum, ſed ne verborum quidem

dem ac minarum vllus eſt metus. Sed eſt adhuc quod in Euangelica lectione contemplemur. ſequitur enim. & ſubito facta eſt cum *Luc. 2.* angelo multitudo militię cœleſtis laudantium Deum & dicentium: gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Miram Euangelicæ philoſophiæ nouitatem. quę obſecro gloria eſt Deo, dum unigenitus ille, per quem omnia ſunt facta, ita *Ioan. 1.* ſe demittit, ut nouiſſimus hominum uideri poſſit? ingens profe- *Eſa. 53.* ctò in hac parte gloria in Deum redundat, ſed à mundo ea ignoratur, qui ubi ueræ glorię ſedes ſit, non intelligit. quanquam exemplo eorum, quæ fieri ab hominibus interdum ſolent, hoc non erat difficile intelligere. nam ſi rex quiſpiam ſubiectorum ſibi populorum ſtudioſus, ita in eorum ſalutem incumberet, ut extrema quęque pateretur, dignum eum, qui ſummis omnium uocibus & laudibus efferretur, iudicaremus. cernimus prӕterea amantium morem eum eſſe, ut, cum amati cauſa aliquid patiuntur, quod ignominiæ illis eſſe uideatur, in ea re delectentur, ac ſibi placeant. ſic nimirum ingens Deo gloria accedit, qui ueluti indulgentiſſimus pater, atque adeo longiſſimo interuallo ſuperans omnem etiam amantiſſimorum parentum amorem, ut nos tanquam humi iacentes erigeret, iuſſerit filium ſuum ad humilitatem noſtram ita uehementer ſeſe deiicere, quæ res pacis & reconciliationis euidens fuit ſignificatio. iccirco adiectum ab angelis fuit, in terra pax, cum antea inter Deum & homines ingens bellum interceſſiſſet. In hominibus bona uoluntas, in Grӕco eſt εὐδοκία, quod hoc loco idem eſt, quod reconciliatio. Deus (inquiunt) infenſum hactenus ſibi genus hominum reconciliare in gratiam vult. Hoc quanti ſit æſtimandum, uos ipſi exemplo cogitate. ſi enim uobis cum Paulo pont. max. cuius imperio ſubiecti eſtis, implacabiles inimicitiæ interceſſiſſent, deinde condonatis uobis grauiſſimis quibuſque iniurijs, uos in amicitiam reciperet, & donis quàm plurimis ciuitatem iſtam honeſtaret; tanti profectò à uobis fieret iſta reconciliatio, ut huic bono nullum æquari aliud poſſe exiſtimaretis. in hac uerò reconciliatione, quæ non momentaneum aliquid ſecum affert, ſed ipſam ęternitatem, ut ab ęterno exilio ad ſempiternam gloriam ſimus reuocati, ſi ingrati fuerimus tantis muneribus, centies repetita Geenna erimus digni. Optarem equidem hic ſiſtere orationem, ne per hoſce dies quicquam à me aliud, quàm lætitiæ uerba audiretis.

audiretis. ſed cogor illud adiicere, cur in hoc tanti gaudij tempore mihi ſit etiam lugendum. video enim tantum abeſſe, ut homines hæc bona, quæ tanta ſunt, ut complecti ea nullus animus queat, agnoſcant, atque intelligant, quid hi ſacri feſti dies uelint, ut nullo unquam tempore ad luxum & uoluptates habenas magis laxent. epulis nunc & conuiuijs, ſi unquam aliâs, quàm maximè opera datur, quæ laſciuiæ omnes & diſſoluti mores comitantur. in ludos & iocos noctes & dies inſumuntur, ubique tripudia, ubique choreæ, quibus iam iam urbs implebitur. pecuniæ, quæ cum Chriſto dandæ ſunt, nuſquam reperiuntur, nunc in ueſtes & ſuperfluos ſumptus conſumentur ac profundentur. Quid prodeſt nobis doctorem è cœlo habuiſſe Ieſum Chriſtum Dei filium, ſi nihilo moribus ac factis noſtris ab ijs diſtamus, atque adeo ijs ſumus deteriores, qui Veneres, Priapos, Phallos, & Ithyphallos pro Dijs venerabantur atque adorabant? Reuocemus ad memoriam illa

Eſa. 60. tempora, quando tenebræ (ut prophetę utar uerbis) operiebant terram, & caligo populos, nulla immortalitatis erat certa ſpes, ignorabatur, num Deus humana curaret, nulla ſperabatur poſt hanc uitam merces, cum dicebant, edamus & bibamus, cras enim moriemur. & agnoſcamus hanc mutationem dexteræ excelſi, cum ſplendor Domini & claritas circumfulſit nos, & gloria eius in no-

Luc. 10. bis eſt uiſa. Hanc ob cauſam aiebat Dominus. beati oculi, qui uident, quæ uos uidetis, &, multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quę uos uidetis. & non uiderunt, & audire quæ uos auditis, & non audierunt. Non agnoſcimus tantam tamque profuſam erga nos Dei liberalitatem, non agnoſcimus dignitatem noſtram. nos uinculum uniuerſi, quod dudum dicebamus, qui mundum utrunque viſibilem, atque inuiſibilem circumplectimur, qui cum peccamus, atque à ratione ac mente recedimus, tam inſignem tamq; admirandam connexionem rumpere non ueremur. nos ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti, quorum uſibus, ſol, luna, ſtellæ curſu indefeſſo famulantur, quorum gratia cœlum, terra, & omnia quę in eis ſunt, fuerunt creata, ita ingrati tam munifico Domino ſumus, ut ſoli nos, quos tamen ſolos curare uidetur, ei iniurij ſimus, eumque auerſemur, tantum abeſt, ut ullam ei referre gratiam cogitemus. Ecquis enim noſtrum eſt, qui operam det, ne maieſtas illa ita de nobis merita, tam apertis iniurijs afficiatur? cum cer

nimus

nimus ubique odia, inimicitias, rapinas, blaſphemias, breuiter ſcelera omnia graſſario, habet hæc ciuitas tot accuſatores quot homines, quoties mutuis ſimultatibus eſt concertandum. Chriſtus neminem habet exploratorem, qui blaſphemos obſeruet, atq;, quemadmodum à nobis ſuperioribus diebus fuit conſtitutum, denuntiet, atque accuſet. non eſt qui diurnos nocturnosq; labores meos miſerari curet, qui ſe mihi comitem prębeat, ut penè cum Elia dicere poſsim, relictus ſum ego ſolus. Scio non poſſe tam corruptos 3. Reg. 19.
tam perditos mores uno die inſtaurari. at uos ſaltem, qui huc frequentes conuenitis, ab ijs, quæ hodie repræhendimus, abſtinete, uiri ac mulieres. hoc enim pacto reliqui qui immoderatiores ſunt, ueſtro exemplo ab illa inſania ſuo tempore reuocabuntur. dum alij tripudijs & choreis tanquam furentes debacchātur, uos dicite cum beatis illis paſtoribus. tranſeamus uſq; Bethleem & uideamus hoc Luc. 2.
uerbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. agnoſcite, ut iumenta ratione prędita, pręſepe Domini ueſtri, qui iccirco in pręſepio uoluit collocari, ut cibus nobis fieret, qui comparati eramus iumentis inſipientibus, & ſimiles illis facti. quot alij pecunias miſerè in animorum & corporum damnum diſperdunt, totidem uos in utriuſque partis ſalutem ſempiternam ad Domini ueſtri præſepe comportate. arca uerò illa, quam ſuperioribus diebus è regione poſitam uobis oſtendi, pro pręſepio ſit. quid enim in Domini præſepio, niſi illius humilitas paupertasque obſeruatur? at in arca iſta idipſum uobis eſt attendendum, quę iccirco ibi eſt poſita, ut miſerandis Chriſti fratribus, atque adeo ipſi Chriſto, qui, quod in eos erogatur, ſe in eis accipere profitetur, ueſtra miſeratione ſuccurratur. Hoc ſi à uobis fiet, nec me quotidiani laboris mei pœnitebit, & uobis ac toti ciuitati ſalus parabitur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre, & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORA-

ORATIO SEPTIMA.

QVAE ratio effecit, ut uerba, quæ in Seruatoris Chri-
ſti natiuitate facienda à nobis erant, in alterum
diem transferrentur, eadem coëgit, ut quę de ſolen
ni Eppihanię feſto die nudius tertius dicenda erant,
in hodiernum diem differremus. nam tantorum
myſteriorum, quæ uel angelos ipſos & cœleſtes illas mentes rapere
in admirationem poſsint, maieſtatem pręterire ſilentio piaculum
eſt, præſertim hoc tempore, cum paſtorum incuria hi feſti dies ita
in luxum & laſciuias impenduntur, ut ne nominis quidem ſignifica
tio, quid uelit, intelligatur, nedum ut myſteriorum, quibus ple-
ni ſunt, theſauri agnoſcantur. Hęc ergo celebritas propriè noſtra
eſt, qui ex ethnicis ad fidem Chriſti conuerſi ſumus. Chriſti enim
natiuitas, quamuis & nobis profuit, Iudęorum tamen in primis
Rom.17. eſſe debuerat. ait enim Paulus, Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe
circuncisionis, propter teſtamentum Dei ad confirmandas pro-
Mat.15. miſsiones patrum. atq; iccirco ipſe Dominus dixit, non ſum miſ-
ſus niſi ad oues, quę perierunt, domus Iſraël. ſed hic dies totus
noſter eſt, quo Chriſti ſummi regis natiuitas ethnicis hominibus
fuit declarata, & ob hanc cauſam dicitur Epiphania. quæ dictio
Gręcis quidem propriè ſignificat ſuperficiem, quòd ſcilicet in re-
bus, quæ hiſce corporeis oculis cernuntur, ſola ſuperficies conſpi-
cua ſit, atque appareat, quare ab apparendo nomen accepit. ſed
quia noua ſtella apparente, Chriſti Dei noſtri natiuitas fuit gentibus
declarata ac demonſtrata, ideo Epiphania hic dies appellatus eſt, à
uerbo ἐπιφαίνω, quod eſt, demonſtro. nam Latina eccleſia amat
in myſterijs noſtris uti Græcis uocibus, tanquam ornatioribus.
Mat.2. Quòd uerò eos uiros, quibus obſeruata ſtella illa fuit, Matthæus
Euangeliſta Magos uocat, ne putetis maleficos illos fuiſſe. nam
quos noſtri, hoc eſt, Latini appellant Sapientes, ij à Chaldęis Ma-
gi uocantur, ſicut ab Hebræis Scribæ uel Rabbini, à Gręcis Philo-
ſophi, apud Gallos olim Druidę uocabantur. pro regionum ergo
uarietate uariant etiam appellationes. hos autem Magos Chalci-
dius Platonicus in eo libro, quo Timæum Platonis interpretatur,
Chaldęorum ſapientes appellat in hæc uerba. Eſt quoque alia ſan-
ctior

ctior & uenerabilior hiſtoria, quę perhibet, ortu ſtellę cuiuſdam non morbos morteſque denuntiatas, ſed deſcenſum uenerabilis Dei ad noſtræ conſeruationis & humanarum rerum curam, quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldęorum profectò ſapientes uiri, & conſideratione rerum cęleſtium ſatis exercitati, quęſiſſe dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa maieſtate puerili, ueneratiI eſſe, & uota Deo tanto conuenientia nuncupaſſe. hęc ille. Cur uerò hi Magi aſpectu nouę huius ſtellæ regem intellexerint natum, dignum qui ab ipſis adoraretur, & cuius ipſi ſe ſubijcerent imperio, uidentur admoniti fuiſſe ueteri prophetia, quæ ait. Orietur ſtella ex Iacob & conſurget uirga ex Iſraël. hunc ergo, *Num.* 24 cuius natiuitas tam egregio ſigno eſſet honeſtanda, arbitrati ſunt, id quod erat, omnibus gentibus imperaturum. quare alacres conſpecta ſtella iter arripuere longiſsimum. quorum alacritas inertiam noſtram atque ſegniciem arguere poteſt, qui in tantæ ueritatis agnitione, tantaque rerum luce nunquam par ſtudium præ nobis, paremque pietatem tulimus, prę ſertim cum illi nihil aliud in illius ſtellæ uiſione uideantur intellexiſſe, quàm natum regem, qui gentibus imperaret, nihil de ſpirituali redemptione, de noſtrorum corporum reſurrectione, deque animę immortalitate, de ęternorum bonorum pollicitatione edocti. & tamen in hoc egregio facto induſtriam omnem noſtram ſuperarunt, quibus hęc myſteria penè cum lacte nutricis hauſiſſe contigit. Verum quod ad ſtellę rationem pertinet, ſcio multis eſſe perſuaſum, iiſque doctiſſimis etiam uiris, ſtellam ipſam totius itineris ducem Magis fuiſſe. uerùm ſi Euangeliſtę uerba accuratius intueamur, non ita eſt, quę *Mat.* 2. res horum Magorum fidem magis commendat, qui tantum conſpecta in oriente ſtella, tam ingens iter aggredi non recuſauerunt. uidete enim ipſa Euangelicę hiſtorię uerba. Hieroſolymam ingreſſi Magi, arbitrati ſe in regia urbe regem natum reperturos, inter alia dixerant. uidimus ſtellam eius in oriente. & paulò poſt. & ecce ſtella quam uiderant in oriente. qua uiſa gauiſi (inquit) ſunt gaudio magno ualde, ut qui ultra ſpem omnem iterum eam ſtellam uidiſſent, quam ſe in oriente uidiſſe primo dixerant. atque ex hoc apparęt, eam non fuiſſe reliqui itineris ducem, alioqui nec ita uehementer nunc uiſa gauiſi eſſent, nec dixiſſet Euangeliſta ſolum, & ecce ſtella quam uiderant in oriente, ſed & quæ eos comitata

F etiam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

etiam fuerat. & ijdem ipſi Magi fatentur, ſe in oriente quidem uidiſſe illam, ſed non addunt, comitem aut ducem potius itineris habuiſſe, quod ut maius fuiſſet miraculum, ita in primis fuerat commemorandum. Neque uerò habent ex hoc loco aſtrologi, quo uanitatem ſuam ſuáque ſomnia tueantur, in hominum geneſi peruestiganda. neque enim hęc ſtella ex earum numero erat, quę fixę in cœlo ſunt, & quas agere in homines genethliaci uolunt, ut nullam aliam ob cauſam hęc apparuiſſe uideatur, niſi ut hi Magi huius nati regis admonerentur. ſed non eſt hic locus confutandi eorum erroris, neque uerò neceſſarium, cum Dei benignitate neminem ueſtrum intelligam huic errori operam dare. quare hoc prętermiſſo ad contemplanda noſtra myſteria reuertamur, myſteria ſanè ingentia, & quę nouam ſemper admirationem pariant. Mi-

Matt.1. rati dudum fuimus uirginem parere DEUM naſci, & collocari in prę-
ſepio. & ecce de repente is, qui iacet in pręſepio, noui ſideris lumine declaratur à cœlo. unde obſecro iſta diuerſitas atque adeo contrarietas? at uerò hęc non eſt contrarietas, ſed concentus, tanquam in fidibus, quę licet diuerſos edant ſonos, ita tamen inter ſe mutuo coaptantur, ut modulationem pariant iucundiſsimam. Hac ergo in re eſt, quod ſi diligenter obſeruetur, uſibus noſtris

Eſai.9. maximè ſeruiat. nam ob hanc cauſam puer hic datus eſt nobis, ut

Pſal.15. notas nobis, quemadmodum ait propheta, faceret uias uitæ. Sciebat nos glorię eſſe appetentiſsimos, ſed ex eo falli in quęrenda gloria, quòd falſam pro uera ſectaremur. is itaque, qui tantum abeſt, ut prohibeat hanc glorię inſectationem, ut ob hanc cauſam uenerit, ut maximè glorioſos efficeret, indignaturque, cum nos cernit leuem inanemque ſequi gloriam pro ſolida & uera. is inquam indicare factis ipſis uoluit, ubi eius ſedes eſſet, quóve eſſet quęrenda modo. Omnis enim gloria, quę ab hominibus proficiſcitur, inanis eſt, & uerę glorię impedimento, quod quodam loco Ioannes

Ioa.12. Euangeliſta declarat, qui cum dixiſſet, multos ex principibus credidiſſe in Ieſum, qui tamen propter Phariſęos non confitebantur, ut à ſynagoga non eijcerentur, adiecit. dilexerunt.n. gloriam hominum

Mat.21. magis, quàm gloriam Dei. hanc gloriam ſemper reiecit Chriſtus,

Mar.11. vt abiectam, ſeque indignam, & cum regem eum facere volue-

Ioan.12. runt, recuſauit, & cum Pilatus eúm de regno interrogaſſet, reſpon-

Ioan.18. dit, regnum meum non eſt ex hoc mundo, hoc eſt, regiam glo-

riam

tiam non eo pacto ſum habiturus, ut mundus intelligit, ac quęrit. hanc ergo, ut diximus, reiecit. at ueram illam, & quæ à Deo eſt, ſemper ſecum habuit, quod quęſo ſic cognoſcite. Accepturus naturam noſtram, habere quidem, hominum more, fœminam matrem non eſt dedignatus, ſed quę uirgo conciperet, & ſeruata uirginitate pareret. geſtatus fuit utero, ſed agnitus à propheta, qui *Luc.* 1.
& ipſe in utero adhuc erat. natus eſt homo, ſed & Deus, qui ante omnia ſecula natus eſſet, humanum illud, hoc Diuinum eſt. in cœlo ſine matre genitus, in terra ſine patre, vtrunque Diuinum. fa- *Luc.* 2.
ſciis inuolutus eſt, ſed reſurgens à mortuis faſcias explicuit. poſi- *Mat.* 28.
tus eſt in pręſepio, ſed ab angelis glorificatur, à ſtella demonſtra- *Mat.* 1.
tur, adoratur à Magis. fugatus in Aegyptum eſt, ſed ipſe res Aegy- *Mat.* 2.
ptiorum fugat. baptizatus fuit ut homo, ſed remittit peccata ut *ibi.*
Deus. tentatus fuit, ſed uicit tentationem, & acceſſerunt angeli & *ibi.*
miniſtrabant ei. & dicebat, confidite, quia uici mundum. eſuri- *Mat.* 3.
uit, ſed pauit multa hominum millia, & panis eſt qui de cœlo de- *Mat.* 4.
ſcendit. ſitiuit, ſed clamabat, ſiquis ſitit, ueniat ad me & bibat, *Mar.* 1.
et, aqua quam ego dabo, fiet in eo, qui eam biberit, fons aquæ ſa- *Luc.* 4.
lientis in uitam æternam. defatigatus eſt, ſed ipſe dixit, uenite ad *Ioan.* 16.
me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo uos. gra *Mat.* 4.
uatus fuit ſomno, ſed increpauit mare, & ſiccis pedibus mare per- *Mar.* 1.
ambulauit, Petrumque, qui mergebatur, ſuſtinuit. tributum ſol- *Mar.* 8.
uit, ſed ex piſce. Samaritanus uocatur, & Dęmonium habens, *Ioan.* 6.
ſed is eſt, qui ſeruat eum, qui deſcendens ab Ieruſalem inciderat *Ioan.* 19.
in latrones. ſed is eſt, qui expellit Dæmones, & legiones demer- *Ioan.* 7.
git in profundum, & principem Dęmoniorum cernit ut fulgur ca- *Ioan.* 4.
dentem è cœlo. lapidibus impetitur, ſed non capitur. orat, ſed exau *ibi.*
dit. lachrymatur, ſed ſedat lacrymas. interrogat, ubi poſitus eſſet *Mat.* 11.
Lazarus, ſed ad uitam reuocat Lazarum. venditur, idque exiguo *Mat.* 8.
ſanè pretio, triginta nimirum argenteis, ſed redimit mundum ma- *Mar.* 4.
gno pretio, proprio uidelicet ſanguine. non habuit apud Iudæos *Luc.* 8.
ſpeciem neque decorem. ſed ipſi Dauid erat ſpecioſus forma præ *Mat.* 14.
filijs hominum, & in monte clarus ac fulgens apparet, & uiſa eſt *Mat.* 17.
facies eius ut ſol, & ueſtimenta eius ſicut lux. Fuit ſicut agnus ſine *Ioan.* 8.
uoce, ſed ipſe uerbum ac ſermo eſt. captus fuit. ſed prius cecide- *Luc.* 10.
runt, qui uenerant, ut eum caperent. vulneratus eſt, ſed ſanat *Luc.* 8.
omnem languorem ac morbum. in lignum agitur, ſed ligno uitæ *Luc.* 10.

Io.8 10. reſtituit, latronemque, qui ſimul crucifixus erat, ſeruat, & tene-
Mat.26. bras offundit orbi terrarum. aceto potatur, & datur ei in eſcam
Mar.14. fel. at is eſt, qui aquam in uinum conuertit. tradit animam, ſed
Ioan.11. poteſtatem habet iterum ſumendi eam, ſed uelum templi ſcindi-
Mat.26. tur & petræ, mortuique excitantur ad uitam. moritur ac ſepelitur,
Eſa. 53. ſed reſurgit, & aſcendit in cœlum, ſedétque ad dexteram Dei, da-
Pſal.42. túinque eſt illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine
Mat.17. Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum,
Eſa. 53. & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus eſt Ieſus Chriſtus.
Ioan.1. Quid obſecro huic gloriæ par excogitari vnquam poteſt? at hanc
Ioan.18. ipſam, quę Diuinitus paratur, quæque ſolida ac firma eſt, ut adi-
Eſa. 53. piſcamur, demiſit ſe illa maieſtas, ut nos ad celſitudinem euehe-
Mat.4. ret ſuam; ut dixerit de illo Paulus, Seruatorem expectamus Do-
Mat.27. minum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit corpus hu-
Ioan.2. mile noſtrum, ut conforme reddat corpori ſuo glorioſo. Intelligi-
Eſa. 35. tis myſteriorum Chriſtianę philoſophiæ & magnitudinem & co-
Ioan.10. piam? ſed pergamus reliqua, & contemplemur horum Magorum
Luc. 26. egregiam philoſophiam. ingrediuntur uile habitaculum, ubi puer
Mat.27. erat, nec offenduntur, nec hæſitant, qui fieri poſſit, ut qui tam
Luc. 24. humili loco iaceat, is ſit, quem cœli declararunt, ſed ſtellę indicio
Mar.16. confirmati adorant infantem, & apertis theſauris ſuis, offerunt ei
Phil. 2. munera, aurum, thus, & myrrham. Cernitis quàm rectè ſupe-
Phil.3. rioribus diebus, cum adhortarer omnes ad honeſtandam tanti re-
Mat.2. gis natiuitatem, iuſſerim, ut mulieres ueſtem ei ex auro confice-
rent, ac monilia ſua aurea & pretioſas ueſtes offerrent? videtis id ab his Magis factitatum? ſed ſpero hos à uobis eſſe imitandos. audiui enim iam egregias quaſdam fœminas bene animatas eſſe ac paratas proferre pretioſiores veſtes & monilia & gemmas, quibus honeſtius Chriſti fratres atque adeo ipſe Chriſtus ueſtiatur, quàm earum corpora. hanc alacritatem ueſtram Deus opt. max. perpetuet atque augeat, faxitque, ut quam concepi ſpem, quódque olim de hac ciuitate præſagiui, cumulato fœnore impleri conſpiciam, verum qui aurum offerre non poſſunt, æquo tamen animo ſint, nam rex hic noſter affectum in primis requirit, ut ſiquis aliud non poſ-
Mar.9. ſit, & calicem aquę frigidæ pro eius nomine præbeat, non ſit amiſ-
ſurus mercedem ſuam. Sed intueamur horum munerum myſterium. aurum obtulerunt ut regi, thus ut Deo, myrrham, quę con-

ſeruare

ſeruare corpora perhibetur, ut homini. & uos offerre eadem poteſtis. nam ſi puritatem cordis munditiémque exhibeatis, erit hoc velut aurum, quod inter metalla puritate præſtat. ſi carnis caſtitatem, erit pro myrrha. ſi precationi aſſiduè incubueritis, erit tanquam thuris oblatio. ſic enim ait propheta. dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Pſal. 140. Et uidete, ut alioqui fuerunt munera iſta eo tempore neceſſaria. aurum, ut uirginis matris & ipſius Ioſeph inopiæ ſubueniretur, præſertim cum fuga in Aegyptum immineret, thus, ut ſtabuli fœtor arceretur, myrrha, ut infantuli corpus tenerrimum foueretur. Et hęc quidem, quod ad Magorum hiſtoriam pertinet, ſi non pro dignitate, certè pro temporis ratione ſatis ſint. eſt etiam antiqua patrum traditione obſeruatum, eo ipſo die Seruatorem ipſum fuiſſe in Iordane à Ioanne baptizatum, & eodem die aquam in nuptiis in uinum conuertiſſe. idcirco canit eccleſia, tribus miraculis ornatum fuiſſe hunc ſanctum diem, ſed de his omnibus uerba hodie facere temporis anguſtijs circunſcripti, non poſſumus. quare adhortabor potius uos, ut diuitias delitiaſque ueſtras agnoſcatis, quæratiſque his ditari, inq; iſtis delitiari, lætari, exultare, neque enim toto anno eſt tempus, quo Chriſtianum hominem magis compoſitum eſſe oporteat, & hoc ipſo tempore hoſtis generis noſtri Diabolus Bacchanalia excogitauit. O' ſceleratum conſilium, ò pernicioſiſſimum morem. quibus diebus Seruatori Deo gratiæ agendę, ſi unquam aliàs, maximę eſſent, ijs ipſis diebus magis quàm reliquo anni tempore, in omnia ſcelera habenę laxantur, animíque in omnem laſciuiam diſſoluuntur. quænam hæc tanta inſania eſt? unde tantus rerum Chriſtianarum neglectus? tantus ſalutis noſtræ contemptus & deſpicientia? ſi uera creditis eſſe noſtra myſteria, qui fieri poteſt, ut ea tam perditè conculcetis? tam hoſtiliter inſectemini? ne quęſo ciues mei, ne ſitis poſthac contra voſmet ipſos tam crudeles, tam feri, támque ſylueſtres, quæ enim magis agreſtis excogitari feritas poteſt, quàm ubi grati eſſe debetis tanto benefactori, in eum ingratos atque iniurios eſſe, atque adeo aduerſus eum hoſtiliter agere. non cernitis hoſtilem aciem aduerſus Seruatorem liberatorémque veſtrum Chriſtum inſtrui, dum per hoſce dies parantur Bacchanalia, tripudia, choreę, omne laſciuiarum genus? mulieres nunc quàm maximè ſe ornant, pingunt genas, ut quid? nimirum ut

pro-

quid eius ſpeciem miraremini? minimè omnium. quam ob rem? quia diceretis non eſſe iſtam illius faciem. at hęc eadem ratio eſt in harum fuco. cur ergo eadem in cauſa non eodem iudicio utimini? expergiſcimini obſecro tandem aliquando, uos ſaltem, qui huc frequentes conuenitis. nam ſi uos ſtrenuos adiutores habuero, optima quæque & huic urbi ſaluberrima mihi polliceri audebo. cernitis enim iam aliquid effectum. nam quis exiſtimaſſet, errorem tam latè patentem, & perditiſsimum morem ludendi in ſacratiſsima Dominicæ natiuitatis nocte tam facilè tolli potuiſſe? & tamen Dei benignitate exiguo negocio ſublatus eſt. hoc idem uſu ueniet in cęteris abuſibus, ſi ſtrenuè agere uolueritis, per hoſce præſertim dies, quibus ueſtram opem magis, quàm reliquo anni tempore imploro. nunc enim, ſi unquam aliàs, uehementer inſudandum eſt. nunc eſſet quotidie concionandum, quod ſi fieret, toto quadrageſimæ tempore taceri poſſet. quare accerſite quot quot poteſtis, atque ad concionem ducite. nunc enim ad medicinam eſt confugiendum, cum morbi frequentiores periculoſioreſque ingruunt. nunc accuratius paranda propugnacula, cum maior ac perniciosior imminet obſidio. Nam ſi à corporeis hoſtibus urbs ueſtra obſideretur, diceretúrque in ueſtra tantum, qui hic adeſtis, ope & auxilio totam illius ſalutem eſſe poſitam, quid non conaremini? quas non machinas excogitaretis? non parceretis opibus, non uitæ periculo, ut ſtrenuos ciues & patriæ amantiſsimos uos eſſe ſignificaretis. at in ſpirituali hac obſeſsione, quæ tanto damnoſior eſt, quanto ęterna momentaneis antecellunt, ubi innumeræ Dæmonum acies urbi imminent, ut eam perdant, non multò magis id præſtabitis? ueſtram Chriſtus opem implorat, is, qui uobis datus, uobis natus, è regijs cœli ſedibus ad uos demiſſus eſt, ueſtrę duntaxat ſalutis gratia, per me uos obſecrat, ut laboranti ciuitati ſuccurratis, præſertim cum hoc non ſolum ſine ullo uitæ ueſtrę periculo fieri poſsit, uerum etiam maxima cum ueſtra laude, & præterea ingenti ac certa ſpe æternæ mercedis, ſempiternęque retributionis. Videte enim quanta hic neceſsitas ſtrenuè agendi uobis incumbat. nam ſi tenemur, ubicunque opus eſt, uitam pro illo profundere, qui amat (inquit) animam ſuam perdet eam, in hoc autem negocio, tuta omnia ſunt, & nihil niſi perpetua gloria apud Deum & homines uos manet, quàm eſſetis reprehendendi, ſi in tanto rerum cardine ceſſaretis? *Ioan. 12.*

ſaretis ? coniuncta præterea eſt hic ueſtra ſalus cum ciuium ueſtro-
Iac. 5. rum ſalute : ait enim beatus Iacobus, ſi quis inter uos errauerit à
ueritate, & conuerterit quis eum, ſciat, quòd qui conuerti fecerit
peccatorem ab errore uię ſuę, ſaluam faciet animam à morte, & ope
riet multitudinem peccatorum. Hęc cogitantes date operam, ut
nemo officio ſuo deſit, ut miſericordiam à Deo omnes & præmia
conſequamur æterna. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui
cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecu-
la ſeculorum. Amen.

ORATIO OCTAVA.

QVOD iter agentibus accidere ſolet, ut, cum in ipſo
itinere repentinum aliquid accidit, uel de uia defle-
ctere, uel gradum ſiſtere cogantur, idem per hoſce
dies nobis uſu uénit, qui, cum in Euangelicum mon
tem iamdudum aſcendiſſemus, cœpiſſemúſq; in eo
aliquot conficere ſpatia, admiratio myſteriorum, quæ in Seruato-
ris noſtri natiuitate, atque in eiuſdem facta gentibus declaratione,
quam Epiphaniam appellamus, conſpecta ſunt, totos nos ad ſe ra-
puit, iuſsitque, ut ea pro uiribus contemplaremur. nunc ad inſti
tutum ſermonem eſt reuertendum. & uidete, ut opportunè occur
rat tractandum de re, maximè omnium his diebus neceſſaria, qui-
bus homines non iam Chriſtiani, ſed potius Chriſti oſores cenſent
ſummam eſſe felicitatem, riſibus, & iocis, choreis & tripudijs
operam dare. at uerò nos, quid cęleſtis magiſter admoneat, audia-
*Mat.*5. mus. *Beati* (inquit) *qui lugent, quoniam ipſi conſolationem habebũt.*
ſed hoc loco nobis idem faciendum eſt, quod in ſuperiori beatitu-
dine eſt factum, cum oſtendimus, non omnem paupertatem eſſe
commendatam. ita & hic uidendum eſt, qui luctus ac mœror à Do
mino donetur beatitudine. eſt enim luctus quidam atque triſtitia,
I. Th. 2. qui reprehenduntur, ut cum ait Paulus, nolo uos ignorare de dor
mientibus, ut non contriſtemini ſicut & cæteri, qui ſpem non ha-
Eccl. 30. bent. iccirco aiebat quidam ſapiens, multos occidit triſtitia, & non
eſt vtilitas in ea. cenſendum eſt ergo, nullum luctum nullámque
mœſtitiam

mœſtitiam hic probari, quæ eius ſit generis, quæ in uſu hominum eſt frequens, ut cum quis ob amiſſam pecuniam, ac facultates imminutas, ob charorum amiſsionem, ob non aſſecutam gloriam aut temporaria commoda dolet ac triſtatur. ſicut enim in gaudio, contrario uidelicet luctui, non omne gaudium reprehenditur, ſed illud tantum quod animum diſſoluit, & à Diuinarum rerum commercio auocat. alioqui tantum abeſt, ut gaudium prohibeatur, ut ſemper gaudere iubeamur, ſed in Domino. Gaudete (ait Paulus) *Phil.4.*
in Domino ſemper, iterum dico gaudete. & ne diſſolutum gaudium mandari intelligeremus, adiecit, modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. ſic & in luctu, is tantummodo laudatur, qui in Domino ſit, ac Dei cauſa ſuſcipiatur, cuius exempla ex ſcripturis petenda ſunt, ſi huius beatitudinis eſſe participes uolumus. producatur ergo Paulus in medium, huius negocij peritiſsimus, triſti- *Rom.9.*
tia (inquit) mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. quam ob cauſam? optaſſem enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. mirum luctum mirámque triſtitiam, quæ toleraſſet relegari à Chriſto, quo nihil habebat antiquius, ídque ob ipſius Chriſti gloriam, fratrúmque utilitatem. & alibi, quis infirmatur *2. Cor.*
& ego non infirmor? hoc enim idem eſt, quod lugere & triſtari. & *11.*
rurſum. ne iterum cum uenero, humiliet me Deus meus, & lu- *2. Cor.*
geam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœniten- *12.*
tiam. Dauid uerò uidete quid pro aduerſarijs ſuis ſe feciſſe dicat, qui retribuebant ei mala pro bonis, & odium pro dilectione. Ego *Pſal.34.*
autem (inquit) cum moleſtiam paterentur, induebar cilicio. nempe ingenti luctus indice. humiliabam in ieiunio animam meam. quaſi proximo, & quaſi fratri noſtro ſic complacebam. quaſi lugens matrem contriſtatus ſic humiliabar. Cernitis & ueteris & nouæ legis homines eodem ſpiritu ferri, & luctum induiſſe, proximi cuiuſque ſalutis, non commodorum ſuorum gratia? at nos in contrarium omnia facimus. noſtra duntaxat quærimus, noſtra damna tantummodo lugemus, eáque temporaria, & momentanea. proximorum commodis inuidemus, incommodis lætamur, tantum abeſt, ut pro eis lugeamus. ob hanc cauſam damnum in omnibus facimus. gaudia noſtra, quia inſyncera ſunt, tranquillum nunquam habent animum, luctus miſerrimi, & omni ſolatio deſtituti. at ſanctorum mœrores ſeminarium ſunt gaudiorum. audi-

Pſ. 125. te enim quid pſaltes dicat. qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. uenientes autem uenient, cum exultatione portantes manipulos ſuos. aptè ſanè ſeminis meminit. ſicut enim ſementis tempore iacitur ſemen, ut multiplicatus fructus recipiatur; ſic ſanctorum luctus multiplicatum gaudium pro portione parit. quemadmodum propheta ait. ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. pro magnitudine (inquit) afflictionum, Diuinæ conſolationes accipiunt

2.*Cor.* 1. incrementum. ſic & Paulus. ſicut (inquit) abundant paſsiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat & conſolatio noſtra. Simile autem mihi uidetur hoc, ut cum roſaria plantantur, tunc enim nihil præter ſpinas cernitur, neque tamen iccirco plantare deſinunt. ſciunt enim nouo uere roſaria ipſa mira florum ac roſarum ſpecie aſpectus hominum & odoratus etiam oblectatura. Quis ergo ſanæ mentis non multò malit Euangelicum luctum, quàm mundi oblectamenta? quæ primum per ſe leuia ac momentanea ſunt, deinde moleſtias innumeras & graues pariunt. iccirco aiebat

Pro. 14. Salomon. riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occu-

Eccl. 2. pat. & alibi; riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid hoc agis? quod quàm uerum ſit propius collato pede quæſo aliquanto diligentius contemplémur, uideamúsque, qui ſit fructus uulgaris huius humanæque lętitię, & quantum ei ſit fidendum. Eligamus tempus, quo ciuitas maximè tota lætitiæ ſe dat, hoc ipſum inquam Bacchanalium tempus, quanquam pudendum ſanè eſt, uocabulum hoc apud Chriſtianos haberi, ſed multò magis pudendum reperiri facta ipſa. hoc ergo tempore quem fructum ex ijs lętitijs capitis? editur, bibitur, ridetur, ſaltatur, luſibus, & iocis, & choreis noctes totæ diésque impenduntur, adduntur, quod multò eſt deterius, poſt uentrem ea quę ſub uentre ſunt, ſcortationes & adulteria. hęc eſt, niſi fallor, gaudiorum ueſtrorum ſumma. & uos fructum nunc appellabitis? uiuere more pecudum, & nihil agere aliud, niſi quod commune cum brutis animantibus eſt, atq; adeo deteriores eſſe brutis, nam illa naturam ſequentia non peccant, uos uerò plurima inter hæc peccatis. hunc fructum apppellabitis? inſumere pecunias & opes in conuiuia & laſciuias & tripudia, quibus pecunijs recreari plurima pauperum multitudo poterat, qui.

rat, qui morbo afflicti, frigore præterea & fame conficiuntur, hoc riſu proſequendum eſt? hoc inter fructus numerabitur, & non potius inter ſuprema ac maxima damna? an in hiſce diſſolutionibus non magis in Deum peccatur, quàm toto reliquo anno? quo quid perniciosius accidere homini poteſt? auerſo enim à nobis Deo, qui ſummum ac ſolum bonum noſtrum eſt, quæ boni reliqua ſpes nobis poteſt supereſſe? gaudere igitur tantis in damnis, & in ſummis malis ſuis lętari, nón ne eſt eos imitari, qui phreneſi laborant, qui interdum, dum carnes proprias lacerant, rident? at in hoc negocio multò miſerabilior eſt riſus, ubi æternæ ſalutis iactura fit, atque interea ridetur. ò inſaniam, ò furorem. tanta cum iactura hæc non gaudia ſed ſomnia gaudiorum emimus. an ſomniare non eſt falſa pro ueris habere, ínq; ijs delectari? at multò deteriore uos conditione eſtis, quàm ſomniantes. nam ij, qui ſomniant ea ipſa, quę hoc tempore fiunt, nihil prętera damni patiuntur, ſed tantummodo experrecti animaduertunt ſe fuiſſe ſomno deluſos. at uos commune quidem cum ſomniantibus hoc habetis, quòd peractis ueſtris Bacchanalibus, tanquam ſomnijs, nihilo magis uobis reliquum erit, quàm ijs accidit, qui à ſomno expergiſcuntur, illud uerò deterius uobis relinquitur, quòd offenſo Deo, iniuria affectis (quod frequentiſsimè fit) proximis quibuſque, fœdata ac deturpata anima, & corpore etiam uitiato (nam in eiuſmodi diſſolutionibus malè affici corpus omnino neceſſe eſt) impenſis in res inutiles pecunijs, quæ alioqui uita ipſa ueſtra uobis ſunt chariores, deluſio hæc non eſt, ut in ſomnijs, imaginaria, ſed uera, & quæ tantorum malorum recordatione reliquam uitam uobis efficit moleſtiſsimam. Hęc atq; eiuſmodi alia, quæ ex hiſce ineptis iucunditatibus proficiſcuntur, cogitans Salomon aiebat. Melior eſt ira (hoc eſt, triſtitia, eſt enim Hebræa phraſis) riſu, quia per triſtitiam vultus emendatur animus. & adiecit. cor ſapientum ubi eſt triſtitia, & cor ſtultorum ubi eſt lętitia. & alibi, melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. eſt enim ebrietas quædam animi exultans illa geſtiénsq; lætitia, & quemadmodum in ebriis uacillat corpus totum, neque membrum ullum officio ſuo fungi idoneum eſt; ſic dum effluit animus, & quaſi ſe deſerit, dum foras prodit, amiſſa conſtantia nutat, & tanquam in paralyſim diſſoluitur. Vidimus fructum riſus ueſtri ac ioci, conferamus nunc *Eccl.7.*

cum eo fructum luctus huius Euangelici, & uidebimus tanto ipſum interuallo eſſe ueſtris gaudijs iucundiorem, ut hic riſus, illa luctus meritò, ſi eius fructus cogitetur, debeat appellari. O' diuitias Chriſtianę philoſophiæ, ò ignoratos mundo atque adeo nobis ipſis theſauros noſtros. uenit enim mihi in mentem uerborum Iacobi apoſtoli, quibus intelligere poſſumus, quanta ſit felicitas afflictionum laborúm que pro Chriſto ſuſceptorum, & quàm uerè

Mat. 5. dictum à Domino ſit. Beati qui lugent. ſic enim ait beatus ille apo-

Iac. 9. ſtolus. Omne gaudium exiſtimate fratres cum in tentationes uarias incideritis. cernitis admiranda paradoxa? vult ut nos tū quàm maximè beatos exiſtimemus, cum maximè premimur, & uarijs moleſtijs pro Chriſto afficimur. uidete rurſus animos infractos atque adamantinos, & ad omnia intrepidè perferenda inſtructos, & armatos, atque ad omnem ſubeundum laborem paratos, nullám que luctus occaſionem detrectantes. eſt enim hęc huius luctus Euágelici uis, ut non ſolum perferat ęquo animo mala præſentia, uerum etiam efficiat bene præparatum pectus ad excipienda quæcun-

Rom. 8. que ingruere poſſint. aiebat ergo Paulus. Quis nos ſeparabit à charitate Dei? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? & paulo poſt. perſuaſum enim habeo, quòd neq; mors, neque uita, neque angeli, neq; principatus, neque uirtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quę eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Neque uerò in factis ipſis minus eos alacres conſpiciemus. cum enim ca-

Act. 5. pti fuiſſent apoſtoli ac cæſi, ibant gaudentes (ſic enim de ijs ſcriptū eſt) à conſpectu concilij, quòd digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati. cernitis ut contumelias, & uerbera dignitatem honorémq; exiſtimabant? cogitate num in moleſtijs, quæ humanarum rerum cauſa ſuſcipiuntur, tale quippiam longo etiam interual

Act. 16. lo accidat. ſic alio loco Paulus & Silas plagis affecti atque in interiorem carcerem coniecti, & conſtricti pedes ligno, media nocte ambo orantes laudabant Deum, utneque uel ſomno refocillarent afflicta corpora animóſque curarent. At uerò nequis res eiuſmodi ra-

1. Co. 15 rò accidiſſe putet, ipſe quodam loco dicit. quotidie morior per gloriationem noſtram fratres. & ad Corinthios. in laboribus copioſius, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in morbus

tibus

tibus frequenter. à Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi. ter uirgis cęſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, noctem & diem in profundo egi. in itineribus ſępe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus. in labore & ærumna, in uigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, præter quotidianam eccleſiarum ſolicitudinem. Audiſtis catalogum malorum, quæ uel à marmoribus ipſis extorquere luctum poſſent, ut tanta conſtantia in admirationem rapere & angelos conſueuerit. iccirco enim alibi ait. ſpectaculum facti ſumus mundo & angelis & hominibus. & tamen omnia temperantiore animo, quàm nos humana commoda, perferebat. Miror profectò, niſi hic luctus optabilior nobis uidetur omni humano gaudio, omnibúſque feſtiuis iocis. nam ueſtra gaudia minimè ſyncera ſunt, & celerrimam ſecum pœnitentiam afferunt. at Euangelicus luctus, hoc eſt, malorum pro Chriſto tolerantia, etiam in mediis malis maiora habet ſolatia, quàm omnes, quamuis maximę, humanæ uoluptates. pœnitentiæ uerò nullus metus eſt, cum huius finis ſit, ducere ad ſalutem non pœnitendam. Et profectò miſerrimi omnino futuri ſumus, niſi hæc ita eſſe, nobis intimis ſenſibus perſuadeamus. nam ethnicis erimus deteriores, niſi id præſtemus. uidete enim quid ethnicus quidam dixerit. Non hilaritate (inquit) nec laſciuia, nec riſu, aut ioco comite leuitatis, ſed ſępe etiam triſtes firmitate & conſtantia ſunt beati. Vidimus humanę lętitiæ fructus, eóſq; pernicioſiſſimos ac peſtilentiſſimos, nunc tempus eſt intueri, quæ cauſa nobis lętandi in hac uita ſit, aut in quo lætari quis poſſit. non recordamur, nos ab ipſa generis noſtri origine exilio fuiſſe damnatos, atque à paradiſo, loco uoluptuoſiſſimo, ubi, ſi fuiſſemus obtemperantes, lætari ſanè perpetuò potuiſſemus, noſtro uitio eiectos, atque in terram, execrationi & ipſam propter nos traditam, ut ſpinas nobis ac tribulos proferret, relegatos, iuſſóſque ut in ſudore uultus uictum cultúmque nobis compararemus? in tanta damnatione, tantò que exilio locum ſupereſſe lætitię ac uoluptati exiſtimabimus? non enim dixit, ut deſudaremus ad laſciuias & choreas, ſed in ſudore (inquit) uultus tui ueſceris pane. Præterea non experimur, nos continuis malorum fluctibus, tanquam in procelloſo mari

1. Cor. 4. *Se.* *Gen. 3.*

mari vndique agitari? at in medio mari, cum maximè ſeruet, & immenſi fluctus voluuntur aquarum, quis lætitiæ ac voluptati eſſe locus poteſt? nunquam audiſtis, militiam eſſe uitam hominis ſuper terram? at in militia, eius præſertim generis, ut hæc noſtra eſt, in qua diuerſa capitalium hoſtium genera ita inſidiantur, ut omnibus horis ceruicibus noſtris gladius impendeat, in eiuſmodi inquã certamine, quis, niſi qui omnino ſenſum amiſerit, remittendi ani
1.*Cor*.9. mi ſpatium unquam reperire poſſe ſibi perſuadebit? Omnis, qui in agone contendit, ait Paulus, ab omnibus ſe abſtinet. in agone autem non de uita ſed de gloria tantum contentio eſt, eá que temporaria, ut ſcilicet corruptibilem coronam accipiant, & ij tamen in re leuiſſima tantum adhibent ſtudium, ut ab omnibus, quæ impedire uictoriam poſſent, abſtinere conſueuerint. nos uerò ubi æterna uel ſalus vel mors atque perditio agitur, non omnia circunſpiciemus? non omnia tuta timebimus? ſed hoc minimè à nobis fit, nam nihilo magis quàm ſi in puerorum ludo eſſemus, ſoliciti ſumus, atque adeo inertiores in tam grauibus rebus reperimur, quàm pueri in ſuis luſibus ac iocis, nam illi totum animum atque omnem mentem adhibent, dum ludunt, nos uerò res tanti ponderis inerter ſomniculoséque tractamus. ecquis enim noſtrum eſt, qui in ijs, quę peccauit, ita ex animo defleat, & eum luctum, quem commendat Dominus, ita induat, ut pueri, cum eorum res non pro voto cedunt? ſic excandeſcat, ſic afficiatur, ut illi? Sed eſto, concedatur liceret in uita lętari, quid tandem eſt, in quo hunc affectum
Pro.2. impenditis? mitto eos, qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. accipiamus ea gaudia, quæ exiſtimantur, aut certè non intelliguntur vitium ſecum habere. ut ſunt edere, bibere, iocari, in opibus, veſtibus, ſpecie corporis, robore ſibi placere. ſatiſne digna hæc ſunt eo animante, quod factum eſt, ut in reliqua animantia dominetur? quod ob eam cauſam unum ex omnibus ratione ac mente donatum eſt, ut ex ea fructum ac uoluptatem capiat, non ex ijs, quę ſunt ei communia cum brutis. edunt enim & illa, bibunt, voluptates habent puriores liberioréſque quàm ſint noſtræ, uictu abundant, cultu non egent, quo interdum ſpecie à
Matt.6. floribus ſuperamur. conſiderate (inquit Dominus) lilia agri quo modo creſcunt, non laborant neque nent. amen dico vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtitus fuit ſicut vnum ex iſtis. pulchritudine

tudine corporis multa animalia nobis antecellunt, & robore. Cum ergo in his atque huiuſcemodi ab ijs, quæ ratione carent, & ſenſu, æquemur ac frequentiſſimè ſuperemur, non pudet, nos tam egregium animal ita nos demittere, & iumentis inſipientibus (ut ait propheta) comparari atq; illis perſimiles fieri, nec præſtantius aliquid quęrere in quo oblectemur? Et hæc præſtanda quidem à nobis eſſent, ſi etiam nulla eſſet alterius quàm huius uitæ cogitatio, ſi modo homines, & non hominum monſtra eſſe vellemus. nam quemadmodum monſtrum eſſet, ſi equus humana uoce loqueretur, ſic nihilo inferius monſtrum eſt, eum qui formam hominis habeat, mores equi, ſuis, canis, lupi, cæterorúm que brutorum referre. præſtanda ergo eſſent hæc, quamuis ſola hęc mortalis uita agnoſceretur, at uerò cum ęternitas propoſita nobis ſit, & metus ſit, ne hic riſus ſempiternos pariat dolores. hic metus. metus uerò? immo certa interminatio. ait enim manifeſtè Dominus. vę uobis qui rideetis nunc, quia lugebitis & flebitis. hę ergo veritatis tam euidentes minæ quem non perterrefaciant? quem non inuitent ad ſeſe colligendum, & per arctam uiam, quæ ducit ad vitam, ingrediendum? eſt enim uitæ noſtræ iter, quod Chriſtiano homini agendum eſt, perſimile, ut ſi ſtagnum aliquod eſſet tranſeundum, cui pons, per quem ire oporteret, impoſitus eſſet, ita anguſtus, ut vix hęrere illi pes poſſet. ſtagnum verò illud hydris venenatiſque ſerpentibus ac feris beſtijs plenum eſſet, quæ, ſiquis è ponte decideret, eum exciperent lacerandum ac deuorandum. ex vtraque autem parte ſtagni eſſent horti pulcherrimi, viridariá que amœniſſima, domus quoq; ac ædificia mira arte ac ſumptu conſtructa, quæ ſpectantibus voluptatem parerent admirandam. ſi ergo cuipiam imperaretur, ut ſtagnum illud per eum pontem traijceret, quo hunc animo cenſetis futurum? exiſtimatis auſurum amouere oculos à ponte, ut illa rerum ſpecie, quæ ſtagnum ambiret, oculos oblectaret? non opinor. paueret enim anxius, uideretúrque ſibi ſingulis momentis in beſtiarum illarum ora cadere deuorandus. quare nuſquam oculos à pedibus ac ponte deflecteret. ſimillimè faciendum nobis eſt, ac multò etiam ſtudioſius, quantò damnoſius eſt in æterna, quàm temporaria mala decidere. obſeruemus, ut admonet Salomon, greſſus noſtros, neque ab eis deflectamus oculos, ne fortè humanarum nos rerum curioſitas à recta uia abducat, & in immanium beſtiarum.

Pſal. 48.

Luc. 6.

Pro. 4.

ſtiarum, Dæmonum uidelicet, deuorationem tradat. caueamus
riſum, qui ingenteis fletus parere ſolet. amplectamur illum lu-
ctum, qui maximorum parens ſit gaudiorum. amemus lacrymas,
Ioan.11. quas ipſe Dominus magiſter omnium non eſt auerſatus. & lacry-
Luc.19. matus eſt (inquit) Ieſus, & uidens ciuitatem fleuit ſuper illam. ri-
ſiſſe autem eum nunquam legimus. uideamus quid promittatur
Matt.5. lugentibus. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem habebunt.*
Eſai.64. quam conſolationem? oculus non uidit Deus abſque te, quæ pre-
Phil.4. paraſti diligentibus te. ſi pax Dei ſuperat omnem mentem, quis il-
lam bonorum copiam, illum uoluptatum torrentem (ſic enim ſcri-
Pſal.35. ptura appellat, cum ait, torrente uoluptatis tuę potabis eos) illum
immortalis uitæ fontem eloquetur? quando exultabunt ſancti in
Pſ.149. gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, exultationes Dei (hoc eſt, ma-
Pſal.79. ximæ. eſt enim Hebræa phraſis, ut cum ait, cedros Dei) in guttu-
re eorum. has rerum diuitias cum nequiret Paulus eloqui, ſpatijs
Eph.3. quibuſdam indefinitis deſignauit, cum dixit. ut poſsitis compre-
Baru.3. hendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſubli-
mitas, & profundum. ſic & alius. ô Iſraël, quàm magna eſt do-
mus Domini, & ingens locus poſſeſsionis eius, magnus eſt & non
habet finem, excelſus & immenſus. has opes & copias, quibus ta-
men exprimendis nullum nomen aptum inuenitur, comparat E-
uangelicus luctus, & riſus ueſter perdit. deliberate nunc utrum ma
litis, aut potius nulla opus eſt deliberatione, cum eos alloquar,
quos ex ipſo uultu uideo iam tandem ſuperiorum annorum erro-
rem intellexiſſe. ſtudio tantum eſt opus & alacritate, ut uos qui ade
ſtis, rectis tantum honeſtiſque factis, omiſsis omnibus ineptijs, in-
uigiletis, & alij ueſtro exemplo, ueſtris adhortationibus, à ſuis diſ-
ſolutis ac perditis moribus auocentur, neque uerò hoc erit admo-
dum difficilè, cum rerum ueritatem inſpexerint, & hæ tanquam
pręſtigiæ, quæ nunc eorum oculos detinent, fuerint amotę. cum
intellexerint id, quod hodie à nobis eſt demonſtratum, hæc, quæ
exiſtimantur gaudia, ſolam habere appellationem, re autem uera
dolores potius eſſe appellanda, quę ingenteis luctus pariant. lu-
ctum uerò Euangelicum omnem ſecum uoluptatem ac bona om-
nia afferre, cum didicerint ea, in quibus hactenus delectati ſunt,
non eſſe homine digna. cum docti fuerint, qui riſus quæ gaudia
ueri riſus & uera gaudia ſunt. cum finem utrorumque fuerint con

tem-

templati. cum exilium hoc, in quo miſeri degimus, cœperint cogitare, ibi nullus eiuſmodi iocis animíque laxationibus, aut potius diſſolutionibus relinquitur locus. ſed datum hoc uitæ ſpatium eſt, ut peccata quibus obruimur, quotidie defleamus, quo infletu longe maior lætitia, quàm in hiſce corporeis luſibus reperitur, ut Deú nobis reconciliemus, à quo poſt exanthlatos hos labores aſſecuti exilij finem, in regnum recipiamur, quod ab initio ſeculi paratum nobis eſt, ubi promiſſam lugentibus hic à Domino conſolationem habebimus. quod utinam aſſequamur, iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen. *Mat.25.*

ORATIO NONA.

OPORTVIT ſanè, aut certe decuit, Dominum Euangelicam hanc philoſophiam traditurum, ſententiáſq; tam à conſuetudine hominum alienas, in montem aſcendere, ut ex ipſa loci poſitione intelligeremus, non eſſe humiles animos, & qui ſe tollere humo neſciant, idoneos huic doctrinæ percipiendæ. ſed oportere eos, qui aſſequi hanc uelint, à uulgaribus recedentes, ſublimioribus aſſueſcere cogitationibus, & tanquam in montem aſcendere, unde rerum, quas uulgus facit plurimi, humilitatem queat deſpicere, acutiúſque ac purius intueri. nam qui ſummos montes habitant, non ſolum purgatiore cœlo fruuntur, uerum etiam luce copioſiore, cum ſol eis & citius oriatur, & tardius occumbat. at ij, qui humilia loca incolunt, præterquam quòd minorem lucis partem habent, caliginoſum etiam cœlum experiuntur, atq; illa puritate deſtitutum, quæ apud montium incolas reperitur. quæ cœli puritas ingenijs non parum prodeſſe exiſtimatur. uidere enim licet acutiora ingenia & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aër ſit purus ac tenuis, quàm illorum, qui utantur craſſo cœlo atque concreto. ſic nimirum uſu uenit ijs, qui depreſſum animum in terrenas caducáſq; appetitiones ſemper habent, & illis tanquam nebuloſo ac craſſo cœlo ingenium hebes effectum, quos animales

 homi-

homines appellat Paulus. ij enim non percipiunt, ut idem ait, ea quæ ſunt ſpiritus Dei. nam ijs quis perſuadeat, rem beatam paupertatem eſſe ac luctum? qui contra cenſent, hęc duo inter maxima mala eſſe numeranda, & nihil laborant magis in hac uita, quàm ut in ſummis opibus ac uoluptatibus iucunditatibúſq; lęti degant. at nos, quibus Dei benignitate donatum eſt in Euangelicum hunc montem aſcendere, maniſeſtiſsimis argumentis intelleximus, uerisſimum eſſe, quod ueritas dixit; beatos uidelicet eſſe, & pauperes ſpiritu, & eos, qui Dei cauſa in maximo luctu uerſentur; quibus intellectis, tanquam eorum, quæ ſequuntur ſolidiſsimis iactis fundamentis, facilius patiemur nobis reliqua perſuaderi. ſequitur ergo.
Mat. 5. *Beati mites, quoniam ipſi hereditatem accipient terræ.* at contraria prorſus eſt hominum ſententia, eos ſcilicet, qui mites ſint, & aliorum peruicaci ę facile cedant, iacturam potius rerum facere, quàm acquiſitionem. Videte uerò Chriſtianę philoſophię diuitias. in prima beatitudine cœlum promiſſum eſt, nunc etiam terrę hereditas promittitur: quid poſthac habent homines cur præcepta recuſent Euangelica, cum utrum malint, atque adeo utrunque potius eis offeratur? Sed libet prius quàm de hac beatitudine loquamur, explicare uocabuli ſignificationem, & qui appellentur *mites*. ſiue, ut in Græco eſt, πραεῖς unde πραότης hoc eſt, mititas uel manſuetudo. ſic ergo Græci definiunt. ut πραεῖς hoc eſt, mites ſint ij, qui proni non ſint ad perturbatos animi motus, ſed eos ratione moderentur. natura enim ad uitium prona eſt, atque ad id quod eſt deterius propendens. ſic πραότης hoc eſt, mititas, uel manſuetudo, uirtus eſt, qua fit, ut homines ab ira difficile moueantur, ut ferre criminationes poſsint, & ſtultitias hominum, neque citò ad caſtigationem feſtinent, aut ad contentionem. mitis ergo eſt, qui non repugnat ſed cedit aduerſanti, uidetúrque tranſlata uox a fructibus, dicimus enim mitia poma, cum ita matura ſunt ut cedant tactui. eundem morem mites imitantur, ut ſe facile regi ſinant, contra immites, qui nunquam cedere amant, ſed ſemper reſiſtunt. Hanc uirtutem, quę ſi teneretur, tranquilliſsimum orbem terrarum conſeruaret, quia homines negligunt, iccirco perturbationibus omnia ſunt plena, dum exiſtimant honorificum eſſe nolle alteri cedere. hinc lites infinitæ, continuǽque turbæ, & inter ciues minimè ciuiles contentiones. hinc bella & prouinciarum

ac

ac regnorum euerſiones. atque hoc malum ita latè patet, ut etiam pauperes in re nullius momenti litigare, & exiguam pecuniam, quę eis reliqua eſt, inſumere malint, quàm cedere aduerſario, quod ulciſcendi eſſe genus putant, atque ulciſci poſſe inimicum, rem beatiſsimam. ut quidam externus dixerit. inimicum ulciſci, uitam accipere eſt alteram. at noſtræ philoſophiæ alia ratio eſt. Et profectò cum omnibus hominibus, quibus ob eam cauſam data ratio eſt, ut immodicos affectus ſedent, turpe ſit, hanc uirtutem ita parum curare, certè homini, qui Chriſti fidem ſit profeſſus, eſt longè turpiſsimum, qui inter cæteras, quibus plenus fuit, uirtutes, hanc ſibi peculiariter uendicauit, admonuitque diſcipulos, ut ſe in hac parte imitarentur, diſcite, inquiens, à me, quòd mitis ſim & humilis corde. *Mat.* 11. O' ingratitudinem ac ſtoliditatem etiam. miſit Deus unigenitum filium ſuum ad homines ducem ac præceptorem, quemadmodum prædixerat Eſaias, & illum auerſantur, & nihil *Eſa.* 55. minus curant, quàm illius decreta & leges. digni profectò, quibus priores tenebræ reſtituantur, in quibus impingant, quemadmodum uidentur concupiſcere. Fuerunt olim tempora, in quibus tanta erat ueritatis ac rectæ & honeſtæ uitæ ignoratio, ut plerunq; peccata nefandiſsima, & quæ ob pudorem tacere cogor, non haberentur ut peccata, ab ipſis etiam ſapientiſsimis uiris, legúmque latoribus. ſi ergo tam miſerando eo tempore propheta quiſpiam ad eos miſſus fuiſſet, qui prædiceret, poſt aliquot tempora mittendum filium Dei, qui homines doceret, qua illis eſſet ingrediendum uia, quàm cenſetis eos optaturos fuiſſe, ut eo tempore uiui reperirentur, & ea uerba dicturos, quæ prophetę, cum hunc expectarent, repetere conſueuerant. utinam, inquientes, dirumperes cœlos & *Eſa.* 64. deſcenderes. nunc uerò iam uenit, iam orbis omnium terrarum illius prędicatione, legibus, doctrinis illuſtratus eſt, & nos in tanta oblata luce tenebras malumus. multi reges & prophetæ optarunt *Luc.* 10. uidere quæ nos uidemus, ſed fruſtra noſtro uitio, & audire, quæ nos audimus, nec potuerunt. nos uerò tantam, tam optatam rerum maieſtatem tam parui, atque adeo tam nihili facimus. quę Geenna quęſo tanto puniendo errori idonea excogitari unquam poterit? ſi grauior eſſet hęc uia, quam Seruator Chriſtus oſtendit, quàm ea, quæ tantopere à cęcis hominibus expetitur, eſſet fortaſſe ignoſcendum ijs, qui eam non ingrederentur, ſed uenit ipſe ut leniorem fa-

*Mat.*11. ciliorémque uiuendi rationem demonſtraret, uidete enim quid ipſe dicat. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo uos. quid enim laborioſius, quàm nullam adhibere animo requiem, ſed continuis eius perturbationibus laborare? quid ergo iubet? tollite, inquit, iugum meum ſuper uos, hoc eſt, grauiſsimo preſsi eſtis iugo, iubeo itaque, ut illo abiecto meum accipiatis, quod ferre facilius poteritis. quod uerò hoc iugum eſt? diſcite à me, quòd mitis ſim & humilis corde. immites (inquit) ac ſuperbi uitam uiuunt non uiuendam, continuíſque aguntur fluctibus, nec ullus eſt illis finis perturbationum. nulla uerò ſpes requietis eſt, niſi me imitemini. quare adiecit, & inuenietis requiem animabus ueſtris. & de iugo repetit, iugum, inquiens, meum ſuaue eſt, & onus meum leue: eſto, inquit, concedatur, uideri legem meam ſenſibus & carni eſſe iugum, & onus quoddam, multò tamen eſt leuius, quàm quæ mundus Diabolúſque imponere conſueuerunt. Videtur autem mihi hoc Euangelicæ legis iugum ac onus perſimile eſſe, ut ſiquis torquem maximi ponderis ac immenſi precij collo circumponat, uel ingentem auri maſſam, quam dono acceperit, humeris ferat, utrunque onus eſt, ſed minimè ſentitur, ob metalli ſpeciem atque pretium. quin ij, qui ea ferunt, lętantur & geſtiunt, ſibíque in eis placent. idem cernimus uiris Euangelicis

2.*Co.*12. uſu ueniſſe, qui gloriabantur (ut aiebat Paulus) in afflictionibus,

*Iac.*1. & omne gaudium exiſtimabant, cum in uarias tentationes incidiſſent, quo quid in uita accidere felicius poteſt? cum enim moleſtiæ ſolæ uitam homini efficiant iniucundam, cum eædem moleſtię iucunditati ſunt, nón ne ea uita cœleſtium uitam ęquat, ac penè ſuperat? tibi gloria Seruator Chriſte, qui tantam nobis attuleris felicitatem. nobis uerò dedecus ingens, atq; ignominia, qui tantis ingrati muneribus ſimus. Sed reuertamur ad hanc manſuetudinem, & uideamus, quàm rectè dudum dicebamus, mites appellatos per tranſlationem à fructibus acceptam, inueniemúſq; præſtantiſsimos quoſque hac uirtute fuiſſe prędítos, & ob hanc claruiſſe, & gratos omnibus fuiſſe, & uſui hominum maximè accommodos, ut mitia poma, & matura eſui apta & guſtatui grata, quod immitibus non accidit, qui ſicut immatura & acerba poma veſcentes offendunt, ſic illi ad mutuam conſuetudinem ſunt minimè omnium grati. Mitis erat Abraham, atque ex hac mititate, uidete ut mox orta iurgia ſedauit.

dauit. cum enim orta eſſet rixa inter paſtores gregum Abraham & *Gen. 13.*
Loth, dixit, Abraham ad Loth, ne queſo ſit iurgium inter me &
te, & inter paſtores meos & paſtores tuos. fratres enim ſumus. ec
ce uniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro, ſi ad ſiniſtram
ieris, ego dextram tenebo, ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtrã
pergam. hic uir eſſet nobis imitandus, qui tam proni eſtis ad lites,
eàs que longè maiore veſtra cum vtilitate ac animi tranquillitate cõ
poneretis. hac uirtute pręditus erat inſigniter Moſes, quem ſcri- *Nu. 12.*
ptura refert mitiſſimum fuiſſe ſuper omnes homines qui eſſent in
terra. quę res effecit, ut tantę multitudinis, tam querulæ, tám que
intractabilis mores ęquo animo ferret, nec frangeretur. Quid Da-
uid? de quo pſalmus canit. memento Domine Dauid, & omnis *Pſal. 131.*
manſuetudinis eius. quàm mitem eum eſſe oportuit, qui tam lon-
gam Saulis regis perſecutionem ferret? quàm uerò leniter eam tu
lit, qui cum non ſemel ulciſci hoſtem potuiſſet, atque à ſociis exſti-
mularetur, noluit tamen. quin ob præſciſam in ſpelunca oram cla
midis regis, ut intelligere poſſet, uitam ſibi à Dauid fuiſſe condona
tam, percuſſit (inquit) cor ſuum, quaſi rem parum piam feciſſet, *1. Re. 24.*
violata regis ueſte. O factum memorabile. uidete uerò illius uer-
ba. egreſſus enim de ſpelunca, in quam ignarus intrarat Saul, ut *ibidem.*
purgaret uentrem, egreſſus, inquam, Dauid, ut ſe conſpicuum
faceret, atque innocentiam indicaret ſuam, clamauit poſt tergum
Saulis dicens. Domine mi rex. & cum reſpexiſſet Saul, inclinans
ſe Dauid pronus in terram adorauit, dixitq; quare audis uerba ho-
minum loquentium, Dauid quęrit malum aduerſum te? ecce ho-
die uiderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manum meã
in ſpelunca, & dixit quiſpiam ut occiderem te, ſed pepercit tibi ocu
lus meus. cęteráque, quæ ſupremę manſuetudinis, ac lenitatis præ-
ferrent ſignificationem. neque ita multò poſt, cum quadam no- *1. Re. 26.*
cte veniſſet in hoſtium caſtra, reperiſſetque Saulem dormientem,
cuſtodés que ſomno depreſſos omnes, tantum abſtulit haſtam, &
ſcyphum aquæ, quæ erant ad caput Saulis, ut ſignificaret ſe uitæ
regis peperciſſe. videbatúr que hoc ei multò eſſe iucundius, quàm
vlciſci hoſtem, atque ex eo pœnas ſumere. hoc nón ne omnem ho-
minum uictoriam, omne robur ſuperat, cohibere impotentes ani-
mi motus eósque moderari ac regere? iccirco aiebat Salomon. me- *Pro. 16.*
lior eſt patiens uiro forti, & qui moderatur animo ſuo, expugna-
tore

tore urbium. Quantò uerò hęc uirtus eſt hominum generi magis ſalutaris, tantò uitium ei contrarium eſt peſtilentius, illa uidelicet iracundi hominis impotentia, & velle, quo iure quáue iniuria, ut omnia quę cupiat, ſibi ex uoto cedant. neceſſe enim eſt, hunc nulla cum reliquis hominibus eſſe charitate coniunctum, ſemper iræ atque indignationis facibus inflammatum, quibus exſtimulatus ad

Pro. 15. inferenda proximis mala paratus ſit. ut rectè dixerit Salomon. Vir

29. iracundus prouocat rixas, & qui ad iraſcendum facilis eſt, erit ad peccata procliuior. ſunt autem eiuſmodi homines immites ac feri & implacabiles, omniaque ſuis commodis metientes, & ab huma-

1.Re.25. nitate alieniſſimi. talis erat Nabal uir durus, ut ait ſcriptura, ad quem cum Dauid, qui profugus in deſerto habitabat, omnium egenus, miſiſſet quoſdam è ſuis, quo tempore tondebat oues, qui eius nomine aliquid muneris peterent, cum paſtoribus illius fuiſſent pro muro in deſerto, neque unquam eis fuiſſent moleſti, neque quicquam aliquando defuiſſet eis de grege, quo tempore fuerunt cum illis in Carmelo. uidete quid uir immitis & agreſtis reſponde-

ibidem. rit, quíd ue pro accepto beneficio rependerit. Quis eſt (inquit) Dauid? & quis eſt filius Iſai? hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. tollam ergo panes meos & aquas meas, & carnes pecorum, quę occidi tonſoribus meis, & dabo uiris, quos neſcio vnde ſint. Vidiſtis feros & ſylueſtres mores. contemplemur nunc in eodem facto, atque hac ipſa hiſtoria quo ſe pacto gerat vir mitis etiam tunc, cùm iuſtis de cauſis contingat illum excandeſcere. conſpecta Dauid tanta hominis ingratitudine, dixit pueris ſuis, accingatur vnuſquiſque gladio ſuo. accinctique ſunt quadringenti circiter uiri, ut ſceleſtum hominem vlciſcerentur. quod cum uxor Nabal mulier non minus prudens quàm pulchra audiuiſſet, facta eſt illi obuia, & ſapienti ſermone iratum animum mitigare eſt conata, quæ res quantum fuerit ipſi Dauid grata, multóque iucun-

ibidem. dior quàm ipſa vltio, audiamus ipſius uerba. Benedictus (inquit) Dominus Deus Iſraël, qui miſit te hodie in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quę prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & ulciſcerer me manu mea. perinde quaſi ingens munus accepiſſet, perinde eſt gratulatus, quòd vlciſcendi hoſtis occaſione fuerit liberatus. at ij, quibus hęc uirtus ignoratur, ſummo affici ſe incommodo ac damno exiſtimant, cum

fru-

fruſtratur eos ſua ſpes, cum non bene penitus ſe inimici pœna ac ſanguine exaturarunt. quo quid eſt non ſolum Chriſtiano homine, ſed omnino homine indignius? ob hanc enim cauſam humanitas, uirtus immanitati contraria, ab homine accepit appellationem, quòd hominis eſſe propria debet. quanquam ob offuſas noſtris oculis tenebras, plerunque fit, ut nullum animal immitius crudeliúſque homine reperiatur. Hactenus uiſum eſt, quàm rectè Dominus beatos mites appellauerit. nunc uidendum eſt, quid illis polliceatur. quanquam bona quę inde diximus proficiſci, ſatis eſſe pro prĕmio potuiſſent, & uirtus ipſa abundè ſufficiens præmium ſit, ut quidam ethnicus dicere auſus ſit, id iniuſtiſſimum ipſum eſſe, iuſtitiæ mercedem quęrere. ſed tamen Domini liberalitas non eſt contemnenda, qui noſtris omnibus rectè factis copioſiſſimum rependere beneficium vult: ait ergo. *Beati mites, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ.* cuius terrę? illius quidē proculdubio, de qua propheta ait. credo uidere bona Domini in terra uiuentium. nam illius eſt non dubitata promiſſio atque adeptio ijs, qui ea ſeruauerint, quę hic à Domino proponuntur. ſed uideamus tamen num & huius terrę, quam incolimus, hęreditatem melius quàm ij, qui contraria ingrediuntur uia, adipiſcantur. & quoniam non dixit poſſidebunt, ſed κληρονομήσουσιν, hoc eſt, in hæreditatem accipient, inſpiciamus quibus potiſſimum hoc conueniat. Sit quiſpiam qui totius terrę (quanquam nemini hactenus vnquam contigit) poſſeſſionem ui & armis ſit adeptus. is non continuò hæres terrę poteſt appellari, ſi immitis, ſi ferus, ſi uiolentia ac ferro omnia aſſequatur. neceſſe enim eſt, hunc omnia timere, ex omni parte inſidias ſibi paratas circunſpicere, & ne domeſticis quidem atque intimis tutò ſeſe committere. hunc ergo exiſtimabimus uel hæredem vel certe poſſeſſorem eſſe terrę, qui ne ſpatium quidem terræ, quam domus occupat, tutò teneat? hæreditatis quidem appellatio pacificam quandam poſſeſſionem prę ſe fert, & quę ſperetur etiam in poſteros & ſuos continuanda. ſed in eiuſmodi poſſeſſore nihil pacificum ſperari eidem, nedum poſteris poteſt. Accipiamus nunc mitem ac tractabilem hominem, qui hic à Domino commendatur, mittatur in extremas terras, circumeat orbem omnium terrarum. inueniet profectò ſe non minus totius terræ poſſeſſorem, quàm paternę domus. ab omnibus amabitur, omnes

Mat.5.

Pſal.26.

omnes eum excipient, fouebunt, deducent, habebunt ut domeſticum, ut fratrem, ſua omnia illi communia eſſe volent, ut uerè hęreditatem terrę accepiſſe dici queat. Hoc duplex hominum genus, manſuetorum ſcilicet atque immitium, egregie Dauid in pſalmo trigeſimo ſexto inter ſe comparat, in quo pſalmo eadem fit promiſ-

Pſal. 36. ſio hęreditandę à mitibus terrę. ſic enim ait. manſueti autem hęreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. & ſanè opportunus eſſet locus totius pſalmi percurrendi. ſed quia temporis ratio non patitur, pauca ex eo delibabimus. Cernebat propheta multos ex eo offendi, quòd cernerent peſſimos plerunq; homines atque impios florere. conſolatur ergo infirmiores, ut in pietatis ſtudio ſtrenuè perſeuerent, neque commoueantur, cum eos vident hiſce terrenis bonis ac commodis abundare. quare ait. noli ęmulari in malignantibus, hoc eſt, nihil te moueat, cum ſceleratos uideris opulentos, neque eorum quicquam proſperitati inuideas. ſimiles enim deprehendentur fœno, quod exortum minimo durat tempore. & herbę ſimiles erunt uirenti, quæ ſubitò marceſcit. aptiſſima profectò comparatio, & quæ, ſi cogitetur, facile ap

Eſa. 40. petitum huius humani ſplendoris & glorię auferat. ſic & Eſaias. omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos agri, fœnũ aruit & cecidit flos. neque hoc contentus Dauid, ſuſius philoſophatur de hac felicitatis umbra impiorum, & ait. & adhuc puſil-

Pſal. 36. lum, & non erit peccator, & quæres locũ eius & non inuenies. & rurſum. uidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui & ecce non erat, quęſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Quam hæc uera ſint, poſſem veteres hiſtorias repetens oſtendere, niſi noſtra ætate atque adeo quotidie iſta experiremur, eos, qui cœlum digito, ut dicitur, tangere uiderentur, exiguo temporis ſpatio repertos eſſe, quemadmodum hic dictum eſt,

ibidem. ut fœnum aruiſſe. De iuſtis verò quid? delectare (inquit) in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. quo quid optare maius debemus, quàm accipere à Domino quantum animo concupiſcere poſſumus? & illud, cuius cauſa pſalmi huius fecimus mentionem, de mitibus videlicet. manſueti (inquit) hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. at impij ſi interdum inuadunt (nam hęredes eos eſſe non poſſe iam eſt demonſtratum) terrã, nullus eis fructus pacis ſperandus eſt. quàm uerò diu hi mites,

quoſ

quos & iuſtos uocat, hanc hæreditatem ſunt habituri? iuſti (inquit) hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eã. quo id pacto? an per mortem ſaltem non migrandum eſt, & finienda hæc habitatio? minimè uerò. cuius rei domeſticum habemus exemplum, beatum hunc martyrem & epiſcopum ueſtrum Felicianum, cuius perendie feſtum diem ſumus celebraturi. an felicius nunc non terram poſſidet, quàm cum hic nobiſcum degeret? qui obſecro Alexandri, qui Cæſares tantis vnquam uel viui vel multò minus mortui, honoribus fuerunt honeſtati, quantos huic beato impendimus tum quotidie, tum in ſolenni illa pompa, qua & præcedenti natalitium eius diem nocte, & ipſo die, clerus, magiſtratus, populus, tota ciuitas, atque adeo tota Fulginâs diœceſis Diuinis atque humanis honoribus profuſis gaudijs illum proſequuntur? quare merito à Seruatore dictum eſt. *Beati mites, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ.* Mat.5. Et quoniam diui huius noſtri Feliciani fecimus mentionem, moneo vos ut eo die accuratius opem illius imploretis, ut ciuitatis ſuæ memor eam apud Deum tueatur, cúmque exoret, ut tandem aliquando Chriſtianos mores Diuina eius gratia aſpirante induamus. ut flagella, quę cernimus impendere, ſua benignitate condonatis nobis pœnis, quas noſtris uitijs atque peccatis ſumus meriti, arcere non dedignetur. et, quando ſignificatum mihi eſt, me eodem ipſo die datum uobis fuiſſe epiſcopum; quod ſanè iucundiſſimum mihi fuit audiuiſſe, illud quod à vobis pręſtandum quotidie eſt, id ipſum eo die efficite ſtudioſius, vt Deum opt. max. precemini, qui mihi eas vires præbeat, quæ tanto muneri tantoque oneri ſunt conſentanea, ut beatum hunc Felicianum merear imitari, & pro Chriſto eiúſque grege nunquam recuſem occumbere, atque ut gregem mihi creditum vbertimis ſaluberrimiſq; paſcuis continuè alere liceat. quo tandem paſtor cum ſuo grege ad perpetua cœli paſcua recipiatur, iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO DECIMA.

Mat.5. BEATI *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi*
ſaturabuntur. Duo Euangeliſtæ Matthæus & Lucas,
quia de eadem re loquentes, non eiſdem prorſus uer-
bis ſunt uſi, occaſionem nobis præbent, loci huius
diligentius pertractandi. quod & in prima beatitudi-
ne uſu euenit. nam cum Matthęus dixiſſet, beati pauperes ſpiritu,
Luc.6. Lucas abſolutè dixit, beati pauperes. ita hoc loco Matthæus hanc
eſuriem, quemadmodum & paupertatem ad ſpiritum retulit. Lu-
ibidem. cas abſolutè dixit. beati qui nunc eſuritis, ut eſuriem etiam corpo-
ris uideatur fuiſſe complexus. quare de utraq; uerba facienda ſunt,
ſed prius de fame ſitique iuſtitię, ut prius operemur, ſecundum
Ioan.6. Domini mandatum, non cibum qui perit, ſed qui permanet in ui-
Mat.5. tam æternam. *Beati ergo qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.* eſurien-
tium ac ſitientium mos eſt, quo eſuriunt magis ac ſitiunt, eò aui-
dius cibum capere ac potum. quò uerò minor eſt edendi atque bi-
bendi cupiditas, eò remiſsius cibis ac potibus indulgere homines
ſolent. idem & in animo fit. cernimus enim quoſdam optare qui-
dem iuſtos eſſe, ſed tam negligenter in opera iuſtitiæ incumbere, vt
ijs ſint perſimiles, qui omni appetitu edendi deſtituti, coacti come-
dunt, ne omnino inedia conficiantur, quo metu ſi carerent, ne exi-
guum quidem cibum illum caperent. ſic ij non pulchritudine iu-
ſtitiæ exſtimulantur ad illam aſſequendam, ſed ſolo Geennæ metu
commouentur. ij mihi uidentur illi eſſe, de quibus dicitur in Apo-
Apoc.3. calypſi. vtinam frigidus aut feruidus eſſes, ſed quia tepidus es, &
nec frigidus nec feruidus, incipiam te euomere ex ore meo. ij ergo
beatorum appellatione non ſunt dignandi, ſed oportet ijs animi
affectibus iuſtitiam inquirere, & eius ueſtigijs ea alacritate inſiſte-
re, qua venatores inſectari feras ſolent. ſic enim & Paulus ad Ti-
2.Tim. motheum ſcribens dixit. ſectare iuſtitiam, accepto à venatoribus
2. vocabulo, δίωκε. ſic enim in Græco eſt, & ſemper exiſtimare eam
Eccl.7. longius receſsiſſe, quod de ſapientia Salomon ait. dixi (inquiens)
ſapiens efficiar, & ipſa, nimirum ſapientia, longius receſsit à me.
quòd ſi optatis exemplum aliquod huius facti vobis proferri, Pau-
lum omnium virtutum exemplar inſpicite, qui ad Philippenſes ſcri-
bens.

bens ait. non quòd iam apprehenderim, aut perfectus ſim, ſequor *Phil.* 3.
autem (et hic eſt verbum διώκω, ſicut & infra) ſi etiam comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratręs ego nondum me arbitror comprehendiſſe. unum autem, quę quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea uerò, quæ ſunt à fronte, extendens meipſum iuxta præfixum ſignum perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. quicunq; ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Vir tantus, tam perfectus, longè à perfectione ſe eſſe profitetur. quid nobis, qui nihil aliud quàm cœnum & ſordes ſumus, eſt cogitandum? nondum (inquit) pati tanta potui ut potuerim conformis fieri Domino meo, qui tanta eſt paſſus. perſequor verò, neque dixit, curro, ſed perſequor. διώκω, qui aliquem perſequitur, noſtris quanto cum impetu id agat: repellit quemuis, qui opponere ſe ei velit; nihil ſpectat aliud, nihil cernit, mentem, oculos, vires, animum, corpus ad id vnum intendit. perſequor (inquit) vt quid? ſi etiam comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. eram, inquit, in perditorum numero, ſuffocabar, apprehendit me Chriſtus, ſummo ſtudio inſectatus eſt fugientem, vt reuocaret ad ſe. Videte verò verborum repetitionem, vt intelligamus quanto cum affectu hæc dicat. Fratres (inquit) non arbitror me comprehendiſſe, unum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt à fronte, extendens me ipſum, iuxta præfixum ſignum perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei. Hic nobis vir eſt imitandus, neque tam quid hactenus ſit factum, quàm quid faciendum adhuc ſuperſit, eſt cogitandum: nihil enim tam inania reddit facta noſtra, ac nos inflat, vt eorum memoria, quæ rectè à nobis ſunt facta. hoc enim duo efficit mala, & inertiores reddit ad agendum, & in ſocordiam atque arrogantiam trahit. nam qui iam perfecti aliquid in ſe cogitat, non intelligit quantum deſit ſibi, & currere interdum ceſſat, vt qui iam ſe putet aſſecutum. qui verò longè adhuc eſſe à termino ac meta ſe exiſtimat, currere nunquam ceſſat. id ipſum nobis ſedulo cogitandum eſt, ſi etiam omnibus rectis honeſtiſq; factis diuites eſſemus. nam ſi Paulus poſt infinitas mortes, tot pericula, tot afflictiones tam ſubmiſſè de ſe ſentiebat, multò id nobis magis eſt præſtandum. neque tam æſtimandum, quot ſpatia confecerimus, quàm quot adhuc ſuperſint conficienda. Quare minimè mihi placere poteſt mos ille, quem inter vos vi-

deo ſrequentiſsimum, vt cum vel minimum detrahi de dignitate
veſtra ſentitis, continuò vociferemini, vir bonus ſum: neque in-
telligitis, quot numeros habere eum oporteat, qui vir bonus me-
ritò ſit appellandus: idcirco Seruator noſter, cum ei quidam, qui
& Deum illum eſſe ignorabat, dixiſſet, magiſter bone, continuò
Mar. 10. reſpondit, quid me vocas bonum? nemo bonus niſi vnus, nempe
Luc. 17. Deus. Cogitate uerò num appellari vir bonus poſsit, qui nulli ſit
uſui, at ipſe Dominus ait. cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt
uobis, dicite, ſerui inutiles ſumus. ſeruo autem inutili quid expe-
ctandum eſt aliud, quàm vt domo eijciatur? quòd ſi poſt omnia
præſtita, quæ præcepta ſunt, vult Dominus, vt nos ſeruos inutiles
agnoſcamus, cum multò plura peccauerimus, quàm ea ſint, quæ
rectè à nobis ſint facta, quo pacto viros nos eſſe bonos audebimus
profiteri? ſi eſuriremus ſitiremúſque iuſtitiam, nequaquam in tam
craſſos errores incideremus. quid eſt autem eſurire ac ſitire, niſi
nunquam nos ſaturos agnoſcere? vult enim hanc famem ſitímque
tota hac vita nobis eſſe perpetuam. Vultis adhuc oſtendam homi-
Pſal. 41. nem ſitientem vehementer? videte quid Dauid dicat: Quemadmo
dum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea
ad te Deus. ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando
veniam & apparebo ante faciem Dei? vt ſitim ardentiſsimam de-
monſtraret, accepit cerui ſitientis ſimilitudinem. ferunt enim ij,
qui de animalibus ſcribunt, ceruos à canibus infeſtatos cupidiſsi-
mè ad aquas fugere propter æſtum atque anhelitum. idem facere
dicuntur, & cum vorauerint ſerpentes, quod identidem ſolent.
Quam verò anxiè aſsiduéque id ageret propheta, declarat, cum ad-
dit. fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mi
hi quotidie, vbi eſt Deus tuus? hanc ſitim imitabimur, ſi nobis per
ſuadebimus, nos ab eo quàm longiſsimè abeſſe, vt iuſtitiam ſimus
aſſecuti, & ſemper aliquid addere curauerimus prioribus rectè fa-
Eccl. 11. ctis iuxta Salomonis conſilium, qui per ſementis metaphoram hoc
admonet, cum ait. mane ſemina ſemen tuum, & veſperi ne ceſſet
manus tua, quia neſcis quid magis oriatur, hoc an illud, & ſi vtrun
ibidem. que ſimul, bonum erit. eodem pertinet & illud: Da partem ſeptem,
nec non & octo, quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram.
liberaliter (inquit) egentibus tribue, ſic enim fiet, vt non ſentias
mala, quæ imminent. benignè (inquit) faciendum eſt per ſeptem
dies.

dies, qui cum præterierint, & octauus appetierit, rurſus incipiendum eſt, et perpetuandum. neſcis enim quale malum euenturum ſit tibi, & quibus aliquando opus habiturus ſis auxilijs. Et hęc quidem breuiter de fame ſitiq; iuſtitiæ: videamus nunc de corporea hac, quæ plus à pleriſq; omnibus formidatur, quàm fames & ſitis audiendi verbi Dei, quam propheta Amos interminatur. per fa- *Amos.8*
mem verò & ſitim, rerum accipitur indigentia. Hæc autem beatitudo à priore, quæ dicit, beatos eſſe pauperes, hoc differt, quòd illic & humilitas & contemptus diuitiarum laudatur, hic egeſtas, non quæuis, ſicut & in paupertate dictum eſt. neque enim omnes, qui eſuriunt ac ſitiunt, beati ſunt, qui vel ob ſcelera, nulla Dei habita ratione, vel inuiti ac murmurantes patiuntur: ſed illa egeſtas ac penuria commendatur, quam libenter homines perferunt ob Dei gloriam, vt Paulus, qui etiam gloriabatur, ſe in fame & ſiti, in frigore *2. Cor. 11.*
& nuditate Euangelica negocia pertractâſſe: qui & alibi aiebat. uſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus. huius *1. Cor. 4.*
generis ſunt qui deſcribuntur ad Hebræos, qui circuibant in ouillis *Heb. 11.*
& caprinis pellibus, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ. hos beatos appellat Dominus. neque id iniuria, ſi rerum finem, & quid tandem conſequatur, velimus intueri. Sint enim duo, quorum alter per annos aliquot indefeſſus ac peruigil nullis parcat laboribus, nullis itineribus, æſtum, frigus, famem, ſitimq; perferat, ac per has difficultates ad regnum euehatur. alter verò omnia incommoda fugiens, in ſummo ocio ac voluptate degens, tandem decoctis omnibus, quod reliquum eſt vitæ in ſupremis miſerijs agat. vtrum horum beatum exiſtimabimus? nimirum priorem, qui per has difficultates tantum ſibi gradum comparauerit. ob hanc cauſam Seruator admonebat, intrate, in- *Mat. 7.*
quiens, per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. quoniam anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam. Sit ergo aliquis, qui per anguſtam ſemitam, per quam proficiſcens vehementer arctetur, ducatur ad regnum, alius per plateam ad crucem rapiatur, utrum horum beatum dicemus? non ne eum, qui anguſto itinere ad regiam dignitatem aſcenderit? ſic nimirum & in hac re, ſi finem inſpiciamus ac

bona,

bona, quæ hanc eſuriem comitantur, beatiſsimos eſurientes ſitien téſque prędicabimus. Et fortaſſe his auditis, ij, qui inter vos ita conſtitutas res ſuas habent, vt neque eſurire, neque ſitire poſsint, dolebunt; exiſtimantes ſe huius aſſequendæ beatitudinis ſpe omnino eſſe deſtitutos. ſed bono animo ſint & ipſi. nam viam excogitabimus, qua non prorſus tanti boni expertes ſint. hoc ergo eſt illis faciendum. dent operam, vt in cibo & potu, inueſtitu cultúq; corporis (quando famis ac ſitis appellatione quęuis penuria comprehenditur) ſemper meminerint indigentium, ac certos ſibi limites tanquam cancellos circunſcribant, quos non liceat tranſilire, & cum ſatis naturæ neceſsitati, id que quàm modeſtiſsimè ac temperantiſsimè, fecerint, reliquum, quod alioqui liberalius uiuendo fruſtra conſumpſiſſent, egenis impertiantur. nam multa per totam vitam temerè diſperduntur, quæ vel ſola pauperum indigentiæ ſuccurrere potuiſſent. Multò verò minus ab horum numero eos cenſeamus eſſe ſeparandos, qui etſi non fame ſitique ob egeſtatem conficiantur, multis tamen ſe, ſtudio Euangelicæ philoſophiæ, commodis priuant, quibus, ſi vellent, abundare facile poſſent. ieiunijs, vigilijſque corpus extenuant, cibo potúq; pauciore, quàm corporis neceſsitas poſtulare videretur, vtuntur. hi profectò beati ſunt, non ſolum ob ea, quę in futura retributione expectantur, verum etiam huius ipſius vitę contemplatione. Videamus enim quę ſit horum agendę vitę ratio, & eorum, qui contraria ingrediuntur via. accipiamus primum hos poſteriores, qui luxui, qui crapulę operã dant, & quorum, vt ait Paulus, Deus venter eſt, quid tandem ij aſſequuntur? ducunt, inquies, in bonis dies ſuos. quibus bonis? indulgent genio, venantur vndiq; voluptuosè viuendi occaſiones, circumeunt mare ut aridam, vt pretioſum ſtercus emant. ſic enim appellari delitiæ ciborum debent, quæ tandem in maleolentia excrementa deſinunt. poſt ventrem ſequuntur ea, quę ſub ventre
*Rom.*13. ſunt. nam poſt comeſſationes & ebrietates adiecit Paulus cubi-
*Deu.*32. lia & impudicitias. hi ſunt, de quibus propheta ait. incraſſatus eſt directus & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus. dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. quid enim in illorum mentibus habitare poſſit boni, quorum uita nihil à iumentis inſipientibus diſtat, atque à belluarum ritu, niſi quòd ratione carentia animantia naturam ducem ſequuntur, ij uerò na-

rò naturam optimam, atque optimè à Deo conſtitutam, perditè viuendo corrumpunt ac perdunt? videas hos non homines ſed mõſtra naturę, qui externa quidem corporis facie humanam referunt formam, interius uerò tot brutorum figuræ ſunt, quot vitiorum generibus ſunt obſeſſi: hos tu beatos dixeris, & non potius maximè miſerandos, ſi non ob aliud, certe ex eo, quòd opus tam artificioſè ab ipſo Deo elaboratum, hominis videlicet ſtructuram, & animal omnium reliquorum dominum, animal ad cœlum factum, atque ut angelorum cœleſtiúm que illarum mentium ſocium eſſet, pariterque cum illis Deo frueretur, infra omnia animantia ſuis uitijs atque peccatis deiecerint atque detruſerint? an hoc non eſt omnem vitæ oblectationem auferre? ſi enim corporis grauioribus morbis (quod etiam ab ethnico eſt dictum) uitæ iucunditas impeditur, multò magis animi morbis impediri neceſſe eſt. mitto nunc commemorare corporis incommoda ac damna, quibus ob intemperantem vitam aſſiduè afficiuntur, dum varijs creberrimiſque morbis obnoxij, magnam plerunque vitę partem iniucundam agunt, hęc enim illis pro intemperantię pœna ſint data. Prodeat nunc Euangelicus noſter eſuriens, qui voluptatem omnem ſuam delitiás que in animo collocauit, illum fouere, illum longè delicatiori cibo potúque altere ſtudet, quàm illi alteri corpus. non negligit hic quidem omnino corpus, ſed ſeruire, ut æquum eſt, ſpiritui cogit, ideirco præbet ei panem anguſtum, ut ait propheta, & aquam breuem. non ſinit illud, quantum inſatiabilis ſenſuum appetitus inuitat, exſaturari, ne vires animi obruantur. quicquid enim alteri addas, alterius fit imminutio, & quantum alteri demas, fit alterius acceſſio. quid? quòd hæc etiam corporis aſtrictio eidem corpori ſalubritatis occaſio eſt. nam trita ſatis ſententia eſt, plures crapulam interficere quàm gladium. & vir quidam ſapientiſſimus, propter crapulam (inquit) multi obierunt. qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam. quid etiam? quòd iucundius oblectatur ſenſus. nam quia de ſame & ſiti ſermo eſt, quæ ad guſtatum pertinent, quis neſciat frequentem crapulam iucunditatem percipiendi cibi impedire? contra uerò, cibi potús que parſimoniam efficere, vt alimenta videantur multò iucundiora. ob hanc enim cauſam ex ethnicis quidã, Socrates opinor, aiebat condimentũ cibi famem eſſe, & potionis ſitim. Sic itaq; compoſito exteriori homine ac ſedato, vt tametſi non omnibus eius

Eſai. 30.

appetitionibus obſecundatum ſit, non tamen queri omnino poſſit, quòd fuerit neglectus, contemplemur interioris libertatem, qua illi alteri prorſus carent. nam rectè quidam ethnicus poëta ac ſapienter dixit,

Corpus onuſtum
Heſternis vitijs, animum quoque prægrauat vnà,
Atque affligit humo Diuinæ particulam auræ,

Hic ergo ſublatis impedimentis, ac diruptis vinculis, quę corporis intemperantia inijcere animo ſolet, verè liber effectus, non ſolum diurna verum etiam nocturna habet ſpatia, quæ in pulchris cogitationibus conficiat, ut de illo dici poſſit, quod de onagro in Iob ſcri-
Iob. 39. bitur, cõtemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris (nam corporis affectus exactori ſunt perſimiles) non audit. circunſpicit montes paſcuæ ſuæ, & uirentia quæque perquirit. Quis huius libertatis felicitatem, huius hominis opes ac copias, delicias denique pro dignitate eloquatur? nemo profectò, niſi cui iſta experiri ſit datum, & ne is quidem. humana enim verba anguſtis nimium ſpatijs circunſcribuntur, cum ea, quæ ad ſpiritum pertinent, ſunt pertractanda. Hi ſunt verè οὐρανόφοιται, quorum conſuetudo in
Phil. 3. cœlis eſt, quibus cœlum interdum ipſum (ò felicem ſuperbiam)
Pſal. 72. non eſt ſatis, mentior, niſi id propheta dicit. quid enim (inquiens) mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? quid ergo tibi, vis? defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in ęternum. Cernitis pręſtantiam hominum ac magnitudinem? quorum animum non terra ſolum, ſed ne cœli quidem immenſa illa ſpatia implere idonea ſunt, ita auidum illum & capacem habent. atque ad hęc bona iter in primis eſt per hanc Euangelicam famem ac ſitim. nam quemadmodum parentes primos noſtros eda citas à paradiſi delicijs eiecit, ſic rurſus ad eaſdem reuocat fames ſitíſque Euangelica. Tantum abeſt ergo, ut corporea hæc indigentia Chriſtiano homini metuenda ſit, ut ſummopere potius ſit expe tenda, quæ tot tantorúmque bonorum ſit conciliatrix. pręſertim cum certiſſimè ſciamus nos Deo eſſe curæ, qui cum uolatilia paſcat, multò magis nobis deeſſe nunquam poterit, neque enim mentiri poteſt propheta qui ait. Iunior fui & ſenui, & non uidi iuſtum
Pſal. 35. derelictum, nec ſemen eius quærens panem. & alius quidam. nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. quis enim permanſit in má

datis

datis eius & derelictus eſt? *Beati ergo qui eſuriunt.* quare? *quoniam ipſi ſaturabuntur.* contra uerò ijs, qui luxui hic operam dant, dicitur à Domino. uę uobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis, mementote diuitis Euangelici, qui epulabatur quotidie ſplendidè, quid ei acciderit. qui rogauit, ut ad eum mitteretur Lazarus, qui intincta extrema digiti parte in aquam, refrigeraret linguam eius, & ne tantullum illud quidem aſſequi potuit, ſed dictum ei fuit, memento, quòd recepiſti bona tua in uita tua. O horrorem, æternis flammis tradi perpetua ſiti conficiendum, ob exiguam commodorum huius vitæ vſuram, & momentaneas delicias inſanè comparatas. at Lazarus mendicus, quem qui ad ianuam diuitis eſſet intuitus, vlceribus plenum, atque ita famelicum, ut micis, quę de menſa diuitis caderent, contentus eſſet, & ne eas quidem quiſquam illi dabat, ita neglectum, ut canes accederent, & vlcera lingerent. quis inquā ita intuitus, non omnium hominum miſerrimum exiſtimauiſſet? hic ergo quid? non conquerebatur ſortem ſuam, non ambigebat, num res humanę eſſent curæ Deo, cum res tam inæquales cerneret in ſe ac diuite illo, non murmurabat, neque de Dei iuſtitia cogitando diſceptabat. ſed equo omnia animo perferebat. cum ecce poſt paulò peracta breui hac ſcena, portatur ab angelis in ſinum Abrahæ, perpetuis fruiturus bonis ob eam cauſam, quòd mala fuiſſet perpeſſus. ſic enim reſponſum fuit diuiti. memento quòd recepiſti bona tua in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc uerò ille ſolatio fruitur, tu autem cruciaris. Hoc ſpectaculum quæſo ante oculos ponite, & benè penitus animo ac intimis ſenſibus defigite. ſic enim fiet, ut non ita facilè à geniali hac & uoluptuoſa uita tanquam Sirenarum cantibus deliniti, in tam terrifica ac ſuprema damna incidatis. ſectemur eam famem ac ſitim, quę ſempiternas epulas, & ineffabiles delitias nobis comparant. fugiamus illam rerum ſaturitatem, quę non ita multò poſt ad ęternam famem ſitimq; nunquā extinguendam tranſmittunt. contemnamus hæc epularum ſomnia, quæ tam ingentia mala conciliare nobis idonea ſunt, his pręſertim veſtris Bacchanalibus, quibus tot ac tam diſſoluta conuiuia ſoletis celebrare. nunc meminiſſe vos oportet, quod Dominus docet. cum facis (inquit) prandium aut cęnam, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque uicinos diuites, ne fortè & ipſi te reinuitent, & fiat tibí retributio. ſed cum facis conui-

Mat. 5. Luc. 6. Luc. 16. Luc. 14.

K uium,

uium, voca pauperes, debiles, clau dos, & cęcos, & beatus eris, quia non poſſunt retribuere tibi. retribuetur enim tibi in retributione iuſtorum. hoc ſalutare conſilium eſt, neque hoc tempore negligendum. an in epulis ac delitijs ueſtris non eſt fratrum Chriſti habenda ratio? non eorum recordandum, per quos in æterna ta
Luc. 16. bernacula ſitis recipiendi? facite (inquit) vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant uos in ęterna tabernacula. Vos omnibus ciborum generibus abundabitis, atque adeo laſciuietis, & Chriſtus, qui in his pauperibus ſe eſſe profitetur, non habebit ſaltem ad uictum neceſſaria? ne quęſo tam ſupini tantis in rebus ſimus, ſed temperemus hiſce ſuperuacuis ſumptibus, ut ſuperſit, quod impendi poſſit neceſſitatem patientibus. ut omnes aliqua ex parte huius participes beatitudinis eſſe poſſimus, & illam
Pſ. 16. ſatietatem demum aſſequi, de qua propheta ait. ſatiabor cum apparuerit gloria tua. quam vtinam omnes adipiſcamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO VNDECIMA.

ETsi ſentiebam, vocem, cuius incommodum ſuperioribus diebus paſſus ſum, mihi nondum fuiſſe reſtitutam, volui tamen hodie vobis eſſe conſpicuus, et, niſi multo ſermone, certe paucis uerbis uos alloqui. quin ſic mihi perſuadeo, ſolam paſtoris præſentiam, illúmque ſeſe in templo oſtendere, uim aliquam aduerſus ſpirituales hoſtes noſtros habere, atque id illi accidere, quod ouiũ & gregum paſtoribus interdum uſu uenit, vt cum lupi propè accedunt, ut aliquid rapiant, ſolo paſtoris aſpectu deterreantur, tametſi ille nihil moueatur. ſic cenſeo ego ſanè, Dæmonum uires debilitari, cum cernunt Chriſti gregi ſuum paſtorem aſſidere. multò
Eph. 6. uerò magis cum idem paſtor gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei, contra illos exercet, eorumque ucrſutias atque inſidias aperit. eadem uero paſtoris præſentia, quę terrori Dæmonibus eſt, populum roborat, & penè illud agit, quod de regibus Salomon ait.

ait. rex qui ſedet in ſolio iudicij, omne malum diſſipat intuitu ſuo. *Pro. 20.*
paſtoris enim ſola contemplatione, admonentur omnes officij ſui, arguit eos tacita eorum conſcientia, ſi illius præcepta atque adhortationes neglexiſſe recordentur. venit illis in mentem, quid ab eo ſint edocti, colligunt ſeſe, & quaſi ad ſe redeunt. atque id quidem illo etiam tacente, quòd ſi pręterea oues ſuas ad loca paſcuę (ut ait *Pſal. 22.*
Dauid paſcendi peritiſſimus) & amœna, atque ad aquas refocillationis ducat, nihil eſt illo grege lætius neque felicius. quod ut mihi & uobis accidat, aſſiduè omnipotentem Deum comprecemur, qui omnis boni & principium & finis eſt. Agite nunc, eam beatitudinem, quę ſuperiores ſequitur, aggrediamur. *Beati* (inquit) *miſeri- Mat. 5.*
cordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. video mihi eſſe declarandum, quid per miſericordes intelligatur, ne quis fortè erroris opinione putet ſe hanc beatitudinem aſſecutum, ſi tantum interiore animo ad alicuius calamitatem commoueatur miſericordia. In Græco autem apertius uis vocabuli intelligitur. eſt enim ibi ἐλεήμονες, vnde etiam ἐλεημοσύνη, quam nos mutatis duabus literis Latino more eleemoſynam appellamus. quæ dictio nobis, hoc eſt, Latinis tam eſt familiaris, ut, ſi de ea loquentes diceremus pro eleemoſyna miſericordiam, non ita facile intelligeremur. hoc & in pleriſque vocibus alijs vſu venit, vt Gręca dictio magis quàm Latina, ob vſum videlicet, intelligatur. vt ſtellę illę errantes, à Latinis errones vocantur, & tamen planetę uox Gręca notior eſt. ſic colla, quę tamen à Latinis gluten dicitur, & cometa, quam nos crinitam vocamus, melius in Græca uoce agnoſcuntur. eadem ratio eſt huius verbi, eleemoſyna, quæ ob conſuetudinem magis intelligitur, quàm miſericordia. quin & apud apoſtolum locus eſt, qui iccirco à pleriſque omnibus non intelligitur, quòd pro eleemoſyna, miſerendi verbo vſus eſt interpres, vbi ait, qui miſeretur in *Rom. 12.*
hilaritate. vult enim apoſtolus, vt cum eleemoſynam faciunt, hilares hoc faciant, non triſtes, perinde quaſi pecuniæ iacturam faciant, cum dant inopi. De eleemoſyna ergo in hac beatitudine fit mentio, & beatos appellat, qui miſericordiæ, hoc eſt, eleemoſynæ operam dant. qua tractatione nihil nec mihi iucundius nec vobis vtilius eſſe poteſt. quare precor vos omnes, vt, quod Paulus admonet, vt ſcilicet qui eleemoſynam dant, ſine triſtitia hoc faciant, *2. Cor. 9.*
ſic vos me de eleemoſyna locuturum, non ſolum attenti verum

etiam læti & hilares audiatis. Miſericordem eſſe non tam virtutis eſt, quàm vitij non eſſe, eiúſq; non ferendi, cum nó ratio ſolum, verum etiam natura ipſa ad id nos exſtimulet & quaſi cogat. quare non rationi ſolum verum etiã naturę aduerſari, quàm ſceleratum ſit, quis ſatis explicet? cùm .n. quædam rectè ſacta ſint, quę naturę ac ſenſibus affectibúſque noſtris aduerſari videantur, ad ea obeunda ſiquid ſentitur difficultatis, carnis imbecillitati eſt ignoſcendum. vt, in carne præter carnem viuere, atque eam vitam, quę in cœlo agitur, in hac vita repræſentare. perferre pro virtute ac pro Deo labores maximos atque moleſtias. inimico ex animo ignoſcere, omnino non parum difficultatis hęc ſecum afferunt. nam, etſi ſpiritus promptus eſt, caro tamen infirma. in ijs verò, ad quæ ipſa etiam natura exſtimulat, non ſolum ratio, ſi fuerimus inertiores, quam obſecro habebimus excuſationem? Natura autem omnes ad miſerendum ſuccurrendúmque indigentibus inuitari, non homines ſolum, verum etiam ratione carentia animalia, multa proferre exempla poſſem, ſi ſpatium eſſet in his vagandi. atque adeo quotidie experimur animalia in ſuo quæque genere auxiliari inter ſe quantum poſſunt, & alterum alterius indigentiæ ſubuenire. Quin ferunt elephantos non inter ſe tantum eſſe miſericordes, ſed erga homines etiam. nam ſi accidat, hominem fieri alicui eorum obuium in ſolitudine, & ſimpliciter oberrare, elephas clemens placidúſq; etiam monſtrare viam traditur. ſimiliter leonis ſcribitur clementia in ſupplices, proſtratis fertur parcere, & vbi ſæuit, in viros prius quàm in fœminas fremere, in infantes non niſi magna fame, vt qui infirmioris naturæ miſereri videatur. Si ergo in maximè feris beſtijs, humanitatis, quę ab homine nomen accepit, veſtigia tam aperta reperiuntur; idque etiam in alienum genus, ſi homo, vnde humanitatis appellatio, vt dixi, deducta eſt, in ſuum genus fuerit inhumanus, miniméque miſericors; an non erit hoc monſtro perſimile? & tamen pauci admodum ſunt, qui verè miſericordium appellatione ſint digni, dum miſerendi actum exignis nimirum terminis circunſcribunt, putántque ſe miſericordes in egenum fuiſſe, ſi teruncium vnum aut panem vnum illi porrexerint. ob hanc opinor cauſam Sa-
Pro. 20. lomon dicebat, multi homines miſericordęs vocantur, virum autem fidelem quis inueniet? hoc eſt, multi nomen ſibi vendicant miſericordis, ſed factis ipſis qui ſit, quique fideliter miſericordiæ negocium.

gocium agat, non facile inuenitur, aiebat idem Salomon ſed pau- *Pro. 9.*
lò obſcurius. Delectat hominem pietas eius, & melior eſt pauper
quàm vir mendax. hoc eſt, delectat hominem, ſi prędicetur de eo
pietas eius, etiam ſi falſum id eſſe ſciat. melior eſt igitur homo pau-
per, de quo tale quid prædicari nequit, qui non ſolum effugiet hoc
crimen, ſed etiam excuſabitur, quòd miſericordiam exercere ſacto
non potuerit. Oſtendimus natura inſitum eſſe omnibus affectum
miſericordiæ, & ſponte eiuſdem naturæ omnes ad eam exſtimula-
ri. accipiamus nunc id, quod hominis proprium eſt, hoc eſt, ratio-
nem, & videamus, quàm hoc idem ſit rationi conſentaneum. &
primum quidem ſi non aliud, certè ſola ſui conſideratio, quo mu-
nere reliqua animantia deſtituuntur, quod ſi haberent, vereor ne
quàm plurimos noſtrum ſuperarent, ita frigidos ac pigros ſegnéſq;
homines video. ſola ergo ſui contemplatio ſatis eſſe deberet ad com
mouendam in egenos miſericordiam, ſi noſmet eorum loco ſtatue-
remus, cogitaremúſq;, quàm multis in eo ſtatu egere contingeret.
præterea nullum genus eſſe calamitatis, in quod & nos incidere
non poſsimus. quare quod in nos fieri optaremus, in alios eſt exer
cendum. rectè enim quidam externus dixit. homo qui in homine
calamitoſo miſericors eſt, meminit ſui. Deinde vtilitas, quam ex
pręſtita miſericordia homines conſequuntur, qua etiam re bruta ca-
rent, vrgere ad benigne faciendum deberet vehementer, ſi enim co-
gitemus quid quantumve ſit, quod in pauperes tribuitur, præ eo,
quod ex miſericordię factis acquirimus, totum profectò noſtrum
eſſe lucrum agnoſcemus. quæ enim fœnora, quod vſurarum genus
tantum præbet emolumentum, quantum in hac ipſa etiam vita, ali-
quid nobis charum pro Christo relinquentibus, atque in pauperes
diſtribuentibus promiſſum eſt? vt videlicet eadem res centies mul *Mat. 19.*
tiplicata retribuatur. futura verò bona quis enumeret? neq; enim
ſine cauſa à ſapientiſsimis eiſdémque ſanctiſsimis viris dictum fuit,
pauperes vtilitatis diuitum cauſa eſſe factos, vt facta inter vtroſque
comparatione facilius agnoſcant diuites Dei erga ſe beneficentiam,
& ob hanc cauſam grati eſſe poſsint. quę res non ita facile intellige-
retur, ſi omnes ex æquo diuitijs abundarent. deinde vt habeant vn
de peccata redimant, cuius rei ſingulare eſt remedium eleemoſyna.
dictum enim fuit potentiſsimo illi regi Nabuchodonoſor, peccata
tua eleemoſynis redime. quòd ſi deeſſent pauperes, quorum mini-
ſterio

ſterio fit iſta redemptio, quàm inopes conſilij deprehenderemini? quàm multę fraudes in veſtris negociationibus, veſtris artibus, veſtris mercibus fiunt. quæ fraudes cum in tam multos factæ ſint, vt tandem à vobis ipſis ignoretur, quos fraudaueritis, ſi hoc pauperum refugio deſtitueremini, ad quos tanquam ad ſalutiferum portum vos reciperetis, & apud eos tantum onus deponeretis, quàm penè deſperanda vobis eſſet ſalus veſtra? Sed quando decreuimus agere humanis rationibus, age illud addamus, atque acrius rem vrgeamus. Fingamus enim nihil hinc proficiſci vtilitatis neque in hac neque in futura vita, oſtendam tamen teneri ditiores egentioribus ſubuenire, niſi iniuſti prorſus, & à ratione alieniſsimi volunt exiſtimari. Dicite ergo mihi vos, qui cęteris eſtis ditiores, & cernitis quàm plurimos varijs neceſsitatibus circunſeptos, nec de illorum commodis æque cogitatis atque de veſtris. neque verò nunc Diui-

Leui.19. nam legem in medium afferre in animo eſt, quę præcipit, vt diliga-
Mat.22. mus proximum quenque tanquam noſmet ipſos. quod ſi cogitaretur, non eſſet opus hiſce diſputationibus, neque vlla in Chriſtiano orbe mendicitas, pręſertim tam anguſta & ſqualens reperiretur. ſed humanis tantum rationibus in prę ſentia agamus. cur ergo hic fame, ille frigore, alius vtroque conficitur, morbo laborat, eóque interdum multiplici, neque habet unde curetur. cum interim tu in ſumma rerum opulentia deliciaris, & bonis omnibus frueris. Fi-
Pſ. 143. lij tui ornatè incedunt, filię circumornatæ in ſimilitudinem templi, libet enim prophetę verbis vti, quando & quæ mox ſequuntur, veſtri ſimilibus congruunt. ſic enim ait. promptuaria eorum plena, ſuppeditantia omnis generis annonam. oues eorum fœtuoſæ, abundantes in plateis eorum, boues eorum craſſę. non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. cur inquam alij his omnibus deſtituti à vobis negliguntur? nón ne idem omnes genus ſumus? ab vno omnes profecti? O' Diuinam ſapientiam, quę hoc etiam prouiderit, ne, ſi diuerſam originem habuiſſemus, prætexeremus nobis cauſam aliquam, quamobrem alter ditior altero iure eſſe poſſet. pręterea cum prodimus in lucem, nudi omnes è materno vtero egredimur. hoc enim regi cuilibet cum mendico eſt commune. in tanta naturę æqualitate cur vos tantam inęqualitatem non exhorreſcitis? non cernitis hanc eſſe vſurpationem? naturam, (ait uir quidam è noſtris & ſapientia & ſanctitate præditus) ius com-

commune generauit, uſurpatio ius fecit priuatum. Cogitate enim ſi plures eſſent vnius parentis filij, ad quos paterna hęreditas ex æquo pertineret, & ex eis vnus ſua induſtria aliorum partem eſſet adeptus, atque iccirco eos inopes factos negligeret, nec cenſeret eſſe illis à ſe ſuccurrendum, quòd ſuo ingenio atque arte eorum hęreditatis partem comparaſſet, nón ne eum crudelem iudicaremus, qui fratres carnem ſuam auerſaretur, nec ſaltem alimenta illis integumentáque pręberet? in eadem omnes ſumus conditione, quibus cum pater omnium Deus, hanc terræ habitationem tanquam filijs poſsidendam tradidiſſet, dixiſsétque paſsim omnibus. ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram & vniuerſa ligna fructifera, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis beſtijs terræ, omní que volucri cœli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Videtis prouidentiam Dei, qui curat, vt etiam minima quęq; animantia habeant vnde paſcantur? Cum hæc ergo ita ſtatuerit, non cenſetis eum indignari, cum cernit homines, quorum cauſa omnia ſunt facta, ab ipſis hominibus prohiberi, quo minus ijs fruantur, quæ Deus ipſe non homini ſolum, ſed omnibus præterea, in quibus per parum vitæ ſit, voluit eſſe communia? cum ergo non ſolum ab vno Deo verum etiam ab vno homine totius noſtri generis parente ſimus profecti, quæ nam eſt hæc iniuſtitia, vt vnus eſuriat, alius ebrius ſit? At iſta quæ habeo (inquies) mea mihi induſtria, meís que ſudoribus comparaui. iam hoc in ſuperiori exemplo refutauimus, fratrum tamen tuorum ſunt, quę quomodocunque paraueris, cum fratribus tuis ſunt connumeranda, ſiue ipſe ea acquiſiueris, ſiue acceperis à parentibus. Cur ergo plus alijs occupare conaris, íd q; non neceſſario? neq; enim quod in neceſsitates tuas eſt impendendum, volo prohibere. neceſſaria (inquit) mihi ſunt quęcunq; habeo, ſi etiam quadringenties ſeſtertium poſsiderem. quamobrem? quia pro facultatum quantitate victus quoq; & cultus ſplendidior eſſe debet. ergo ſi orbem omnium terrarum poſsideres, oporteret omnia vni tibi deſeruire? at dudum vidimus, Deum non ita conſtituiſſe. ſed Diuinæ interim leges ſeponantur, humanis duntaxat rationibus agamus, videamúſque quibus nitaris fundamentis, cum dicis, pro numero pecuniarum, augendum eſſe victus ſplendorem ac cultus. quęnam hoc tibi leges præfixerunt? humanæ quidem nullæ, quod.

Gen. 1.

læ, quod ſciam. Diuinæ verò multò minus, quæ etiam vehementiſsimè aduerſantur. & humanæ quidem poſſunt leges cohibere, ne ſumptus ſuperet facultates, quod cum faciunt, non continuo præcipiunt, vt pro facultatibus ſumptum faciatis. nam à ſapientibus viris leges conduntur. quis verò ſapiens conſuleret, vt ſiquis tantum facultatum haberet, vt poſſet tantum corporis ornatum circunferre, qui totius Italiæ pretio æſtimaretur, id ageret? eadem erit in alijs gradibus ratio, vt quod in maiori ſumma prohibetur, in minori item, ſi æqui eſſe volumus, neceſſe ſit prohiberi. Redeamus ergo ad naturæ conſtitutionem, & videamus qua ratione ſubtrahendum ſit pauperi, vt tu incedas ornatior. & rationem quidem contra te facere, ſatis ex ijs, quę dicta ſunt, perſpicuum eſt, & naturam ipſam reperimus reclamare. cur verò indignus ſit pauper, qui honeſto & ipſe ornatu & cultu ac victu vtatur, quod facilè aſſequeretur, ſi tu à ſuperuacuis abſtineres, ego certè non video. cum enim eadem prędictus ſit dignitate naturæ, vt tu, ab eiſdem parentibus profectus, & cœlum ipſum, ſol, luna, ac reliqua ſidera, vt ei non minus quàm tibi ſeruiant, facta ſint, & indefeſſo curſu noctem diémque illius vtilitati conficiant, neque vlla in re vel magna vel parua minus quicquam illi, quàm tibi obſequantur, cum tantis inquam muneribus ab ipſa mundi fabrica ex ęquo honeſtetur, indignum iudicabis eum, qui tibi in victu ęquetur ac cultu? Illud præterea cogita, angelos & cœleſtes illas mentes eſſe admini-

Heb. 1. ſtros ſpiritus, propter eos, qui hęreditatem capiunt ſalutis. at pauperes ſaluti viciniores eſſe, quàm diuites, ſępe à nobis eſt demonſtratum. quare his plus eos fauere, quàm vobis diuitibus eſt conſentaneum. ergo iam dignitate ſuperare te incipiunt. certè nunquam reperies Seruatorem Chriſtum fratres ſuos diuites appellaſſe, qua appellatione pauperes eſt dignatus. fratres verò illius, in

Phil. 2. cuius nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & inſernorum, quinam victus ac cultus ſplendor pro dignitate honeſtabit? Cernis rem contra cecidiſſe, atque ipſe opinabaris, pauperes videlicet digniores eſſe ornatiore cultu ac uictu quàm diuites? nam ęquè dignos eſſe nulla eſt controuerſia. ętenim cum eadem menſa Chriſtus eos ęquè dignetur atque reges ipſos, quid magnum eſt, ſi honeſto etiam ornatu ſint dignandi? Et his quidem rationibus cum intellectum ſit debere pauperes ex æquo ſaltem cum diuitibus corpo-

corporeorum commodorum eſſe participes, ſi diuites ipſi, vt id prę ſtarent, aliquid de ſplendore victus & cultus imminuerent, nihil ſanè magnum, ſed quod debuiſſent, id feciſſe viderentur. cum uerò id efficere ſeruato ſuo gradu ſuaque dignitate facile poſsint, ſi nolint ipſi ſe decipere, & ſuis cogitationibus falsò perſuadere, quòd ijs indigeant, quę prorſus arguuntur eſſe ſuperuacua, cum inquam id poſsint, quam habebunt excuſationem apud eum, qui non, quemadmodum homines, ueſtris prętextibus circumueniri poterit, ſed omnia, ut qui agnitor ſit cordium, æqua lance examinabit? tunc enim ueris rationibus ueſtra ſomnia refutabuntur. tunc reperientur multi diuites, qui nunc ſe putant ſatis Chriſtianę pietati feciſſe, dum interim induuntur purpura & byſſo, & epulantur quotidie ſplendidè, ante quorum fores multi Lazari iacent, quos cum ingrediuntur domum & egrediuntur, ne cernunt quidem, à quibus in tormentis poſiti, optabunt una aquę guttula recreari, neque id aſſequi poterunt, ſed audient, memento quòd recepiſti bona tua in vita tua, nunc uerò cruciaris. quàm multi enim ob diuitum exe crandam auaritiam, uitam agunt non uiuendam? quàm multi pueri ac puellæ, quia parentum auxilio ob inopiam uel mortem ſunt deſtituti, miſerrimè diſperduntur? & horum omnium malorum crimen in diuites reijcietur, quorum ferreo pectore factum ſit, ut ij, qui eiuſdem naturæ ac dignitatis eſſent à Deo conſtituti, perin de negligerentur, quaſi alterius generis animantia fuiſſent, quod contra faciendum potius erat, ut ſcilicet maiore eos ſtudio ac cura fouerent, quàm reliquos, ut qui carnem ſuam illos agnoſcerent, eámque infirmiorem, & icirco curandam diligentius. ob quam opinor cauſam vir quidam ſapiens admonebat, quo ſe pacto gereret quis erga egenos. ſic enim ait. Inclina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & reſponde illi pacificè in man ſuetudine. uult ut ipſo etiam corporis habitu ac forma prębeamus nos faciles, & non ſolum audiamus locuturos, ſed etiam inclinemus illis aurem hilariter ac ſine triſtitia, ut & uultus alacritate & cor poris ſubmiſsione animentur ad poſtulandum neceſſaria, alioqui ob timorem ac uerecundiam non poſtulaturi. cum uerò audieris, uult ut amicè ac modeſtè reſpondeas tanquam ei, cui teipſum præferre non deceat, multò uerò minus contemnere. uide etiam quid præterea dicat. redde (inquit) debitum tuum. uocat eleemoſynam

Luc. 16.

Eccl. 4.

L debitum,

debitum, & Seruator ipſe appellat iuſtitiam, cum de eleemoſyna lo
Mat.6. quens dicit. attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram homini-
Pſal.111. bus, vt videamini ab eis. idem ipſum in pſalmo inuenies. Diſper-
ſit (inquit) dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.
& rectè ſanè vocatur iuſtitia. quid enim tam iuſtum eſt, quàm in-
digentibus præbere beneficia? contra verò, quid tam iniuſtum,
Eccl.10. quàm id non præſtare? quare idem ſapiens dicebat auaro nihil eſt
ibidem. ſceleſtius. & nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam, cuius vide-
licet ſtudium id efficit, vt generis noſtri conſortes non agnoſca-
mus. Illud demum ante oculos ponite, ac bene penitus cordi affi-
gite. ſi his diſputationibus, quas ipſa hominis ratio excogitauit, re-
Pſ.140. ſpondere diuites nequeunt, niſi duntaxat ad excuſandas excuſatio-
nes in peccatis, quo pacto Diuinis reſpondebunt legibus apoſtoli-
ciſque doctrinis? Diliget (ait Deus) proximum tuum ſicut teip-
ſum. hoc præceptum quo pacto impleas, niſi omnibus proximi cu-
iuſque neceſsitatibus æquè atq; tuis ſubuenias, non intelligo. cum
enim diligendi forma atque menſura tu ipſe proponaris, vt ex te
alium metiaris, cogita quantum tibi opus eſt, atque idem erga pro-
ximum age. & tunc demum aut potius tunc ſolum ſatis præcepto
feciſti. præcepto inquam, non conſilio, ne fortè te ipſe decipias. in
Mat.22. his duobus (inquit) preceptis, Dei videlicet ac proximi diligendi,
vniuerſa lex pendet & prophetæ, qui verò fruſto panis dato, aut
obolo vno putat ſe impleuiſſe præceptum, is nimium profectò ſe-
craſſe decipit. non enim in eum modum ipſe ſe amat, ſed uult non
ſolum neceſſarijs, ſed ipſis etiam ſuperuacuis abundare. Rurſum
1.Cor.2. Paulus, nemo (inquit) quærat quæ ſua ſunt, ſed quę aliorum, &,
charitas non quærit quæ ſua ſunt. huic legi quid reſpondebunt ij,
qui quærunt quidem quæ aliorum ſunt, hoc eſt, rapere res alienas,
atque eas ſibi vendicare. tantum verò abeſt, vt aliena commoda
quęrant, ac pręponant ſuis, vt nihil minus unquam cogitent, ſed
potius cum aliorum damno, aut certè illud minimè curantes, ſuis
commodis inſeruire? quod an verum ſit, veſtris ipſorum, quid in
quotidianis negociationibus mercaturiſque agatis, conſcientijs exa
minandum relinquo. Et hæc quidem tam abſurda inter nos fiunt
propterea, quòd pręter cognomen, quo Chriſtiani appellamur, ni-
hil præterea quod ad Chriſtianam philoſophiam pertineat, reliqui
in nobis eſt. qui ſi cogitaremus interdum, quodnam ſit Chriſtiani
hominis

hominis peculiare munus, nunquam committeremus, vt tanta támque abſurda inæqualitas inter eos, qui fratres inter ſe ſe eſſe debent, inueniretur. Potuit olim Lycurgus, quo tempore non ſolum cœleſtis regni, ſed ne immortalitatis quidem animorum ulla erat certa promiſsio, potuit, inquam, vir ethnicus ciuitatem inter Græcas urbes celeberrimam Lacedæmonem inducere ad bonorum ęqualitatem, nouámque agrorum partitionem, vt in ſingulos ciues æqua portio diſtribueretur, vt tota Lacedæmon vna multorum fratrum domus, qui nuper inter ſe hęreditatem diuiſiſſent, eſſe videretur. adiecítque, vt eſſet inter omnes potus ac cibi ęqua portio, & non ſolum in eſculentis ac poculentis, verum ne in ſtrato quidem, aut uaſis, aut alia re quacunque plus haberet diues quàm pauper. O' ſocordiam noſtram, ò ingratum genus. ciuitas ethnica, nulla habita futurorum bonorum ratione, ſed tantum ui ipſa rationis perſuadente, induci ad facultatum æqualitatem potuit, & nos, quibus infinita illa in cœlo bona promiſſa, intentatæ pœnę ſempiternæ, centuplum in hac etiam ipſa vita oblatum, nullis neq; pollicitationibus neq; minis commouemur. non cogitamus quantum debeamus Chriſto, qui ſuo nos icc irco ſanguine redemit, vt ſub eius legibus viueremus, cui non ſolum debemus facultates, ſed vitam etiam, quam & ipſam ab eo habemus. pro hoc ergo quid non agendum nobis eſſet? quæ ęqualitas non introducenda? præſertim ſub tantorum bonorum ſpe, & cum tandem omnia ad noſtram ipſorum vtilitatem ſint redundatura? & tamen non tanta res, quamuis modis omnibus debita à diuitibus exigitur, ſed ſolum poſtulatur; ne tam ſint in egenos crudeles, vt viſcera miſericordiæ erga illos aperiant, agnoſcant & ipſos eſſe homines, ſuum genus, ſuam carnem, & curam illorum ſuſcipere tandem aliquando incipiant, audiántque quid hic Dominus dicat. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et ſanè cum futurum ſit, vt omnes egeant Dei miſericordia, nullum cenſeo genus hominum reperiendum, cui ea futura magis opus ſit, quàm diuitibus, qui cum grati præ cęteris ob accepta beneficia eſſe deberent, ipſi maximè omnium benefactori Deo ſunt ingratiſsimi, cui ingratitudini ſi erit ignoſcendum, magna profectò opus erit miſericordia. quare faciendum illis eſt, quod Salomon figurata locutione de præbenda eleemoſyna admonet dicens: mitte panem ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt

Luc. 18. *Mat.* 8. *Mar.* 10.

Eccl. 11.

multa tempora inuenies illum. non perdes (inquit) quod in pauperes tribuis, quorum ora fluentis lacrymarum irrigantur, ſed ſuo tempore tibi retribuetur. quòd ſi durus es & immitis erga tuæ naturæ conſortem, qua fronte miſericordiam ab ipſo Deo audebis poſtulare? nam rectè quidam ethnicus, quem cum maximo auaritiæ noſtræ probro citabimus, dixit, minimè conuenire, cum ipſi inter nos abiecti neglectíque ſimus, poſtulare vt Deo chari ſimus, & ab eo diligamur. Illud verò in primis vrgere homines deberet, vt eſſent ad benignè pauperibus faciendum propenſiſsimi, quòd videlicet habituri eos ſunt conciliatores ad regnum illud æternum adipiſcendum. cum enim rex noſter Chriſtus inuitabit eos, qui à dextris eius erunt ad poſsidendum regnum ab initio ſeculi præparatum, nullam aliam aſsignabit cauſam, quàm quòd ipſe in pauperibus fuiſſet acceptus, vt per hos pauperes maniſeſtiſsimè ad regnum introducti fuiſſe videantur, quod quanti ſit faciendum, ſic cogitate. ſit aliquis, qui offenſo principe neci addictus ſit. ſiquis ſe illi offerat interceſſorem ad pacandum principem, & eum in gratiam reſtituendum, quid hic non eſſet ei donaturus, qui tanti boni auctor eſſet? at illis, per quos ęternæ vitæ & immortalium bonorum poſſeſſio comparatur, quid pro dignitate tribui unquam poterit? proinde merito in æternos ignes relegabuntur qui tantam ac tam facilem tantę fœlicitatis adipiſcendę occaſionem neglexerint. tunc errorem & craſſas ignorationis ſuæ tenebras agnoſcent, ſed ſerò, cum nullum ex ea pœnitentia fructum referent. quare nunc faciendi tempus eſt, neque procraſtinandum. neſcis enim (inquit) quid ſuperuentura pariat dies. nullus in tam periculoſa tantíque ponderis re locus inertię ſocordiæque relinquatur. cogitandum eſt frequentiſſimè, quàm terrificum, quantíque horroris futurum ſit verbum illud aſperum, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. quam ob cauſam? eſuriui enim & non dediſtis mihi cibum. tantúm ne? immo & de potu, de veſtimento, de hoſpitio, déque reliquis neceſsitatibus, quę accidere homini poſſunt, mentio fit, nequis ſibi blandiatur, ac dato quadrante aut cruſtulo panis putet ſe miſericordię pręceptum impleuiſſe. omnia complexus eſt Dominus, quæ hominis indigentię ſunt neceſſaria, vúltque vt ea factis ipſis omnia aſſequamur, quorum ſi particulam vnam implere contentus es, cum omnes poſsis, non video quo pacto Gehennę

Mat. 25. *Pro. 27.* *Mat. 25.*

ennę perpetua illa incendia queas euadere. Poſtea verò quàm expaueſcendas huius Geennæ atque ęterni ignis minas ac pœnas cordi atque animo bene pœnitus infixeris, rurſum refer cogitationem ad læta, & omnibus felicitatis numeris abſoluta Domini promiſſa, quæ miſericordibus facienda ſunt. Venite (inquit) benedicti patris mei poſsidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi. *ibidem.* quàm,verò ob cauſam? delectat enim me ipſa huius rei cogitatio, cupióque eandem vobis eſſe familiarem, vnde omnis beatitudinis fons proficiſcitur. ex quibus ergo factis regnum hoc comparatur? eſuriui (inquit) & dediſtis mihi cibum, ſitiui & dediſtis mihi potum, hoſpes eram & collegiſtis me, nudus, & operuiſtis me, infirmus, & viſitaſtis me, in carcere eram, & veniſtis ad me. At hæc omnia ſine vllis pollicitationibus ſpontè naturæ facienda erant,cum verò his factis regnum promittatur, idque æternum, quis tam ſtultus eſt, qui tantum bonum non agnoſcat? quis tam auarus, atque adeo quia eſt auarus, tam felicem conditionem, tantúmq; lucrum elabi è manibus patietur? qui honores ambit ac dignitates, tam ingentem gloriam, quæ ita facile, támque exiguo pretio queat comparari, non ſummo ſtudio quæret adipiſci? Si ergo demonſtrauimus, natura, ratione, Diuinis legibus exercendum eſſe in pauperes miſericordiam, ídque liberaliſsimè. ſi oſtenſum, hanc eſſe diuitum potius quàm pauperum vtilitatem, excutiamus obſecro ſuperioris temporis veternum, & tandem aliquando expergiſcamur, ac tantum negocium tractemus, quemadmodum tractandum eſt, vt & vitam hanc degamus, vt ſanctos decet, quæ appellatio Chriſtianorum eſſe debet propria,& promiſſa miſericordibus bona conſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORA-

ORATIO DVODECIMA·

SVPERIORE oratione, qua ſumus de miſericordia
locuti, anguſtijs temporis circunſcripti non potui-
mus de ea miſericordiæ parte verba facere, quæ ſpi-
ritu fit, quę'que ad animum potius atque ad interio-
rem hominem pertinet, quàm ad exteriorem & cor-
pus ipſum, quę pars nihilo inferioris dignitatis eſt, quàm ſuperior,
de qua fuimus locuti, immo verò tanto dignior, quantò, dum illa
corpus in primis, hæc animum ſuſcipit curandum, animus pręſtan
Eccl.9. tior corpore eſt. quare ſi quis egentem alimento verbi Dei, quod
Pro. 18. panis & aquę appellationem interdum in ſcripturis ſanctis habet,
paſcere negligat, maiore multò afficietur pœna, quàm ſi corpo-
reum illi panem negauiſſet. quando animę iactura ſalutis longè eſt
perniciosior, quàm illa corporis. Et ſanè video pleroſque omnes
in hac parte multa peccare, qui tantum abeſt, vt hæc ſpiritualia mi-
ſericordię facta exerceant, vt neque quę ſint, neque an ſint, ſcire vi-
deantur. vt reſpondere poſsint interrogantibus, num ea opera exer
cuerint, quod in actis apoſtolorum legitur quoſdā reſpondiſſe Pau
lo, qui cum eos interrogaſſet, num ſpiritum ſanctum accepiſſent,
Act.19. poſtquam credidiſſent, reſponderunt, ſed neque an ſpiritus ſan-
ctus ſit, ſcimus, & certè probroſum nimis eſt, Chriſtianos homines
in rebus tantum ſuæ profeſsioni conſentaneis, eſſe tam ſupinos.
quod ut poſthac à uobis non committatur, uolo ante quàm ſe-
quentem beatitudinem aggrediar, cuius ea generis ſint, breuiter
commonſtrare, & tanquam digitum ad fontem intendere, ut ho-
rum, quæ dicturus ſum, exemplo, cætera uoſmet ipſi per uos ex-
cogitetis. Et primum quidem partes illæ, quæ ad corpoream mi-
ſericordiam pertinentes, narratę in Euangelio ſunt, uolo ut ad mi-
ſerendum animo conuertantur, ut eſurientes paſcere, & ſitienti-
bus potum dare iudicemur, cum ijs, qui eſuriunt & ſitiunt iuſti-
tiam, qua de re ſuperioribus orationibus eſt dictum, ea præbemus
adiumenta tum dictis ac monitis tum exemplis, ut per nos non
ſtet, quo minus eorum fames, ſitis que expleatur. hoſpites excipie
mus, cum non contenti domeſticis fidei, curabimus pro uiribus,
ſi quo modo poſsimus aliquos ex ijs, qui adhuc ſunt ſine Chriſto,
alienati (ut ait Paulus) à conuerſatione Iſraelis, & hoſpites teſta-
mento-

mentorum promisſionis, hos inquam hoſpites in domum noſtram, hoc eſt, catholicam eccleſiam introducere. & ſanè ingens eſt error, qui inter nos irrepſit, ut nihil eos, qui foris ſunt, curare uideamur, neque cogitemus, quid apoſtoli, quid eos ſecuti uiri apoſtolici fecerint, qui tanto ſtudio in eorum ſalutem, qui longè aberrabant à ueritate, incubuerunt. quos cur nos non imitemur, nullam ego quidem cauſam uideo. Nudos operiemus, ſi id fecerimus, quod vir quidam ſapiens ait. audiſti uerbum aduerſus proximum tuum, commoriatur in te, & fidas quòd non te dirumpet. cum ergo vitioſum aliquid de proximo quoque vel cernimus, vel audimus, tanquam operimento quodam ſic ſilentio inuoluamus, excuſemus etiam illud aut extenuemus apud eos, qui inuehi in illum voluerint. illi verò iniqui admodum ſunt, qui non ſolum operire nuditatem hanc renuunt, verum etiam opertam denudant, & quaſi eum qui veſtitus eſt, ſpoliant, contra videlicet atque eis imperatur. à quibus quid expectari aliud debet, quàm ea execratio, quam filius Noe Cham meruit, qui patris uerenda fratribus reuelauit? ſcelerati profectò ij ſunt, atq; impij, qui non ſaltem in ſeipſos deſcendentes cogitent, & ſe multa habere, quibus aliorum egeant miſericordia, & multò plerunque grauiora peccaſſe, quæ ſi nudarentur, maximo pudore afficerentur. ij ſunt ex eorum genere, quibus Dominus dicit: cur uides feſtucam, quæ eſt in oculo patris tui, trabem autem, quæ eſt in oculo tuo non aduertis? aut quomodo dicis fratri tuo, ſine eximam feſtucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo? hypocrita eijce prius trabem ex oculo tuo, & tunc perſpicies vt eximas feſtucam ex oculo fratris tui. hęc ſi cogitaretis, non eſſet tanta in hac ciuitate taxandi cuiúſque licentia, & prodendæ aliorum culpæ, quę cum alioqui latere potuiſſet, ueſtro uitio inuulgatur ac reuelatur. quàm uerò ob cauſam in re tam ſcelerata capere uoluptatem uidemini, ut nihil longius pleriſque uideatur, quàm ut ubi quid probroſum de aliquo ſciunt, mox alteri narrent, & niſi illud effundant, dirumpendos (quod pulchrè is ſapiens, cuius dudum memini, deſcripſit) ſe eſſe exiſtiment? num aliorum reprehenſio tua commendatio eſt? ſed qui ex comparatione aſſequi laudem cupit, non ad uitia ſed ad virtutes & rectè facta ſe referat oportet, ut non ex minore peccatorum ſumma, ſed maiore uirtutum numero ac magnitudine commendetur. ſed pergamus reliqua. Infirmos inuiſimus, cur-

Eccl. 19. *Gen. 9.* *Mat. 7.* *Luc. 6.* *Eccl. 19*

cum eos, qui imbecilliores in uia Dei ſunt, erigimus atque anima-
Eſa. 35. mus, facimúſque quod propheta admonet, cum ait. Dicite puſillanimis, corroboramini & nolite timere. ſi eum, qui in aliquo deliquerit, amica admonitione corrigimus, ſi ignoranti dubitantíque ſalutare conſilium damus. at multi, quod dolendum eſt uehementer, non ſolum non curant proximum quenque iuuare conſilio, verum etiam pernicioſisſimè conſulendo, plurimis malis,
Pro. 12. atque ſceleribus aperiunt viam; de quibus Salomon ait. conſilia impiorum fraudulenta. & ſanè nihil eſt malis conſiliarijs fraudulentius, qui ſpecie boni propoſita, etiam ſapientes interdum ín errorem trahunt. ob hanc cauſam uir quidam ſapiens, intelligens
Eccl.6. quanti referat, quorum conſilijs nitamur, aiebat, multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius vnus de mille. hoc ergo pacto infirmum ac debilem (in Grçco enim eſt ἀσθενής, hoc eſt, robore ac uiribus carens) inuiſimus, at ín carcere quem eſſe dicemus, ad quem ſit eundum? eum opinor, qui non ut ij, quos diximus infirmos ac imbecillos, qui amant ſuam iuuari imbecillitatem, atque interdum etiam eos adeunt, à quibus accipere adiumentum posſint, ſed qui vitiorum conſuetudine quaſi cuſtodia quadam ac carcere obſeſſus ita detinetur, ut ſe iam ab ijs uinculis expedire minimè poſſe videatur. Ad huius generis homines curandos, ſtudium maximum adhibendum eſt, & magna erga eos utendum miſeratione, atque eò maiore, quo periculoſior eorum, & quaſi deſperata eſt ſalus. admouendæ ſunt machinę omnes, quibus expugnari is carcer, quo incluſi detinentur, posſit, & exorandus asſiduè Deus,
Pſ. 141. ut educat, quemadmodum propheta ait, de carcere animam eo-
Pſ. 115. rum, & dicere tandem aliquando liberati valeant. dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. ij enim in primis ſunt, quorum correctio cœlum exhilarat, de quibus Seruator ait.
Luc. 15. gaudium eſt angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Vultis & alia miſerationum genera perquiramus? Cum ab aliquo affectus iniuria es, remitte quicquid inde offenſionis tibi acceſsit, erítque hoc miſericordiæ opus egregium. quam ob cauſam? quia
Mat.6. hoc remittere debitum eſt, quemadmodum in Dominica oratione
Luc. 11. docemur, ſicut enim ubi quis debitam pecuniam remittit alicui, qui ob inopiàm ſoluendo non ſit, hoc aſcribitur eleemoſynę, ita hic & multò etiam magis eleemoſyna erit in remittenda iniuria,

cum

cum plerique omnes pluris illatam iniuriam faciant, quàm pecuniæ iacturam. Hoc autem facilius, atque alacriore animo fiet, ſi duo cogitentur. primum, quòd in hoc facto Deum videmur imitari. ſicut Dominus ipſe, cum de inimicis diligendis loqueretur, admonebat, cum diceret, ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. hoc quantum eſt, ad Diuinam ſcilicet celſitudinem inuitari? alterum eſt, quòd præcipua eſt hæc uia conſequendæ à Deo miſericordię, atq; hoc ab ipſa veritate profectum eſt, cum dixit. ſi enim remiſeritis hominibus delicta eorum, remittet & vobis pater veſter delicta ueſtra. ſi autem non remiſeritis hominibus delicta ſua, nec pater veſter remittet vobis delicta veſtra. quis ueſtrum non optet ignoſci ſibi à Deo quæ peccauit? at definita ſententia eſt, ſi vis remitti tibi peccata tua, remitte proximo quę in te peccauit, alioqui ne ueniam peccati expectes. quis hanc conditionem vel recuſare audeat, vel non libentiſsimè amplexetur? Eſt præterea miſericordię opus non contemnendum, conſolari triſtes, ne abundantiori triſtitia abſorbeantur. multos enim (ait quidam ſapiens) occidit triſtitia. ſic & perferre imperfectiorum mores, tanquam ægrotantium morbos. item Deum pro omnibus precari, illiſque bene optare. denique proximi cuiuſque facta in bonam partem interpretari. nam hęc profectò miſericordiæ pars eſt laudatiſsima, cui ſi detur opera, multa ac maxima bona parere idonea erit: contra verò, eius neglectus plurimorum malorum eſt ſeminarium. quid enim boni, aut quid non potius mali ab ijs expectetur, qui omnia, quæ plerunque ſunt optima atque ſanctiſsima, malè interpretantur? hoc uitium eos in perfidia ſua detinebat, qui cernentes Dominum Chriſtum ea facere, quę nunquam alius quiſquam feciſſet, calumniantes dicebant, in Belzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia. frequentiſsimum eſt etiam noſtro æuo hoc negocium, ut pauci ſint, qui candido animo proximi cuiuſque facta interpretentur. & ſanè cum ſimus inuicem membra, deberemus parentum naturam imitari, qui natorum uitia honeſtis vocabulis appellant.

Mat.5. *Mat.6.* *2.Cor.2.* *Eccl.30.* *Luc.11.* *Eph.4.*

Strabonem (ait quidam)
Appellat petum pater, & pullum, malè paruus
Si cui filius eſt.

M idem

idem eſſet & nobis faciendum, ut ſiquis, exempli gratia, parcius quàm facultatum ratio poſtulat, viuat, non continuò auarus, ſed frugi dicatur, & qui velit ea, quę ſibi ſubtrahit, in pauperes diſtribuere. alius ad prodigalitatem inclinat, liberalis appelletur. eſt aliquis plus ęquo in dicendo liber, ſimplicem & qui ſimulare aut malitia uti neſciat, vocemus. timidior aliquis eſt, cautus dicatur. hęc res & amicos iungeret, & iunctos ſeruaret. at nos contra facimus. & ipſas virtutes inuertimus, & vas quod ſyncerum eſt, cupimus incruſtare, perinde quaſi vitium aliquod habeat. verſatur aliquis inter nos probus & quietus, nimis demiſſus homo eſt, inquimus. alter circunſpicit, cauétque hominum inſidias, ſciens ſe inter inuidiam & crimina verſari, vocamus eum fictum & aſtutum. hic ſimplicior eſt, cenſetur communi ſenſu carere. ille omnibus obſe-
1. Cor. 9. qui, & cum Paulo omnibus omnia fieri ſtudet, continuò adulatorem calumniamur. quid? quòd etiam cogitationes ipſas, quę ſoli
Pſal. 7. Deo notę eſſe poſſunt (ſcrutans (inquit) corda & renes Deus) ſcrutari atque interpretari multi audent, & ſomnia ſibi fingunt, quæ nullis nituntur fundamentis, & tamen pro rebus certiſsimis plerunque ea habent, ita miſeri in noſtram perniciem pręcipites agimur, & quod Dei eſt proprium, vitioſo animi affectu nobis vendicamus. hæc vbi fiunt, quid miramur omnia penè charitatis ve-
1. Cor. 13. ſtigia eſſe deleta? charitas enim (inquit) non cogitat malum, at hęc de proximo quoque cogitatio atque interpretatio in malum, indicio eſt uos à charitate diſtare quàm longiſsimè. Hactenus de miſericordia, quam ad interiorem hominem pertinere diximus, breuiter, ſi rei dignitatem conſideremus, ſumus locuti. nunc reliquam beatitudinem, quamuis medium iam hodiernæ orationis
Mat. 5. curſum confecerimus, aggrediamur. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt*. ſuperioribus beatitudinibus promittitur regnum cœlorum, conſolatio, ſatietas, quæ cum ſine participatione Diuinæ viſionis nequaquam facienda ſint, videndum eſt cur
1. Ti. 6. mundis corde promittatur, fore, vt Deum videant. Deus lumen habitat inacceſſum, ut ait Paulus, atque adeo ipſe lux eſt. at lucis ea eſt natura, vt niſi perpurgatos, & naturali quodam acumine præditos inueniat oculos, percipi nequaquam poſsit. præſertim ſi magna eſt, vt ea, qua ſol eſt præditus, quæ ob magnitudinem humanos hebetat oculos, quia ad tantam percipiendam lucis copiam infirmi

infirmi ſunt. at quædam animalia feruntur (quemadmodum de aquila creditur) quę ob robuſtam oculorum aciem in ipſum ſolem intuitum defigunt. Hęc ergo lux, quæ Deus eſt, & inacceſſa dicitur ob incomprehenſam eius magnitudinem, ut comprehendi, quantum creatę rei fas eſt, poſsit, oportet eos, qui id aſſequi cupiunt, purgatiſſimos, & percipiendę tantæ luci aptiſsimos habere animi oculos. id autem ex puritate munditiéque cordis comparari poteſt, ſi à vitiorum peccatorúmque ſordibus perpurgatum, in continua virtutum exercitatione, tanquam in lucis conſuetudine retineatur. nam rectè facta Paulus arma lucis appellat, contra verò iniquè facta vocat opera tenebrarum. cernimus autem eos, qui tenebris ſunt aſſueti, percipiendæ luci eſſe omnium ineptiſsimos. at cum peccatum tenebrę ſint, quicunq; ab eo quàm longiſsimè ſeſe diſiungunt, & virtutum lumini aſſueſcunt, quantò id accuratius faciunt, tantò Diuinæ luci intuendę ſunt aptiores. quòd cum intelligeret regius propheta, hanc expoſcebat à Deo munditiem, cor mundum, inquiens, crea in me Deus. Quantum verò eſt, ex cordis munditie id aſſequi, vt Diuina viſione fruamur? hęc eſt enim vita æterna (inquit) vt cognoſcant (hoc autem idem eſt, quod videant) te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. tanti ab hominibus fit corporei huius luminis aſpectus, vt qui eò careant, maximo deſtituti ſolatio eſſe videantur, quòd cœlum, ſolem, terrę virentia cernere non poſsint, quod tamen cum minimis quibuſque animantibus commune eſt, & niſi per hunc ſenſum quaſi quibuſdam gradibus aſcenſus paretur ad Diuinam & maieſtatem & bonitatem contemplandam, quid aliud eſt oculorum aſpectus, quàm leuis quędam curioſitas? at cum hæc contemplandi ratio rariſsimè atque à quàm pauciſsimis fiat, hęc tamen curioſitas tanti ſit, vt quicunque ea deſtituuntur maximo affecti fuiſſe damno exiſtimentur. cum autem hæc Dei viſio ſola ſit, quæ beatos, quicunque beatitudinis eſſe capaces poſſunt, efficiat, neque cum reliquis ullis animantibus communis, ſed ſolis hominibus cum purgatiſsimis cœleſtibus illis mentibus ſit reſeruata, quanti ea res facienda eſſet, qua tanta felicitas comparatur? ea autem eſt, quemadmodum nunc ex Euangelio audiuimus, puritas, cordíſque mundicies. & tamen (heu nunquam ſatis deflendam hominum ſtultitiam, atque ſocordiam) quotuſquiſque noſtrum eſt, qui id agat, quod vir

Rom. 13.

Pſal. 50.

Ioan. 17.

Pro. 4. ſapientiſsimus admonet. omni cuſtodia, inquiens, ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit?. quæ rerum cuſtodia non huic antefertur? quis pretioſam veſtem, aut pecuniam non maiore ſtudio aſſeruat, quàm cor, rem quę ſola eſſet cuſtodienda? cor theſaurus cœli, virtutúmque cœleſtium, atque adeo ipſius Dei habitaculum, ita negligitur, vt homines pro viliſsima quaque appetitione patiantur aut potius committant, vt tanta res ſordidetur, & Dei habitatio, beſtiarum, immundorúmque ſpirituum habitatione permutetur. nulla ei adhibetur cuſtodia, facilíſque ac libera eſt facultas vitioſo cuilibet affectui ac perturbationi ad illud penetrare, atq; adeo inuitare eos videtur, vt obijci ei poſsit, quod fornicanti Hieruſalem
Eze. 16. per Ezechielem obijcit Deus, cum ait: ad omne caput viæ ędificaſti ſignum proſtitutionis tuæ & abominabilem feciſti decorem tuũ, & diuaricaſti pedes tuos omni tranſeunti. Et quidem vel ex hominum conſuetudine capere exempla debueramus, qui regum ac principum domos ita ſatellitum ac miniſtrorum cuſtodia muniunt, vt ſine ſumma obſeruatione non facile ad illos aditus pateat. quantò autem accuratius hoc pro cordis cuſtodia eſſet faciendum? quæ enim regum dignitas conferri cum ipſo poteſt, quandoquidem quicquid dignitatis reges habent, huic acceptam referant neceſſe eſt? Age itaque excogitemus aliquam cuſtodiendi huius cordis rationem. ſed video nos hodie id præſtare minimè poſſe, cum multa iam dicta hactenus ſint. quare alteri orationi hoc reſeruetur, & ſanè ſi ullum anni tempus eſt huic negocio accommodum, hoc ipſum mihi eſſe videtur, quo cum ſuperioribus diebus, quibus Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem celebrauimus, omnes conati ſint, ſordes cordi illitas auferre, & hactenus ęgrotum ſanum efficere, danda quàm maximè opera eſt, vt hęc incolumitas conſer-
Eccl. 34. uetur. alioqui qui baptizatur à mortuo (ait quidam ſapiens) hoc eſt, qui poſt contactum mortui (quæ res immunda habebatur) lauatur, & iterum tangit mortuum, quid prodeſt lauatio eius? agnoſcamus tandem aliquando peccati tyrannidem quanta ſit, quodq; ab eo mala omnia, quę hominibus accidunt, proficiſcantur, quo amoto nihil accidere mali generi noſtro poteſt. quę vna cogitatio idonea eſſet, ad omnes auocandos ab ea vita, in qua eſtis hactenus verſati, atq; ad deteſtandum tam vehementer atque abominandum peccatum, vt nunquam in eius poteſtatem venire patiamini. quod

vtinam

vtinam omnes aſſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO DECIMA TERTIA.

QVAE RES in homine ſola hominem efficere ſordidum & turpem poſsit, ea nobis Diuino Seruatoris noſtri oraculo declarata eſt, quæ ſcilicet è cordis domicilio vitioſa cogitatio proficiſcitur, quæ vna quidem eſt, quanquam diuerſas ei appellationes ex ſubiectis rebus dare conſueuerimus, vt furta, homicidia, falſa teſtimonia, conuitia, cęteráque huius generis plurima, quę omnia tamen ab eodem & vno fonte, hoc eſt, à prauo corde deriuantur. Quòd ſi illud pręterea animo complectamur, quàm facile, quam multę nobis ſordes ſępiſsimè allinantur, dum velociſsima cordis agitatio vno impetu ſe ad plurima refert cogitanda, tum fœda, tum nefaria, iudicabimus profectò ſapientiſsimum fuiſſe ſapientis viri conſiliū, qui admonebat, vt omni cuſtodia cor ſuum quiſque ſeruaret. nam plerosque videas, quos nemo vnquam in ſceleribus deprehenſos aut vllis malefactis intellexerit, eoſdem tamen ob malè, nec ſatis accuratè cuſtoditum pectus, multorum ſibi ſcelerum conſcios, quíque iam in corde ſuo fratrem ſuum iugulauerint, ſcortati fuerint, adulteri, raptores, dum ſola cogitatio extra terminos vagata, odio, aut laſciuijs, turpibúſque appetitionibus adhæreſcit. de quibus propheta, iniquitatem (inquit) meditatus eſt in cubili ſuo, id eſt, in cordis arcano. Quocirca quærenda (quemadmodum ſuperiori oratione ſumus polliciti) nobis via eſt, & ineunda ratio, qua nec facilè hoſtibus ad ipſum cor aditus pateat, & ipſius temeraria peruagatio cohibeatur. quæ cautio non ob eam ſolum, quam diximus, cauſam adhibenda eſt, ſed multò etiam magis, quia tum demum pręſtantiam ſuam intelliget, cum ſeſe à vilioribus & parum ſe dignis rebus ſeparauerit. quemadmodum & aurum non ante ſpeciem

Mar. 15.

Pro. 4.

Pſal. 35.

ciem ſuam præ ſe ferre poteſt, quàm terrenam fecem exuerit. tum certè intelligemus, cor noſtrum theſaurum eſſe cœli, & cœlo etiam ipſo rem longè præſtantiorem, quando Dei capax eſt, quem ne cœli quidem ſua tanta amplitudine complecti poſſunt. at humanum interdum cor tam lata ſpatia ſibi comparat, vt non habitare ſolum

Leui.26. in eo, ſed & deambulare Deus poſsit. habitabo (inquit) & deambulabo in eis, & ero illorum Deus. Age itaque aggrediamur, & quoſdam ei quaſi cancellos circundemus, quos egredi non audeat, aut certè potius non veluti carcerem huic circunſcribamus, ſed, quo li-

Adag. bentius ſe à cæteris inferioribus ſeiungat, ac ſecum habitet, habeat que vbi conficiat ſua ſpatia, arcem ei paremus, cuius & pulchritudo iucunditati, & extructio ipſa defenſioni ſit, alioqui tam egregia præſtánſque natura niſi egregia quadam arte detineri non poterit. Huic igitur arcem ædificabimus, quę triplicem murorum ambitum habeat, quorum etiam ſit ſpectata & ſelecta materia, vt primus è ſolido ferro conſtet, alter ſmaragdo, tertius, qui & interior erit, pyropo. ipſe verò dux intra tam pręclara ſepta libens verſetur, quorum interea decore & pretio delectatus, reuiſat ea ſępius, & eorum fruatur contemplatione. Hæc rerum facies, opinor, eam vim habebit, quam apud Platonem illa deſcriptio, cum animi partes & vires depinguntur ſub ea forma, primum multiplicis beſtię, tum leonis, poſtremo hominis, quę imago efficit, vt res & apertiores fiant, & animo fortius affigantur. ſed ad arcem noſtram veniamus. Primum muri ambitum è ferro, timorem eſſe volumus, cuius ſi rationem poſcitis, mementote pleraq; omnia, quæ timorem hominibus creent, è ferro fieri ſolere. cernimus autem acies militum ferro armatas, terrorem animis inijcere. quare in Cantico canticorum

Cant.6. dicitur. terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Primus erit ergo ti-

Eccl.1. mor, nam initium ſapientię timor Domini, quod ferè expreſsit quidam poëta cum diceret.

Primus in orbe Deos fecit timor.

Hunc ergo erigemus, cum illud cogitabimus quanta ſint ijs parata ſupplicia, qui ſe contaminant humanis vitijs ſeſéque libidinibus dedunt nullúmque amant cum virtute commercium. Hor-

Heb.10. rendum (inquit) eſt, incidere in manus Dei viuentis. &, vermis

Eſa. 66. eorum non morietur. &, ſubter te ſternetur tinea, & operimen-

Eſa. 14. tum tuum erunt vermes. & quod veritas ipſa interminatur, mittendos

tendos impios in fornacem ignis ęterni, quod certè ita terrificum *Mat.13.*
eſt, vt nulla ſit tam ſecura mens, quæ hac cogitatione non commo
ueri & de gradu ſuo deijci poſsit. Cogita enim mihi æternum tempus, ſi tamen illud appellare iam tempus licet, cum ad infinitam diuturnitatem ſæua accedent pœnarum genera, cum erit peccator cibus ignis, eiúſque perpetui, neque iam erit illi ſententiæ locus. dolor ſi magnus breuis, ſi longus leuis, quando & dolorum nulli ferenda rabies, perpetuitatis recordatione augeſcet, & diuturnitas, ipſa ſibi per ſe pœna, pœnarum acceſsione fiet immitior. meritò *Mat.8.*
ſanè erit ibi fletus & ſtridor dentium, cum peccator videbit & ira- *Luc. 13.*
ſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, & vota peccatorum peri- *Pſ. 111.*
bunt. Profectò ſic mihi perſuadeo, id tantum meminiſſe, nullum futurum illic eſſe malorum finem, omnibus, quę hic excogitari aliquando potuerunt, tormentorum generibus grauius fore. O' miſeram, ò duram cogitationem, igni torquendum eſſe, neque vllo fine incendium deſiturum. quàm multa cunque ſeculorum millia numeraueris, nihil omnino id eſt, ſi cogites quę ſuperſint, cum ſecutura adhuc relinquatur ęternitas, quæ ſemper in ſe ſe in morem circuli ſua per ueſtigia reuoluatur. quis verò varias & ſceleribus pares pœnas explicet?

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oráque centum,
Ferrea uox, omnes ſcelerum comprendere formas.
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim.

ferrea nimirum & horrenda huius muri facies, ignis, ſulphur, *Pſal. 10.*
grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ cum non totus calix ſint, ſed pars calicis eorum, quis plenum calicem hauriat? Verum tam diro huius primi ambitus ſpectaculo tantiſper ſolum immorari animus debet, dum ſentiat cum Elia ſpiritum grandem *3.Re.19*
& fortem, ſubuertentem montes & conterentem petras ante Dominum, ſitq; ſecuta commotio. tunc ſtatim diſcedendum eſt, ne opprimatur mens à puſillanimitate ſpiritus, erigendúſque alter murorum orbis, qui prioris aſpectum leniat, & labantes trepidatione ſenſus recreet. Sit igitur è ſmaragdo viridiſsimo lapide, & qui aſpectu ſit iucundiſsimus ob colorem, quem propterea oculos demulcere ferunt harum rerum periti, quòd medius colorum ſit, & proportione, quaſi quodam concentu conſtet perfectiore. Hæc ſpes erit, quæ quemadmodum in arboribus ſuccus, dum per truncos

coſ ſerpit & ramos. pérque totum funditur corpus, tandiu gratam ſeruat in folijs viriditatem; ſic iſta vigorem quendam inſerit in hominibus, & uitalem ſuccum, qui in medio plerunque æſtu omnem Sirij ardentis impetum ſuperet. Huius eſt gemina uis, vt prius mœroris timorísque, qui non rarò imbecillos & ad res agendas ineptos facit, propulſet iniuriam. quod facit propheta, cum ſi
Pſ.41. bi ipſe animum adijciens, quare (inquit) triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc confite-
Iob.13. bor illi. alter verò aliquantò animoſius, etiam, ait, ſi me occiderit, ſperabo in eum. quid? an tu non extremum malorum mortem putas? non ego (inquit) poteſt enim & à morte me in uitam reuocare, eámque meliorem. Deinde ſuperata imbecillitate, fixóque fortius gradu, nihil iam de quauis iniuria, aut calamitate ſolicitus animus, quod ſupereſt, ad maxima quęque ſperanda erigitur. & in veri illius boni pulchríque expectatione ſuſpenditur, & nunc quidem bonorum magnitudinem ad-
Pſ.30. miratus exclamat. quàm magna multitudo dulcedinis tuę Domi-
Baru.3. ne, quam abſcondiſti timentibus te, &, ò Iſrael quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſsionis eius. & alibi infinitam beatæ illius vitæ vbertatem conatus exprimere, inebriabun-
Pſ.35. tur (inquit) ab vbertate domus tuę, & torrente voluptatis tuę potabis eos. perinde quaſi exiguum eſſet ſitim ſedarę, & voluptate affici, niſi ebrietas & voluptatis torrens appellaretur. eundem in
Can.5. modum in epithalamio. comedite amici mei & bibite, & inebriamini chariſsimi. Nunc verò perpetui neque deſituri unquam boni recordatione, contra quàm in timore vſu veniebat, duplicat iu-
Pſ.83. cunditatem. beati (inquiens) qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. &, in æternum exultabunt, & habitabis in eis. Delectabilis ſanè ſuauíſque cogitatio, ſcire explendos omnino eſſe nos, & ſatiandos, cum apparuerit gloria Domini, & hunc animum, cui ne totius quidem terrę imperium ſatis ſit, tum demum, aut potius tunc ſolum inuenturum, ubi cupiditatem ſiſtat. beatum præterea illum ſtatum meminiſſe immortali fixum perſeuerantia. Stulti filij hominum, atque etiam inſani, qui dum optare vos plurima arbitramini, nihil optetis, ſi corporis
Mat.13. ſpeciem appetitis, fulgebunt iuſti ſicut ſol. ſi incolumitatem, aberunt morbi, triſtíſque ſenectus. ſi plurimarum rerum ſcientiam

mauultis,

mauultis, in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientię abſcondi ti. ſi uos honorum opúmq; admiratio ad ſe rapit. gloria & diuitię in domo eius, & veſtrum erit cœlum, veſter orbis terrę, & plenitudo eius. Quid ipſi vobis anguſta ſpatia circunſcribitis? ſi ſperandum eſt, digna vobis veſtráque præſtantia ſperate. agnoſcite quæ vobis propoſita, vobis parata, vobis facta ſunt. Miror, niſi iam cor pulcherrimo iſto ſepto tanquam monili circundari optet, ſed tertium addendum eſt, vt maiori adhuc afficiatur voluptate, ac ſponte ſua regiam prorſus domum eſſe fateatur. Et priora quidem duo vim multam habent, præſertim ſi iuncta ſint, vt quis, eorum contemplatione, aſcendat vſque ad cœlos, & deſcendat vſque ad abyſſos, ſpémque metúmque inter. verum neque bonus diuturnitatis cuſtos eſt timor, & ſpes terreri interdum aut falli poteſt, ſi quando hoſtes perſuaſerint, ea, quæ expectantur, ſpes eſſe inanes, vel ſuis ipſi pręſtigijs maiora videantur, & quod dicitur, montes & maria polliceri. ſed ne decorum quidem eſt, metu duntaxat, aut ſpe aliquem ab iniuſtitia abſtinere, & recte factis aſſueſcere. mercenarij opus hoc eſt, non eius, qui ſit aſciſcendus in filium. quamobrem tertia corona adhibeatur, intra quam erit habitandum. nam priores quidem ambitus quotidie viſere, licet illud quidem, atq; etiam vtile eſt, ſed intra hunc fidiſsima erit ſtatio & honorificentiſsima, quem pyropo iuſſimus ędificari, ære præclaro, cui ab igneo aſpectu Græci nomen poſuere. Hic amor eſt, qui quos occupauerit, ita afficit, vt in ſe totos rapiat, in ignis morem, qui & ipſe materiam omnem, quam corripit, non ante deſerit, quàm in naturam ſuam vertat. Hanc opinor ob cauſam, ſpiritum ſanctum, qui amor idem appellatur, in ignis ſpeciem viſum, cum apoſtolos reliquúmque beatiſsimum cętum vi ſua impleuit, vt eos in nouam quaſi naturam crederes abijſſe. Cum ergo animus non pœnarum metu, neque aliqua boni aut commodi ſpe odit ſcelera, virtutem amplectitur, Deum quærit, ſed vt filius, qui, vt ęquum eſt, patrem amet, nihil cogitat, quid ſuis cupiditatibus aduerſum ſit, quid conſentaneum, ſed nulla ſui habita ratione, ex patris iudicio pendet ac voluntate, is tum ſe liberum, ſe regem intelligit, mundóque ipſo pręſtantiorem. huic ſiquis orbem omnium terrarum polliceatur, & ipſum cœlum, dum virtute Deóque aliquid indignum agat, valde recuſet, málítque tartareos ipſos tortores, & omnes cruciatus ferre,

Pſal. 111.

Pſ. 106.

N quàm

quàm ab eo deficere, quem ita amandum, ita dignum cui omnia officia præſtet, intelligit. Quod ne quis fieri non poſſe forte contendat, vt tam bene præparatum pectus inueniatur, audiat hominem, qui hanc ſibi arcem comparauerat, quàm magnificè omnia, præ amato & optato Deo ſuo, aſpernetur. Quid enim mihi (inquit) eſt in cœlo, &, præter te, quem volui ſuper terram? defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in ęternum. Nunc alium rurſus admirare. quis nos ſeparabit (inquit) à di

Pſa. 72. lectione Dei? num afflictio? num anguſtia? num perſecutio? num

Rom. 8. fames? num nuditas? num periculum? num gladius? nam mihi perſuaſum habeo, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neq; principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque vlla creatura alia poterit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum. Quæſo te vir beate, cur iſtam mentem tuam, tam

Phil. 1. magna tam multa in neutram partem inflectunt? mihi (inquit) vi-

Gala. 2. uere Chriſtus eſt, & viuo iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus. huius mihi amor omnium voluptatum ac bonorum, huius offenſio omnium pœnarum malorúmque inſtar eſt. Hæc regio atque huius loci habitatio hos fructus parit. hoc claros homines, & dignos Deo viros facit, qui Diuinam in ſeipſis tandem imaginem inſtaurarint. Hanc tibi cor, pręſtantiſsimum Dei opus, arcem creximus, hanc tuere, in hac exercere, in hac ſi verſeris, nihil te magis beatum ſub cœlo, magíſque admirandum cernes. hic locus (liceat enim vera dicentem audacter loqui) illo paradiſo erit magnificentior, quem tibi initio paratum ſeruare neſciniſti. Ibi enim ipſe te ſplendorémque tuum ſtultè perdidiſti, hic ſapienter es vtraque inſtauraturus. nam propterea tot murorum tibi valla circundedimus, vt ſerpens, vetus hoſtis tuus, diſtineatur, neque fœmineis tibi poſthac illudatur illecebris. Prioris te lapſus erudiat recordatio, vt oblatum hoc bonum maiore ſtudio amplectare, ac demum in libertatem uindicatus, victor ad auctorem tuum ac patrem re-

Pſal. 85. deas, videáſque Deum Deorum in Sion. cui eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORA-

ORATIO DECIMA QVARTA.

COGITANTI mihi, atq; adhuc animo verſanti eam arcem, quam cordi noſtro, veluti præclaro cuidam principi extruximus, viſum eſt illud defuiſſe, quibus videlicet cibis interea alendus ſit. quanquam enim ipſa huius fabricę contemplatio non nihil ei prębere viatici poſsit, ea tamen ob vnam pręcipuè cauſam parata eſt, ne facile hoſtium incurſibus aut inſidijs pateat. Quare hodierna oratio, ſi videtur, epulas atque alimenta paret, ne qua ſit illi prodeundi & extra oppidum vagandi neceſsitas, quod, ſi non aliud, ſine periculo fieri certè non poteſt: Duabus itaque rebus, eius alimentorum ſumma conſtabit, ut & ſe ſeiungere diſcat à cęteris, quæque ſua, quęue aliena ſint intelligere, &, cum ſe à reliquis ſeparauerit, ipſe ſe fruatur, ſuique ipſius contemplatione. quibus rebus duæ ęquè ſententiæ mihi videntur reſpondere, & id quod à Moſe ſcriptum eſt, Attende tibi, ne qua res iniqua in corde tuo latere reperiatur. &, quod à noſtris opinor acceptum ethnici ſibi vſurparunt, γνῶθι σεαυτὸν, hoc eſt, cognoſce te ipſum, quod non *Deu. 15.* ad arrogantiam tantum minuendam eſſe dictum putandum eſt, verum etiam vt bona noſtra norimus, quarum ſententiarum quę ſit utilitas, ſic quærendum eſt. Cum videret generis noſtri auctor Deus, facilè hominum cogitationes ad peccata delabi, icc irco qui finxit ſigillatim corda noſtra, qua parte facilior *Pſal. 32.* promptiórque lapſus eſt, in ea pręcipuam integritatis ſedem docuit inſtituendam dicens. omni cuſtodia ſerua cor tuum, &, Attende tibi, tecum habita, te inſpice, vt cui maximè parti timetur, *Pro. 4.* illi maior etiam cuſtodia adhibeatur. nam quę per corpus fiunt, tempore indigent, opportunitate, laboribus, auxiliis, ut peragantur. at animi motus agunt ſine temporis mora ſine alterius ope, ſine ullo etiam labore. quin & omne illi tempus idoneum eſt. Serua igitur & Attende tibi. nam cętera animalia ab ipſo omnium auctore ſingula proprium quiddam habent, quo ſe tueantur, vt ea quidem, quæ naturæ ſuæ inimica ac contraria ſunt, declinent & auerſentur, quæ verò ſaluti ſuæ ac conſeruationi conſenta-

nea, ad ea duce natura confugiant. Ergo & nobis erudutor noſter Deus hoc præcipuum ingénſque remedium dedit, ut quod in animantibus reliquis ineſt occulta naturę vi, id nos rationis auxilio nobis adhibeamus, ſimúſque cuſtodes earum rerum, quæ ad occaſionem rectè factorum datæ ſunt, fugientes vitia, quemadmodum ratione carentia venenatos cibos, iuſtitiam appetentes, vt illa eſcas & victui apta perſequuntur. Te igitur inſpice vt nocua à ſalutaribus diſcernas. hunc enim inſpiciendi modum iubet ſermo Diuinus, nam ſi de eo aſpectu, qui corporeis oculis fit, intelligeremus, videretur Deus ea mandaſſe, quæ fieri nullo modo poſſent. quo enim pacto quis totum ſe hiſce oculis comprehendat? quando ne oculus quidem, qui cętera contuetur, ſe ipſe videt, non verticem, non humeros, nec, quam ita in conſpectu habet, ſuam faciem. relinquitur ergo, vt ad animum iſta referantur, qui ſe circunſpicere iubetur irrequieto oculo, atque peruigili, in medijs (inquit) laqueis ambulas, qui latentes multis locis ab hoſte ſunt collocati. circunfer aſpectum vt caprea, vt auis. illa enim ob acutam luminis aciem euadit caſſes, hæc uiſis retibus leui alarum remigio ſublime & ſupra laqueos volat. caue igitur, ne ratione carentibus deterior ſis ad te ſeruandum, ne captus fias prędа Diaboli. Attende tibi, non tuis, neque ijs, quæ circa te ſunt, ſed ſoli ipſi tibi. aliud enim ſumus nos, aliud noſtra, aliud quę circa nos. nos ſumus, non id quod digito oſtendi poſſit, ſed mens atque animus, quo ad imaginem Dei facti ſumus. corpus vero res noſtra eſt, at, quæ circa nos, opes ſunt & artes & reliqua ſuppellex ad uſum viuendi accommodata. Quid igitur iubemur? ne carnis appetitionibus operam demus, neq; eius commoda perſequamur, robur, pulchritudinem, uoluptates, non longa vitæ ſpatia optemus, non opes, gloriam, potentiam admiremur, neq; quęcunque huius exigui temporis uſui ſeruiant, aliquid eſſe exiſtimemus. ne harum rerum ſtudium officiat, ac meliorem longéque veriorem uitam negligamus. Sed attende tib, hoc eſt, animo tuo, hunc ornato, hunc curato, vt omnes ſordes, quæ ei ex vitijs affixæ ſunt, abſtergantur, & uirtutum ſpecie decoretur. Scrutare teipſum, qui ſis, teipſum agnoſce ac naturam tuam, quòd corpus quidem mortale ſit, immortalis verò animus, quódque duplex quædam eſt in nobis vita, & illa quidem corporis fluens & caduca.

duca, at ea, quæ animo cognata eſt, nullis terminis circunſcripta. Attende tibi, ne mortalibus tanquam ęternis affigaris, aut æterna quaſi pereuntia paruipendas, ſperne corporis voluptates, nam eę delabuntur, animum cura, rem vtique immortalem. Diſce vtrique ſua tribuere, corpori victum & cultum, animo dogmata pietatis, ciuilem viuendi modum, virtutum opera, affectuum correctionem. da operam, ne nimis corpus pingueſcat, & eſcis turgidus expleatur. etenim cum inſurgat caro aduerſus ſpiritum, & inter utrunque pugna ſit, vide, ne, dum carni faues, imperium prębeas deteriori. nam ſicut in ſtatera quicquid alteri lanci plus ęquo adiunxeris, efficit, vt altera ſuperetur; ſimillimè in corpore atq; animo, quę fit alteri maior acceſsio, in alterius vertitur detrimentum. nam bene affecto corpore, & craſsiore effecto, neceſſe eſt mentis vim euadere imbecilliorem, dúmque te lucri aliquid facere putas, ipſe te perdis, & neſcius hoſtem foues. quòd ſi mens melius habuerit, vt ſe ad ſuam magnitudinem attollat, conſequens eſt, vt corpus ducem ſuum ſequatur, non antecedat. Attende tibi, neque ea quæ neq; ſunt, neque fortaſſe futura, tanquam ſi adſint, tibi iuueniliter ſubijce. iuuenum enim hic ferè morbus eſt, qui animi leuitate quicquid ſperant, id ſe iam habere opinentur. nam ſi eos fortè ocioſos eſſe contingat, imagines rerum formant, & cogitandi facilitate ſibi ſubijciunt ſplendorem vitæ, præclara coniugia, filiorum procreationes, longam ſenectutem, ab omnibus oblatos honores. deinde ſpem ſuam cohibere non valentes, maxima quæcunq; inter homines ſunt, mente complectuntur, domos ędificant pręclaras & magnas, congerunt theſauros, terram ambiunt, quantamcunque ſuppeditat inanitas cogitationum, adijciunt armentorum greges, ſeruorum copiam infinitam, magiſtratus, imperia, ſatellitum ſtipationes, bella, triumphos, quę dum omnia ſecum verſant, iam illa poſsidere, iam illis frui ſibi videntur. Hic eſt ocioſi animi & inertis morbus aſpicere ſomnia corpore vigilanti. hanc ſolutę mentis vecordiam abijcere iubetur, cui imperatur, vt ſibi attendat, vt tanquam freno vagantes animi motus ratione coërceat. Opinor etiam hoc præcepto illud vitium notari, quod frequens inter homines eſt, vt quiſq; noſtrum aliena curioſius perueſtiget, quàm ſua. quocirca Attende tibi, & oculum animi ad teipſum perſcrutandum côuerte. quid feſtucam in fratris oculo perſpicis, & trabem in tuo non attendis? noli, ſiquam in altero ma-

Gal. 5. *Matt.* 7. *Luc.* 6.

culam

culam deprehendis, Phariſæum imitari illum impudentem, qui publicano contempto iuſtitiæ ſibi titulum vendicabat. ſed ſcrutare ipſe te, num cogitatione quid peccaueris, num lubrica lingua mentis preuenerit, numquę minus rectè facta ſint, quę cum inueneris iudicium fortè (inuenies autem, cum hominum ſit multa peccare) dices

ibidem. cum publicano. Deus propitius eſto mihi peccatori. Attende tibi. id ſi tu verbum in cōſilium ſæpius adhibueris, omnem tibi vitę ſtatum emendabit, vt neque arrogantia unquam turgeas, neque deſperatione deijciaris. Exultas fortè opibus, & ob genus ac proauos inſoleſcis, patriam iactas, corporis ſpeciem, honores, potentiam? attende quòd mortalis, quòd terra ſis, & conuertendus in terram. circunſpice maiores tuos, qui in eodem ſplendore fuerant conſtituti. vbi nunc ſunt, qui primis reipublicę magiſtratibus cęteris antecellebant? vbi duces, ſatrapæ, tyranni? an non omnia puluis? an non fabulæ? an non exiguis oſsibus vitæ eorum monumenta clauduntur? intuere ſepulcra, & perſpice, numquæ inter ſerui ac domini oſſa diſtantia ſit, diuitis & inopis, regis ac captiui, fortis & imbecilli, pulchri ac turpioris. hac naturę contemplatione fiet, vt nunquam ſoluaris neque te efferas. Rurſus ignobilis quis eſt, & in glorius, inops, inopum filius, ſine lare, ſine patria, ęger, omnia metuens, contemptus omnibus ob vitę humilitatem? quiſquis is es, ne te ignores, né ve deſperes, neque propterea bona ſpe eſſe & magno animo ceſſes, quòd nihil tibi adſit, quod in hac vita ſit appetendum. ſed refer cogitationem ad ea, quæ tibi à Deo bona & in hac ipſa vita oblata ſunt, & repoſita etiam in futurum. Primum quidem homo es, vnum è cunctis animantibus, Dei manibus conformatum. an hoc rectè cogitanti, vel ſolum non ſatis eſt ad ſummam animi tranquillitatem? Deinde quòd ad imaginem factus Dei fabricatoris tui idoneus & parem cum angelis honorem adipiſci. es rationem & mentem habes, qua Deum cogitas, immenſam incomprensámq; ſubſtantiam, rerum naturam perſpicis, iucundiſsimum ſapientiæ fructum percipis, per hanc animalia omnia, manſueta & fera, quæ vel terram incolunt, vel aquis innatant, vel feruntur per aëra, tibi ſubijciuntur. tu artes inueniſti, tu vrbes exſtruxiſti, tu quę cunque ad victum neceſſaria ſunt, excogitauiſti. Nón ne tibi ob rationem maria peruia ſunt? non terra ac mare obtemperant? non aër, cœlum, & aſtrorum chorus tuis commodis ſeruiunt? quid ergo

go puſillo es animo? num quòd equo careas? at ſolem habes, qui rapidiſsimo curſu quotidiano opere tibi diem conficit, & tanquam miniſter facem præfert. argenti tibi ſplendor & auri deeſt? at lunã habes argenteo lumine radiantem. non currus aureos aſcendis? at cognatum tibi uehiculum pedes adſunt. quid igitur beatos illos putas, qui alieno ſe fatentur egere vehiculo? non in eburneo lecto cubas? at terram habes, in qua dulces ſomnos ducas, quouis magis ebore venerandam. non eſt tibi aurato domus tecto? at cœlum tibi tectum eſt, ineffabili ſtellarum pulchritudine conſpiciendum. Et hæc humana quidem ſunt, illa maiora, quòd propter te Deus homo factus eſt, propter te ſpiritus ſancti dona diſtributa, deleta mors, ſpes reſurrectionis addita, tuum eſt ad Deum iter, regnum cœlorum tuum eſt. Hęc, ſi tibi attendes, & his plura in te reperies, his frueris, quæ vera, quæ ſolida ſunt, neque ob exiguam neſcio quàm egeſtatem animo cades. Magna eſt huius ſententię vis, & quę omnibus in rebus queat opitulari. occupauit animum ira, & furor in verba atque inſana facta exſtimulat? ſi tibi attendas, mox furorem ſedabis, & tanquam infrenem equum rationis verbere quaſi flagello cohibebis. rurſum appetiones prauæ te ad intemperantiam laſciuiámque ſollicitant? ad te redi, & recordare, id, quod nunc tibi iucundum videtur, & dulce, in amarum ſtatim finem conuertendum eſſe, quódque nunc titillationem quandam affert ſenſibus, id te ad immortalem vermem, & ad æternam Geennæ pœnam eſſe ducturum. videbis confeſtim fugatas voluptates, & admirandam animo redditam tranquillitatem, vt fit, cum ex matris familias aduentu atque præſentia garrulitas compeſcitur ancillarum. His animaduerſis, cum didicerit animus iam in ſe deſcendere, ſéque ab externis rebus ſeparare, tum nihil inueniet ſeipſo conſpectius, tum præcipua ſui contemplatione fruetur, atque ex ſe, quaſi exiguo quodam mundo ad perueſtigandum Deum aſcendet, vt, cum carentem quis corpore Deum cogitat, dum incorporeum ſuum animum agnoſcit, ſic non circunſcriptum intelligit, neque comprehenſum loco, quando ea animi natura eſt, vt loco non claudatur, ſed id ex corpore fit, quod ei aptum eſt. ſic inuiſibilem Deum credis, cum attendis animum tuum corporeis hiſce oculis non videri. Admirare præterea artificis Dei ſapientiam, quo pacto animæ vim corpori colligauerit, vt eius fines non egrediatur, & uaria, inter ſéque

Ioan. 1.
Act. 2.
Oſee. 13.
Theſ. 4.

que diſtantia membra in vnam conſpirationem, & quaſi concentum agat. conſidera uim ab anima profectam inditam corpori, rurſuſque à corpore in animam affectuum quandam communicationem, ut uitam ab anima corpus accipiat, & rurſus à corpore dolores moleſtiæ'que ad animam tranſmittantur. Cogita æquè quales illæ ſint diſciplinarum apothecæ, in quibus tam multa recondita, tot artes, tot ſcientię, tot inuenta, tanta memoria pręteritorum, futurorum prudentia, ut uel hac ſola ratione quidam ſibi perſuaſerint, non poſſe tam naturam, quę res eas contineat, eſſe mortalem. Quo modo nouarum rerum acceſsio, eas quæ iam introductæ fuerant, non obſcuret, neque confundat, ſed impermixtę ſeruentur, perinde quaſi æreę columnę ſint inſculptę. quo item pacto delabens animus ad carnis affectus & uitia, amittat ſpeciem & decorem ſuum, qui ſi rurſus emendauerit ſe, ad auctoris ſui ſimilitudinem reuertatur. Tanta uerò eſt huius hominis gratia, ut corporis duntaxat contemplatio fabricę, imperitiores etiam ad maxima quęque de ſe ſperanda inuitare poſsit. quod ob eam cauſam opinor ab artifice ſapientia fuiſſe conſtitutum, ut qui altiora ſubtilioráque de homine cogitanda minus idonei ſunt, promptum habeant, quod in ipſa exterioris hominis ſpecie admirentur. perſpice enim mihi, quàm pulchrum animo diuerſorium Deus ædificauerit. primum erecto te ad cœlum uultu fecit, quod ſoli è cunctis animantibus contigit, ut ex hoc habitu intelligeres tibi cum cœleſtibus eſſe uerſandum. nam quadrupedia ad terram & in uentrem aſpiciunt, homini uerò paratus eſt aſpectus in cęlum, vt diſcat, uentri non eſſe ſeruiendum, aut ijs, quę ſub uentre ſunt. ſed totus erigatur ad ſumma. Deinde caput in excelſiori ſede eſt collocatum, in quo arx & ſedes eſt ſenſuum, quorum uicinitate inter ſe alter alterum non offendit, qui etiam pro cuiuſque dignitate locum ſortiti ſunt, ut oculi, præſtantior cæteris ſenſus, excelſiores ſint collocati, atque ita reliqui deinde ſuo ordine, quibus in oculis quàm multa inſunt, quæ admirationem faciant. primum illa uidendi celeritas, deinde quàm longo è ſpatio uiſa percipiantur, tum quo pacto fiat hęc uidendi ratio, quę tam obſcura eſt, ut inter præclaras philoſophorum familias nondum dirempta contentio ſit. euellant enim hunc mihi ex animo ſcrupulum, ſi poſsint. ſi enim, vt eorum aliqui volunt, viſio fit, admiſsis intra oculos rerum formis, quo modo è tam longo

ſpatio

ſpatio repente adſunt illæ imagines, vt vno ictu vnó que momento totum cœli hemiſphærium contueantur? ſin vt alij contendunt, emiſſi ab oculis radij id efficiunt, qui poteſt id, quod dimittitur, in tam immenſum cœli ſpatium expandi, atque id repentinò? Quanta præterea in eiſdem vis animi eſt, vt exiguo oculorum motu, clementiæ, miſerationis, iræ, alacritatis, lætitiæ, doloris, amoris, odij, omniúmque affectuum ſignificationes fiant. quid illæ lacrymæ? quàm ſubitò ſe profundunt? quis tantã ſufficit interdum copiam? aut vbi, antequam prodeant, delitèſcunt? Longum eſſet de reliquis ſenſibus diſputare, arterijs, venis, ſpiritu, & quo pacto quotidie in officina naturæ concocta tam varia ciborum genera in ſanguinem, carnes, cęteráſque humani corporis partes tranſeant, quæ qui ęſtimet, iudicabit, nihil creditu eſſe difficile, quod promittitur, reparanda, & excitanda eſſe ad vitam noſtra corpora, cum experiri quotidie ſit, res omni ſenſu carentes in viuam intra noſmet ipſos abire ſubſtantiam. Ex ijs omnibus aliis quę in hunc modum pluribus incomprehenſam ſpeculare Dei ſapientiam, atque intra te, tecúmque habitabis, frequentius illud repetens cum propheta. mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, corroborata eſt, & non potero ad eam. atque hoc pacto Deo magis in dies coniungemur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Pſ. 138.

ORATIO DECIMA-QVINTA.

HESTERNA nobis oratione quædam de hominis dignitate atque præſtantia dicta quidem aut potius tacta leuiter ſunt, idque cum iam penè finiendæ orationis tempus appeteret, ſed propriè ſua dies tantæ rei decerni debuiſſe mihi viſa eſt. quid enim cuique homini tam animos addit, & ad difficillima quæque aggredienda paratum facit, quàm clari & vetuſti generis recordatio, cum degenerem eſſe, deficeré que à maiorum ſuorum virtutibus inter ſum-

ma probra numeretur? contra verò quid tam deijcere plerunque ſolet, quàm obſcurum generis, & maiorum ſuorum nomen? quòd ſi quis regij ſanguinis infantem exponat, vt quibuſdam eueniſſe literis proditum eſt, atque hunc tenuis & de media plebe quis ſibi adoptet, is dum ſe ignorat, & quibus parentibus ſit procreatus, haud facile vſque eò progredietur, vt ea ſibi, ad quæ tamen natus eſt, audeat polliceri. at eundem ipſum ſiquis admoneat, regium ſe eſſe partum, & regni ius ſibi natura deberi, an eum primum non cenſes illacrymaturum, quòd ita proiectus eſſet, deinde continuò tentaturum, quòd antea ne in mentem quidem fortaſſe venerat, quibus artibus patriam hæreditatem ac regnum aſſequi poſſit? Atqui id frequentiſsimè hominibus vſu venit, vt ignorantes ſe è cœleſti domicilio huc demiſſos, atqve ad ipſum cœlum ſuo tempore habitandnm factos, tanquam abiecti regij partus & expoſiti, nihil præclarum aut ſe dignum appetant, ſed vilia & magis ſeruorum generi conſentanea perſequantur. qui ſi dignitatem ſuam intelligerent, haud ſanè tanta eſſet hominum raritas, qui virtutem tuerentur, qui cœleſtium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitę modo atque conſtantia, & ſæpius illud ſecum uerſarent, quod Moſi

Exo. 26. fuit imperatum. vide (inquit) vt facias omnia iuxta exemplar, quod tibi in monte oſtenſum eſt. Quare hodie, ſi placet, peruestigemus quàm ſit egregium. quàm que admirandum animal homo. vbi primum illud aduertendum eſt, vt ne cuiuis è philoſophis, qui de homine loquuntur, fides habeatur. quidam enim ex eis ita humilia interdum in medium afferunt, vt facile fallant ignaros. fatentur enim certè omnia hominis cauſa genuiſſe naturam, ſed magna (inquiunt) & ſęua mercede contra tanta ſua munera, vt non facile ſit æſtimare, parens homini melior, an triſtior nouerca fuerit. Apagete tam humiles horum de natura noſtra cogitationes, qui dum ne ſcio quibus in humano corpore imbecillitatibus immorantur, ea prætereunt, quę pręcipua & propria hominis ſunt. Quęrenda igitur ſunt teſtimonia latiori ſpecie, & ab ijs petenda, quorum nos auctoritas & ſapientia neque hęſitare neque falli patiatur. at eę ſacræ literæ erunt, quarum vt Diuina auctoritas eſt, ſic quæ ab illis accipiuntur, ſola cogitationes noſtras ſiſtere & ſedare poſſunt. nam homines cum, quid ſibi videatur probabilius, expoſuerint, nihil ferè pręterea habent, quo progrediantur. Adeamus ergo Diuina oracula,

oracula, & videamus, quę ſit hominis origo, quæ ei mandata officia, ad quę natus & factus ſit. Et quidem ſapientiſsimus ac Diuinorum conſilium interpres Moſes ſcribit, ſummum illum omnium rerum artificem Deum, non ante feciſſe hominem, quàm vniuerſam hanc pulcherrimam machinam abſoluiſſet, quæ cœlo ac terra, cęteriſque, quæ in medio ſunt, elementis conſtat, quem ob ornatum Græci κόσμον, nos mundum appellamus, vt tanquam magnifica quædam & regia domus prius pararetur, quæ omnes numeros haberet, deinde in eam ſuus habitator, cuius cauſa exſtructa eſſet, introduceretur. An hæc vel ſola admirandi hoſpitij præparatio, non quemuis cumulatè docere poteſt, maximum quiddam eſſe hominem ac pręſtantiſsimum, cui cœlum & illi ęterni ignes irrequieto curſu noctes ac dies peragant, varia anni tempora conficiãt, frugibus terræ ac germinibus omnibus vim ſuam ſubminiſtrent? Cui enim vſui imperatum à Deo fuit, vt cœleſtia luminaria eſſent in ſigna, tempora, & annos? nimirum ſolius hominis gratia, cum cætera animantia intelligere quid ſit tempus, aut annos enumerare, aut notare ſigna nullo modo poſsint. quòd ſi manifeſtum eſt, & cœlum & ſidera naturę noſtrę famulari, nihil negocij eſt cætera probare, quæ cœli ambitu clauduntur, omnia eandem ob cauſam fuiſſe conſtituta. Sed perfectis iam cœlo, & terra, & eorum ornatu vniuerſo, videamus quo apparatu ipſa hominis natura facta fuiſſe deſcribatur. Dixitque Deus, faciamus hominem. quid vult nouum hoc orationis exordium? quaſi non ſatis eſſet, quod cæteris rebus omnibus faciendis additum eſt, fiat, ſed faciamus (inquit) tanquam rem tractaturus, quæ maxima egeret deliberatione. Agnoſce ab hoc primo verbo teipſum ò homo, ad hanc tu vocem tota mente adeſto, atque omni animo. quę uox nulli rei alij pręter te eſt tributa. facta fuerat lux, opus omnium pulcherrimum, & ſolo ac ſimplici imperio dictum, fiat, ſic cœlum, & admirandus ſtellarum chorus, neque deliberatio ulla pręmittitur. maris tanta infinitas, piſcium omniſarium genus, pecudes, volucres extitere vno iubentis nutu, & dixit & facta ſunt. inter hæc nondum eſt homo, neque de eo, vt de cæteris, mandatum eſt, fiat homo. Ego verò maiora etiam hic video perſpicienda, quę ne cui paradoxa dicere exiſtimarer, prodere metuebam, ſed dicendum id omnino eſt quid illud eſt tandem? ſi ijs, quæ à doctiſsimis pleriſque, & maxima au-

Gen. 1. *Gen. 1.* *Gen. 1.* *Pſ. 148.*

ctoritate viris & credita & ſcripta ſunt, habere uolumus fidem, exiſtimantibus ænygmaticè deſcriptas à Diuino Moſe cœleſtes illas poteſtates in ipſa cœli appellatione, & ex quoque eodem & uno uerbo exiſtere iuſſę ſunt. at cum formandus homo proponitur, res in deliberationem cadere uiſa eſt, quo pacto, qua forma uenerandum animal eſſet producendum in vitam. Faciamus. ſapientia rem ad conſilium trahit, artifex cogitat. num id agit propterea, quòd aliquid ſuæ arti deſit? vt ex hac cura perfectius & magis artificioſum opus excogitet? qui conſentaneum eſt? ſed uult te intelligere, quanto interuallo rebus omnibus antecellas. Faciamus hominem. tantúm ne? immo uerò ad imaginem etiam, & ſimilitudinem noſtrã. taceant mihi Promethei & Epimethei fabuloſa commenta, ita formatum hominem, ut illi principi limo particula undique à reliquis animalibus deſecta addita ſit. ij ſunt inferiores affectus, & pars in homine minus digna, in quibus id, quod in eo præcipuum eſt, minus elucet, aut etiam ab ipſis interdum offuſcatur. Eſt, eſt aliud profectò ipſe homo, id eſt, mens atque animus, & ratio, & intelligentia, quæ ad imaginem eſt Dei. quòd ſi tu, quod omnium oculis expoſitum eſt, id hominem appellas, quo pacto erit homo ad imaginem factus Dei? num oculos, aures, caput, manus, pedes, reliquám que corporis figuram Deo aſſignabimus? abijce à cogitatione indecora phantaſmata, nulla eſt præditus forma Deus, ſimplex ſine magnitudine, ſine quantitate, ne magnum more Iudæorum extenues, ne circumplectaris corporeis imaginibus Deum, neque tua mente circunſcribas. incomprehenſa magnitudine eſt. intellige magnum, & huic magno plus adijce, quàm mens aſſequi poſsit. ex poteſtate non ex figura Deus agnoſcitur, cuius tamen poteſtatis non eſt numerus, vbique eſt, & totus vbique, omnia circumplectens, omnia penetrans, & extra omnia æquè liber. non temporibus aſtringitur, non finibus terminatur. Cum ergo ad imaginem Dei legis factum fuiſſe hominem, ne corporeę imagini immoreris, in qua nihil eſt Diuinum. cum, quid ſit, quæris, ad interiora tibi ingrediendum eſt. nam illud exterius non tu es, ſed tuum eſt quiddam, quod tamen & hominis appellatione ab apoſtolo propterea dignatum eſt, quod interius illud atque pręſtantius
2.Cor.4. ſuum ei contubernium eſt impertitum, etſi (inquit) exterior homo noſter corrumpitur, interior renouatur de die in diem. Eſt quidem

quidem & ipſius corporis conſtitutio admiranda, vt ab ijs facile diſcimus, qui rerum naturam ſunt perſecuti, qui cum multa de eo diſputauerint, non tamen ex toto artificem ſapientiam inueſtigando aſſequi poſſunt. verum, vt diximus, in ea duntaxat parte, quæ ratione prædita eſt, verus homo & imago Dei reperietur. Faciamus hominem ad imaginem noſtram, & dominetur. qua parte? corporis an animi viribus? atqui humana caro omnibus eſt ferè animantibus imbecillior, quod tamen ipſius hominis vſui factum eſt, vt mollius faciliúſque obſequium animo ſubminiſtraret, quod durior ac ſolidior facere non potuiſſet, quę enim comparatio humanę carnis & camelorum? hominis & bouis aut alicuius cuiuſuis beſtiarum? ſed quod viribus corporis denegatum eſt, id cumulatè animi prudentia reſtituitur, vt nulla tanta ſit ferarum aut moles aut vis atque ſęuitia, quàm non hominis induſtria circumueniat. Et dominetur (inquit) vt imperes ò homo. factus es, non vt beſtiarum more ventri ſeruias, & ijs, quæ ſub ventre ſunt. id tu imperium à Deo accepiſti, non vt plerique exiguam à rege neſcio quam poteſtatem, homines ab homine, mortales à mortali, tabulis inſcriptam, quas corrodere tineæ poſsint & perdere. hanc tibi Deus in natura ipſa poteſtatem ingenerauit. Dominetur piſcibus maris, beſtijs terrę, volucribus cæli, pecudibus & reptilibus, quæ reptant ſuper terram. Non dictum eſt, faciamus hominem vt edat ex omni ligno, quod in ſeipſo fructum habeat. hęc ſecunda ſunt, & corpori apta. priora ſunt illa animi, prior decreta nobis eſt vis imperandi. Regium animal es, quid ipſe te deijcis? quid ſeruis affectibus, & peccati ſeruus efficeris? quid exiguæ pecuniæ ſtudio addictus ſeruis miſerrimam ſeruitutem? tuus eſt orbis terræ & pulchritudo eius, & hanc tu ita vaſtam hęreditatem vili oppido, & anguſta villa permutas, neque aut eius, qui eſt iſta largitus, aut tuæ ipſius pręſtantię rationem habes. Hęc vera & ſola ſeruitus eſt, parere uitijs, ſeruire cupiditatibus, non illa, quam ſtulti opinantur, ſi corpore quis forte aliqua ſeruiat. ſeruus vocatus es? inquit apoſtolus, tu ne curaris, at potius elato ac magno animo eſto, ſi ſis à ſceleribus liber, quòd mentem habes, quę dominetur affectibus. cúm que dominum tuum libidinibus deditum, te verò temperantem aſpexeris, agnoſce te quidem ſolo nomine, at illum re factíſque ſeruire. ille exoleti interdum ſcorti inſanit deſiderio, tu nullis huiuſcemodi volu-

di voluptatibus demulceri? . tum profectò ille ſeruit, tu Dominus es. qui tibi ipſe ſubegeris voluptates. quo circa quod ait, dominetur, id perſpicuum eſt ad eam partem pertinere, vbi imago eſt Dei. Dominetur piſcibus maris. Primum in ea imperium propoſitum eſt, quæ longius à nobis diſtant. quęque hominis pręceptum minus uidentur intelligere. At quomodo piſcibus imperamus? nónne vides, vt, ſi quando aquis vicinior fias, ſola eos tua vmbra perterrefaciat? quis noſtrum tanta auctoritate regit domum, vt eam tumultuantem ita repente coërceat, vt ad officium redeat, quomodo vno conſpecto homine, piſcium genus omne habitum & ſtatum mutat? non habet liberos curſus, neque audet ſummis vndis innatare. Delphin certè, qui in natantium natura regium quiddam habet, ſi hominem viderit, reueretur. Quid verò homo non poſsit, cum ingentia cete, montes potius æquorei, & naturę monſtra, quàm piſces, humano ingenio ſuperentur? excogitata eſt enim ars, vt quidam hami parentur, beſtiarum illarum vaſtitati conſentanei, adiecta illis ęqua ratione eſca. deinde ſummis funibus, quibus ab altero capite pendent hami, inflati vtres ſuſpenduntur, atque ita compoſita machina, in mare proijciuntur. itaque illectæ eſcis immanes belluæ hamos totos deuorant, atque etiam vtres in imum trahunt. at uerò utrium natura cum ſit, ut ad ſuperiora ferantur, rurſus ſeſe cete ad ſumma æquora attollunt, dum quaſi fibula illi cibo atque utribus ſunt alligati, tum uerò furentes, & ſurſum deorſúm que eandem ſæpius uiam repetentes feruntur per æquora omnia. poſtremo immanis beſtia incaſſum de bacchata, & cum labore tum fame perdomita, mortua ad littus trahitur, & tanta moles parui uenatoris præda fit, & immenſum robur ſubijcitur imbecillo. quo pacto? dum hominis prudentia, inſita ſibi à Deo imperandi poteſtate, quaſi fugitiuos ſeruos ui coërcet, qui ſe ſponte ſubdere recuſauerint. quid enim refert, modo pareant, uolentes an coacti id agant? quod quidem ad imperandi rationem pertinet, quando non minus ſeruis contumacibus, quàm obtemperantibus imperamus. quanquam longè præſtantius ſanè ac magis regium antea erat hominis imperium in animantia omnia, quàm ipſe ab auctoris atque artificis ſui imperio defeciſſet. uerum adhuc in tam corrupta natura, ingens tamen facta eſt ſignificatio poteſtatis. Dominetur (inquit) & beſtijs terræ. Cernis Leonem, cuius rugitus

gitus

gitus ac fremitus terram quatit, cuius impetum ferre nullum animal poteſt. Leo (inquit) fortiſsimus beſtiarum ad nullius pauet occurſum. hunc tamen exigua uenatorum machina comprehendit: at uerò caſus olim artem peperit. Aberrabat quidam fortè per ſolitudinem. fit ei obuius leo, dilacerare hominem parat. is conſilij inops ſagum in irruentis caput dimittit, eo implicitus leo, quòd viſu priuaretur, cum in oculis vis omnis conſtet, vinciri ſe paſſus eſt nullo negocio, atque hoc exemplo plurimi capti præterea ſunt. Longum eſſet, neque huic orationi propoſitum, dicere quibus artibus, quot modis omnia beſtiarum genera hominis ingenio capiantur, ſeruentur, vt domita etiam & manſueta fiant. Quid de volucribus dicam? non in aëra attolli poteſt homo, cui remigium alarum deſit, at verò animi viribus ęquat volatilia nihil eius cogitationem ac perueſtigationem detinet, ſcrutatur profunda, venatur quę ſuper terram feruntur, & per aërem delata præoccupat. Videas autem in ſummis conſidentem ramis, & tanquam homini illudentem, quippe quę pennarum leuitate confidat. at puer calamis & viſco aptè compoſitis, hanc paruo negocio imprudentem capit. atque ita animal, cui cœlum hoc peruium eſt, detrahitur in terram ab homine, cuius & manus quidem & reliquum corpus in imo detinetur, ſed ei nihil inacceſſum eſt ob cogitationem & mentem. Arte omnia aſſequitur homo, caſsibus, ſagittis, eſcis, retibus, venabulis, laqueis, omnia quamuis magna, ſæua, ferocia cogit, vt ſe omnino eſſe regem confiteantur. omnia (inquit) ſubiecisti pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. *Pſal. 8.* Ne igitur ſtultè opineris, volucres præſtantius aliquid aſſecutas, quòd liberè per cœlum conficiant ſua ſpatia, tibi altius volandi facultas oblata eſt. Ex ijs itaque, quę à Diuino Moſis volumine docti ſumus, definiri ſic homo poteſt, ne ab externis eius definitionem, tenuem ſanè, neque auidas & capaces aureis implentem petere ſit neceſſe, & verba inanis diſciplinę veritatis ſermonibus immiſcere, homo eſt opus Dei, ratione prędìtum, ad artificis ſui imaginem effectum. Et benedixit (ait) Deus homini, & dixit. Creſcite & multiplicamini & replete terram. & ſubijcite eam. rurſus mihi aduerſus eos certamen eſt, qui, vt ait apoſtolus, terrena ſapiunt, quibus laſciuia & libidines cordi ſunt, qui nihil in

his

his verbis mandatum homini aliud putant, quàm quod eſt commune cum beſtijs, qui ſic mihi interrogandi ſunt. Obſecro vos voluntarij homines, qui nihil nobilius nec magis egregium intelligitis in illa incrementi ac multiplicationis appellatione, quàm quod idem piſcibus ac volucribus, iiſdem ipſis verbis imperatum eſt. num negabitis hęc ad hominem verba fuiſſe facta? fatemur, inquiunt, hanc à Deo ad homines factam orationem. quid eſt homo? id quod ad imaginem Dei factum eſt. at qua in hominis parte imaginem ineſſe Dei docti fuiſtis? nempe in animo. hominem ergo Deus cum alloquitur, ad imaginem ſuam, id eſt, ad mentem atq; animum verba facit, vt creſcant homines virtutibus rectiſque

Pſ. 83. factis, &c, vt propheta ait, eant de virtute in virtutem, ac multiplicentur, dum ipſi ſibi inter ſe proſunt conſilio, monitis, eruditione, doctrina, vt qui minus ſibi ſatis eſt, alterius ope quaſi lumine dirigatur, & ea, quę natura ſua digna ſunt, perſequatur. nam de gignenda prole ac ſuſcipiendis liberis, ſatis eſſe debuit, quod communi animantium generi eſt dictum. Eadem, cum implere terram iubemur, ratio eſt. nam, ſi de habitatione, quę multiplicatis hominibus facienda ſit, ſentire quis velit, qui fieri poſſet, ſi tam anguſtè habitaremus, vt homines omnia totius terræ ſpatia implerent? ſed implete (inquit) terram auctoritate & mente, & ſubijcite eam, dum rerum rationes, & admirandam Dei ſapientiam in ijs, quæ facta ſunt, contemplamini. alioqui quis ſubijcere ea loca poſſit, quæ nulli peruia ſunt, quęque omni cultu vacant propter nimiam vim frigoris aut caloris? ſed implemus, cum intelligimus quanta ſit terræ portio, quæ exuſta ſole eſt, caretque habitatoribus, cum ſcimus quæ ſint ſpatia borealis plagę, quæ frigoris magnitudine inculta iacet, neque perſtringi aratro poteſt. ſic enim ſi nòn tota terra fruimur, non propterea non ei dominamur. neque enim tu ſi triticum emas, non illius propterea totius dominus es, quòd eius aliqua pars edendo non ſit. ſi fortè lolium, paleas, terram permixtam habeat. ſimillimè data nobis eſt ad habitandum terrę pars optima, & aut ad agri cultionem & ferendas fruges apta, aut ad pecudum paſcua neceſſaria: reliqua etſi non à nobis incolitur, tamen nihilominus noſtra eſt, dum eam aſſequimur cogitatione, & intelligentia, nam hæc fruendi ratio homini maximè conſentanea eſt. Etenim, ſiquis ſe tum frui exiſtimat piſcibus,

bus, volucribus, pecudibus, cęteriſque animantibus, cum ijs veſcitur, & in ventrem condit, is ſe leonibus, lupis, ſuibus nihilo prętantiorem facit, qui neſciat hominis propriam fruendi rationem eſſe contemplationem. contrá quę horum copia quaſi facibus quibuſdam nos inflammari ſolere ad omnes ferè cupiditates. atq; ob hanc ſanè cauſam beatos nos fore exiſtimamus cum relicto corporis onere, omnium cupiditatum expertes erimus. quam vitam hic etiam, dum in terris agimus imitari conamur, vt laxati curis ſpectare aliquid velimus & viſere, quod multò tum liberius faciemus. totóſque nos contemplandis rebus perſpiciendíſque ponemus propterea, quòd & natura ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quędam cupiditas veri viſendi, & oræ ipſæ locorum illorum, quo pervenerimus, quò faciliorem nobis cognitionem rerum cœleſtium, eò maiorem cognoſcendi cupiditatem dabunt. Et quidem ſatis iſta nobis videri poterant, vt nos agnoſceremus, niſi quorundam puſillanimitati ſuccurrendum adhuc eſſet, qui in ſolius corporis contemplatione imbecillitatis immorantur. audiant verò iſti quo ſtudio, qua diligentia factum ſit humanum corpus. Formauit (inquit) hominem Deus de limo terræ, non vt fabuloſi poëtæ mentiuntur, dum ſuis nugis tenebras offundunt veritati.

Quam (inquiunt) ſatus Iapeto mixtam fluuialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Sed accepto ipſe Deus puluere terrę finxit humanum corpus, cui animam quaſi à ſe ipſo acceptam inſpirauit. Vides in hac etiam viliori parte quanta tibi audiendi oblata occaſio ſit? factum eſt firmamentum, & admiranda illa totius cœli, ſolis, lunæ, ſtellarum facies, terra & mare, animantiá quę omnia. quæ in eis degunt, neq; cuiquam admota manus, ſed tantum dixit, & facta ſunt. hominis *Pſal. 32.* verò corpus prętantiori modo, quàm cœlum, lux, ſidera, & creata omnia eſt conſtitutum. Accepit Dominus Deus puluerem, non dedignatur Diuinis ſuis manibus noſtrum corpus effingere, non imperat angelo, aut cœleſti cuiuis poteſtati, non mandat, vt proferat terra ſponte, quemadmodum nunc cicadas, & pecudes olim ac beſtias, nullius miniſterio contentus, ipſe admota manu figulinam exercuit. Si id aſpicias quod acceptum eſt, ut homo fieret, quid eſt homo? ſi accipientis & formantis dignitatem, res magna eſt homo, nihil ob materiam, magnum ob honorem,

norem. quocirca propheta Deum alloquens, eum quaſi commonefacit oblati honoris, & dignitatis, ſic dicens. manus tuę fecerunt me, & plaſmauerunt me. & Iob. manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu, & ſic repente pręcipitas me? Quam verò ob cauſam tanta adhibita cura eſt formando huic corpori? nimirum vt fidem habeas ijs, quæ tibi Diuina oracula pollicentur, cum affirmant, fore, ut fulgeant iuſti ſicut ſol in regno patris, cùm que per prophetas promittitur, excitanda poſt mortem iſta corpora, & reparanda ad vitam. Ecce (inquit) ego aperiam tumulos ueſtros, & educam uos de ſepulcris ueſtris popu lus meus. & Daniel, qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt. & apoſtolus. ſi enim credimus, quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo. Verum quod præcipuè erigere nos debet, ut non niſi maxima nobis & ſumma polliceamur, illud eſt, quòd ipſe Dei filius & Deus hanc eandem naturam noſtram ipſe ſuſcepit, & homo factus eſt, noſtri ſimilis per omnia excepta culpa atque peccatis. quis hoc, antequam Dei conſilium & tam benigna erga nos uoluntas intelligeretur, non ſperare ſed cogitare auſus eſſet? mihi certè ſtupor & admiratio ſilentium indicit, apud me reputanti, qui conuenerit, ut tanto Deus hominem honore dignaretur, ut ſe ad illum demittere, & illum ſibi tanquam ęquare uoluerit. O uiſcera pietatis. ò incomprehenſam charitatem. miſit Deus filium ſuum ad terras factum ex muliere factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus. Quid eramus meriti? cruces innumeras. quid redditur? ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, illum per quem fecit & ſecula, per quem omnia facta ſunt, qui in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat illud verbum, iam illud caro factum eſt, & habitauit in nobis. Finem mihi imperant obortæ lacrymę, quæ ſe mihi ſubitò profuderunt, & ipſa tantę rei contemplatio, quę me ipſum apud me eſſe non patitur. quare illud tantum vobis in memoriam reuocabo, quod ab apoſtolo dictum eſt, qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, is omnia profectò cum illo nobis eſt donaturus. qui cum eodem filio & ſpiritu ſancto eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſecula. Amen.

Pſ. 116. Iob. 10. Mat. 13. Eze. 37. Dan. 12. 1. Theſſ. 4. Ioan. 1. Gal. 4. Ioan. 3. Heb. 1. Ioan. 1. Rom. 8.

ORA-

ORATIO DECIMA SEXTA.

QVOD ſuperioribus diebus à me dictum fuit, cum de ſolennibus feſtis diebus, quos eccleſia Chriſti anniuerſaria repetitione commemorat, verba facerem, eorum videlicet ignorationem maximo eſſe, ad pietatem impedimento. idem de ijs, quæ hoc loco tractantur, à nobis dicendum eſt, hanc ciuitatem non eum fructum ex hoc meo prędicandi labore capere, quem deberet, propterea quòd non intelligit rerum, quæ tractantur, maieſtatem atque vtilitatem. quę cum cogito, venit mihi in mentem illorum verborum, quę clariſſimus orator in re longè minoris momenti vſus eſt. rem tantam (inquiens) dico extra conuentum & eam frequentiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent. nam ſi audientium quidem numerum ſpectem, hoc ego ſanè numero contentus ſum, ſin numeroſum ciuitatis populum contempler, exiguus nimium eſt iſte conuentus, quę res arguit, maximam ciuitatis partem parum ea curare, quibus in Chriſtianæ philoſophiæ ſpatijs ſeſe exerceat. verum quia charitatis proprium munus eſt, vt Paulus docet, omnia ſperare, non deſpero, fore, vt illud demum mihi vſu eueniat, quod in hoc ipſo Seruatoris Chriſti ſermone accidit. nam cum initio videantur loquenti Domino affuiſſe ſoli diſcipuli eius, paulò tamen poſt turba etiam propius acceſſit. nam in ſermonis fine ſic ſcribit Matthæus. *factum eſt cum conſummaſſet Ieſus uerba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius.* Interea verò ueſtrum erit, qui huc frequentes conuenitis, inertiores admonere identidem atque excitare, ne tanta in re tam ſupini ſint. multa enim in ciuitate quotidie peccantur, quę facile cauerentur, ſi Diuini verbi prædicationi animum intenderent. facite ergo quod in Apocalypſi admonemur, vbi dicitur, qui audit, dicat veni. & quòd de paſchalis agni eſu præcipitur, vt conuocetur vicinus coniunctus domui ſuę, ſi ipſi eo numero non ſint, qui ſufficiant ad eſum agni. nam ad implendum negocium, quod prę manibus eſt, oportet, vt in dies veſter numerus augeatur. Sed tempus eſt, vt ad eam explicandam beatitudinem veniamus, quæ

1. *Cor.* 13. | *Mat.* 7. | *Apo.* 22. | *Exo.* 12.

reliquas deinceps ſequitur, de quibus hactenus verba fecimus, ea
Mat.5. autem eſt. *Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei uocabuntur.* Obſeruauimus hactenus, cuique beatitudini proprium quid ac conſentaneum fuiſſe à Domino aſsignatum. vt paupertati diuitiæ regni cœleſtis, ſic enim dixit. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* lugentibus autem conſolatio. mitibus, qui facile de iure ſuo decederent aduerſantibus, repenſa eſt terræ poſſeſsio. eſurientibus & ſitientibus ſaturitas. miſericordibus promiſsio miſericordiæ. ijs, qui mundo eſſent corde, ut res accommoda, promiſſa eſt viſio Dei. videndum ergo eſt, quam ob cauſam nunc dicit eos, qui pacifici fuerint, vocandos eſſe filios Dei. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, eiuſdem naturę cum patre, verúſque Dei filius, hanc
Phil.2. ob cauſam deſcendit è cœlo, atque ad nos venit, in ſimilitudine hominum factus, & forma inuentus vt homo, ut hominum genus Deo reconciliaret, pacarétque ea quæ in terris, & quæ in cœlo.
2.Cor.5. Deus enim (inquit) erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. &
Eph.2. alibi. per Chriſtum Ieſum vos, qui quondam eratis longinqui, propinqui facti eſtis per ſanguinem Chriſti, ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit ex vtriſque unum, & interſtitium maceriæ diruit, ſimultatem per carnem ſuam, legem mandatorum in decretis ſitam abrogans, ut duos conderet in ſemet ipſo in unum nouum hominem, faciens pacem, & ut reconciliaret ambos in uno corpore, Deo per crucem, perempta inimicitia per eam. Cum ergo peculiare ſit hoc filij Dei opus ipſa pacificatio, non iniuria ij, qui reconciliandę inter alios pacis auctores ſunt, filij Dei appellandi ab ipſo Dei filio dicuntur. quod ſiquis cogitet, quanta hæc ſit dignitas, id aſſequi poſſe ut euadas filius Dei, omnes profectò longè maiore ſtudio in hoc incumberent, ut tollerentur lites & inimicitiæ, & pax introduceretur. quis enim ueſtrum, ut filius regis euaderet, non difficilia quęque aggrederetur? at longè plus eſt filium Dei fieri. quòd ſi prętereà addas, ei, qui id aſſequi uelit, non ſolum non eſſe laborandum, uerum etiam ſumma cum uoluptate licere tanto bono frui, quis non libentiſsimè accipiat conditionem? quis autem obſecro labor eſt, aut, ſiquis omnino eſt, non ſaltem maxima cum iucunditate coniunctus, dare operam, ut inter diſcordes pax concilietur, aut ubi inuenitur, eadem conſeruetur? quocirca meritò filij Diaboli appellari digni ſunt illi, quibus nihil dulcius uidetur, quàm ut eorum

rum opera diſsidia nutriantur. ij enim omnium ſunt peſtilentiſsimi, ut rectè Salomon dixerit. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſsimas, pedes ueloces ad currendum in malum, proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias. Videte enim quàm id genus hominum ſceleratum ſit atque ingratum Deo. Deus ipſe nullius noſtrum egens (dixi, inquit, Domino, Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges) qua tamen eſt benignitate, demiſit ſe ad humilitatem noſtrã, ille vnigenitus de ſinu patris ad nos deſcendens, vt pax inter nos ac Deum reconciliaretur. homines verò, qui non ſolum Deo indigent, verum etiam aliorum hominum commercio ac ſocietate, atq; experiuntur, nulla grauiora aliunde mala quàm ex diſſenſionibus atq; ex diſcordijs proficiſci, ad inimicitias potius nutriendas, quàm ad pacem ſectandam ſunt propenſiores. Et quidem cum omnes homines deceat pacis ſtudium ex eo, quòd ratio ipſa, quæ illos à reliquis animantibus diſtare facit, eos ita admonet, ijs tamen in primis conuenit, qui Chriſto nomen dederunt, & eius ſe legibus profitentur eſſe ſubiectos. hos enim pacis futuros ſtudioſiſsimos, tot ante ſeculis Eſaias prædixit in hæc verba. Conflabunt gladios ſuos in uomeres, & lanceas ſuas in falces, non educet gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. ipſe verò Seruator hanc ſuis accuratiſsime commendauit, cum diceret. pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. quæ cum tanquam partus charitatis ſit, eandem charitatem, à qua pax proficiſceretur, ita voluit eſſe commendatam, ut ſolum hoc illius præceptum eſſe videretur. hoc eſt præceptum meum (inquit) vt diligatis inuicem. & alibi. mandatum nouum do uobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi uos. quod cum peculiare ſignum eſſe vellet eorum, qui in ſe crederent, adiecit. in hoc agnoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis inter uos. Et ſanè ſi inter ethnicos bella exercebantur, minus erat mirandum, cum inter Deos Mars collocaretur, qui gerendis bellis præeſſet, at ſub Chriſto, quo nato mox angeli pacem cecinere, qui, ut ait Paulus, eſt pax noſtra, bella exercere ac lites, hoc omnino eſt abſurdiſsimum. Hanc tamen pacem, quam quodam quaſi teſtamento reliquit ſuis Dominus, ferè non agno-

Pro. 6. *Pſal. 30.* *Eſai. 2.* *Ioan. 14.* *Ioan. 12.* *Epheſ. 2.*

agnoſcunt homines, ſed eam duntaxat, quam mundus dat, à qua
*Ioan.*14. vt ſuam ſeiungeret, dixit, non quomodo mundus dat, ego do vobis. quam etiam tanquam ſuæ philoſophię aduerſariam ut euerte-
*Mat.*10. ret, uenit. iccirco dixit. nolite putare, quòd venerim vt mittam pacem in terram, non veni vt mittam pacem ſed gladium. veni enim vt ſeparem hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam. quamobrem? inimici (inquit) hominis domeſtici eius. & ſanè ita eſt. quis enim peſtilentior hoſtis reperiri uſquam poteſt, quàm liberis parentes ipſi, cum ad ſola terrena illos nutriunt, ac de diuitijs tantum, de honoribus, ac dignitatibus, & gloria cogitare docent. de regno verò, ad quod eos Chriſtus uocat, quód quę ut eis impertiretur, noſtri ſimilis effectus eſt, nulla unquam mentio fit? num eos nos amantes filiorum parentes iudicabitis, quibus regnum inuident, idque ęternum, & pro regno ad caducas & momentaneas, atque exigui, aut nullius potius, ſi cum regno conſerantur, pretij res continuè inuitant? Hęc pax, quam vnam ferè ab hominibus agnoſci diximus, diſcordiarum & bellorum ſeminarium eſt, dum appetionibus ter-
Iac. 4. renis ac commodis & uoluptatibus inſeruit. unde enim bella (ait Iacobus apoſtolus) & lites in uobis? nón ne hinc? ex uoluptatibus ueſtris, quæ militant in membris ueſtris? quo pacto? concupiſcitis (inquit) & non habetis, inuidetis & æmulamini, & non poteſtis adipiſci, litigatis & belligeratis. cum enim humanus animus his exſatiari nunquam poſsit, atque adeo eorum appetitus, ipſa eorundem acceſsione magis creſcat, conſequens eſt, ut continuis bellis atque diſſenſionibus laborent homines, dum quod unus aſſecutus eſt, uidetur in alterius diſpendium redundare. Hęc huius generis pax, qua ad hoc unum copulantur homines, vt terrena curent, quędam eſt in Deum conſpiratio, cuiuſmodi illa fuit, de qua
*Pſal.*2. Dauid ait. aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unū aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. hęc pax affectus
*Rom.*8. carnis eſt, qui, vt ait Paulus, inimicitia eſt in Deum, legi enim Dei
Coll. 3. non eſt ſubiectus. At illa pax, quæ appellatur pax Chriſti & pax
*Phil.*4. Dei, quę ſuperat omnem mentem, & fructus eſt ſpiritus, contraria huic omnino eſt, nullúm que habet cum terrenis affectibus uoluptatibúſque commercium. ijs tantum ſtudet, quę Dei ſunt, tota à Diuinis legibus pendet, quam qui aſſequuntur, ſoli ſunt ſine offendi-

ſendiculo. pax multa (inquit) diligentibus legem tuam, & non eſt illis offendiculum. hac nobis ſectanda eſt, & danda opera, vt ad hanc proximum quenq; introducamus. quos cum diſsidentes inter ſe cernimus, ad pacem inuitemus, ſi tantę beatitudinis eſſe participes volumus, vt filii Dei nuncupemur. quod vt aſſequi facilius liceat, præſertim cum videam multa in hac parte à vobis peccari, libet cauſas inquirere quę efficiant, vt tanto bono deſtituamini. Et primũ quidem cũ legamus, initium omnis peccati eſſe ſuperbiam, nil mirum eſt, ſi & huic malo initium det. quare rectè Salomon dixit, inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt. dum enim quærit alter altero eſſe maior, & ſententia ſuperare, inimicitias inter eos oriri neceſſe eſt. In eundem modum cum reperiamus radicem omnium malorum eſſe auaritiam, ex ea quoque diſsidia oriuntur & lites. nam inſatiabilis habendi cupiditas nullum cum pace habere fœdus poteſt. cum neceſſe illi ſit in morem maris continuis agitari fluctibus ac procellis quati. quamuis enim improbæ (vt quidam poëta ait) creſcant diuitię, tamen curtę neſcio quid ſemper abeſt rei, quod dum abeſt, ſemper autem aberit, tandiu inimicitiarum & diſsidiorum ſemina germinabunt. Et quamuis alię etiam reperiri cauſę poſsint, à quibus hoc pacis bonum corrumpatur, ab ijs tamen duobus tanquam ſontibus originem habent. verum præcipuum odii & bellorum ac litium nutrimentum, eſt linguæ intemperantia, cuius vſus tanti eſt, vt dicere auſus fuerit Salomon, mors & vita in manibus linguæ, qui diligunt eam, comedent fructus eius. poterat vir ſapientiſsimus paucis verbis efficacius exprimere, quantum in vtranque partem lingua poſsit, quàm vt diceret, in linguæ poteſtate eſſe mortem & vitam? icirco & alibi dicit, qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam, qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. comparat etiam hominem, qui cohibere linguam neſciat, vrbi nulla ex parte munitę, ſic dicens. ſicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ſic qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. contra verò de ijs, qui bene vtuntur lingua, dicit. lingua ſalubris lignum vitæ. & alibi. vena vitæ os iuſti, &, argentum electum lingua iuſti. An in quotidiana conſuetudine non experimur, quantum boni viri ac prudentis ſermo cum priuatim tum publicè vtilitatis afferat? rurſus conſiderate huius ciuitatis inimicitias ac lites & mutua inter vos odia,

Pſ. 118.
Eccl. 10.
Pro. 13.
Pro. 18.
Pro. 13.
Pro. 25.
Pro. 15.
Pro. 10.
Pro. 19.

odia, & mala inde manantia, profectò reperietis, maximam eorum partem, vel omnia potius ex linguę vitio profecta. verba enim ſemen quoddam ſunt, quod in agrum cordis iactum in ingentem ſegetem creſcit. quo circa non tam faciles in proferendis ſermonibus eſſe deberemus, ſed cogitatione ante præcipere, quid inde boni vel mali conſequi poſsit. hoc enim ſapientum eſt, illud
Eccl.21. ſtultorum, quemadmodum quidam ſapiens ait. in ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientum os illorum. huic rei natura videtur remedium adhibere voluiſſe, vt quidam naturæ inſpectores admonuerunt, quæ duo ſepta linguæ appoſuerit, dentes videlicet ac labia. Hoc ego malum video huic ciuitati penè peculiare, certè frequentiſsimum, & vnum ferè, cuius gratia mala quæ vos premunt ſunt introducta. quin plerunque res accidunt, quę nullius omnino per ſe momenti ſunt, quę ob linguæ intemperantiam
Adag. ita graues euadunt, vt ſępe ex muſca fiat elephas, vt eſt in prouerbio. non enim interdum tanta eſt ſagittarum vis, quanta detrahen
Pſal.56. tis linguę. vt appoſitè dixerit pſaltes. filij hominum, dentes eorum arma & ſagittę, & lingua eorum gladius acutus. & alibi de iniqua & doloſa lingua loquens, comparat eam ſagittis acutis, quę
Pſ.119. à valido ac robuſto viro iaciantur, quę cum ſuo acumine tum iaculantis robore pernicioſiſsimè feriant. Huic malo uobis ciues mei eſt omni ſtudio occurrendum, ſi pacatam habere vultis veſtram ciuitatem, alioqui nunquam finem diſcordiarum habituram. quod, modo velitis, factu eſt facillimum. quid enim tam in noſtra eſt poteſtate, quàm linguę vſus? quę res quò eſt facilior, eò magis reprehendendi eritis, ſi auditis hiſce monitis. quæ hodie à me proponentur, eritis ad ea ſeruanda negligentiores. Nam quod dixi, hoc facillimum factu, atque in veſtra eſſe poteſtate, non eſt
Pro.16. verbis Salomonis contrarium, vbi ait. Domini eſt gubernare linguam. videte enim quid pręcedat. hominis eſt (inquit) animam pręparare, deinde ſubdit, & Domini gubernare linguam. in alium ergo ſenſum locutus eſt, docens, non ſatis eſſe nobis præcipere rem cogitatione, niſi Domini auxilium accedat, vt ore depromas illud, atque ad finem perducas. alioqui ne cogitare quidem
2.Cor.3. (vt ait Paulus) idonei ſumus quicquam à nobis quaſi ex nobis. quare illud nihil meæ ſententiæ aduerſatur, nam facillimum, ut dixi, hoc erit, nec Dei fauor & gratia vobis volentibus vnquam deerit.

deerit. ſed redeamus ad propoſitum. Et quidem, quantum conijcere poſſum, hactenus illud nobis impedimento fuit, ad tantum errorem tollendum, quòd pondus rei non æſtimauiſtis, arbitrati rem non eſſe admodum plurimi faciendam, neque graue eſſe linguæ lubricitati indulgere. ſed cogitandum poſthac vobis eſt quod ait beatus Iacobus, linguam puſillum membrum eſſe, ſed magna iactare, exemplúm que accipit à fręno & nauium gubernaculo, quę cum exiguę quędam res ſint, ingentem tamen vim habent, ſic enim ait. Ecce equis fręna in ora immittimus, vt obediant nobis, & totum corpus illorum circumagimus. ecce naues quoque cum tantæ ſint, & à ventis ſæuis agantur, circumaguntur à minimo gubernaculo, quocunq; impetus dirigentis voluerit. Hę profectò ſimilitudines ſunt maximè accommodæ ad linguæ potentiam exprimendam, quæ cum exiguum membrum ſit, tamen maxima quæque in vtranq; partem aſſequi poteſt. ferocientem equum exiguo fręno regere non exiguum eſt, multò verò maximum paruo gubernaculo ita regere nauim, vt inſanos rabidi maris fluctus queat ſuperare. quę res, niſi conſuetudo admirationem ſuſtuliſſet, miraculo videretur eſſe perſimilis. at lingua non minores, ſiquis ea rectè vti velit, ſuperare ac ſedare hominum tempeſtates idonea eſt. ruſúſque vt gubernaculi abuſus totam nauim pręcipitem agit atq; diſperdit; ſic linguæ abuſus maxima quęque ac grauiſsima negocia euertere conſueuit. Comparat idem apoſtolus linguam naturę ignis, ecce (inquiens) exiguus ignis quantam materiam incendit. & lingua ignis eſt, mundus iniquitatis. & ſanè id eſt, quod dudum dicebamus, intemperantem linguæ vſum id efficere, vt res nullius momenti ita augeantur, vt quod primò ſedari nullo negocio potuiſſet, poſtea niſi maximis ſumptibus confici nequeat. Hęc ſi in conſilium ſæpius adhibueritis, non committetis opinor, vt rem à qua tanta vel bona, vel mala proficiſci poſsint, quemadmodum hactenus factum eſt, negligatis. quæ res ſi, quanti ſit, adhuc ſcire vultus. videte quid dicat pſaltes. Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? quid expectatis ex hoc tanto ſermonis apparatu tantà que pollicitatione hunc eſſe dicturum? quid verò homines aliud optant, quàm vitam & dies bonos? nihil profectò pręterea. nam hoc omnia complectitur, quę expeti vnquam poſſunt. quid ergo ait in primis?

Iac. 3. *ibidem.* *Pſal. 33.*

Q prohibe

prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. cernitis præſtantiſsimum prophetam, vitam & dies bonos, hoc eſt, ſummam humanæ felicitatis in coërcenda lingua collocauiſſe? qui etiam quid ipſe facere conſueſſet, quòd ſcilicet, ne intempeſtiuè lingua abuteretur, interdum & à bonis rebus abſtineret,
Pſ. 38. alibi ait. Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me. obmutui, & compeſcui me, & ſilui à bonis. abſtinebat à bonis interdum ſermonibus vir ſanctus, cum eos non profuturos intelligeret, & nos non ab iis ſaltem verbis, quę manifeſta ſecum afferre mala ſcire poſſumus, noſmet ipſos non continebimus? Cum ergo res hęc tantum ad pacandam atque in pace continendam ciuitatem veſtram pondus habeat, vt in hac præcipuè pacis ſpes poſita eſſe videatur; cogitaui remedia aliqua adhibere, quibus curetur morbus, & ſanitas introducatur. & primum ad morbi radicem tollendam ingrediendum eſt, quod & in corporeis morbis curandis medici corporum faciunt. & videndum vnde hęc linguæ intemperantia proficiſcatur. Tria ſunt grauiora belli genera. unum, cum milites noſtri a barbaris & Chriſtiani nominis hoſtibus oppugnantur. alterum, cum pacis tempore nos inuicem diſſidemus. tertium, cum quiſque noſtrum aduerſus ſemet ipſum bellum gerit. hoc ſanè tertium eſt omnium perniciosiſsimum. nam illud, quod à barbaris infertur, nihil magni afferre mali nobis poteſt. quid enim? iugulabit hoſtis & occidet? at animam nihil lędet. ſed ne alterum quidem belli genus, nos voluerimus, officere quicquam nobis poterit. quamuis enim alij aduerſum nos pugnent, licet nobis eſſe pacificis. atque hoc eſt, quod cum pleriſque veſtrum interdum ſum conqueſtus. cum enim eos interrogarem, cur exhomologeſim non fecerint, nec euchariſtiam ſumpſerint, reſpondebant, ſe habere neſcio quos, qui ſibi negocium faceſſerent. quid hoc ad te? tu animum tuum compone, & totum negocium confectum eſt. hoc in tua eſt poteſtate, non illud, quod cauſaris. quid enim ſi ſemper aliqui ſint, (hoc enim prohibere ipſe non potes) qui te diuexent; num iccirco perturbato tibi animo perpetuò eſt perdurandum? non agnoſcis, te, cum hoc agis, alienam culpam tuam facere? quin imitare prophetam, qui aie
Pſ. 108. bat, pro eo quòd eos diligebam, detrahebant mihi, ego autem orabam,

bam. & rurſus, cum ijs, qui oderant pacem, eram pacificus. Primum ergo & ſecundum belli genus lædere nos, niſi noſtro uitio, non poteſt. at tertium ſemper damno cum noſtro fit. cum enim in nobis corpus ab anima diſsidet, prauáſque appetitiones excitat, voluptates, iram, inuidiam, fas non eſt, niſi ſoluto hoc bello, promiſſa bona aſſequi. ſed neceſſe eſt, vt is, qui hunc tumultum non ſedauerit, cadat, ac vulnera accipiat, quæ mortem illam pariant, quę in Geennam ducit. opus ergo nobis eſt quotidiana cura, multó que ſtudio, ne hoc bellum in nobis excitetur, aut excitatum maneat. quid enim prodeſſet, ſi orbis omnium terrarum profunda ſoueretur pace, tu verò aduerſus temet ipſum bellum exerceres? hanc in primis oportet pacem habere, quàm ſi habuerimus, nihil externum lędere nos poterit. hæc dum deerit, tandiu continuis laborabimus difficultatibus. qui enim perpetuis bellis intra ſemet ipſum laborat, fieri non poteſt, vt inter alios pacatè queat viuere. hinc ergo veſtræ omnes lites, controuerſiæ, oblocutiones, detractiones, diſsidiá que tanquam ab radice quadam progerminant. tám que vehementer hoc malum huic vrbi inueterauit, vt corrupto iudicio, quicquid fit, etiam ipſa rectè facta plurimum in ſiniſtram partem accipiantur. quę vel vna res idonea eſſèt ad pacem à veſtris finibus perpetuò relegandam. hoc enim animi iudicium eſt peſsimè affecti, atque corruptiſsimi, vt, quæ digna potius commendatione eſſent, vitio vertantur. atque hoc ego cum in alios tum in me ipſum factum fuiſſe ſuperioribus diebus deprehendi, qui cum neſcio quid ſalutis veſtræ gratia conſuluiſſem veſtro ſenatui, mirum quo pacto venerim quibuſdam in ſuſpicionem, vt non verba ſolum, ſed etiam ſilentium fuerit obſeruatum. atque idem ipſum à pleriſq; veſtrum reliquis in factis meis fit. ſed ego iccirco non commoueor, quòd certò ſcio, vos non mei odio id agere, ſed prauę vitio conſuetudinis, venít que mihi in mentem fabulę perdicis & gallinarum. quòd ſi etiam odio id faceretis, ne tum quidem commouerer. opto enim illud imitari. quod ait apoſtolus. ego verò libentiſsimè impendam & expendar pro animabus veſtris, licet vberius vos diligens minus diligar. ſed hęc volui vos admonitos, vt agnoſcatis in vobis ipſis quanto laboretis vitio. qui ſi epiſcopi veſtri, quem experimini oblitum patriæ & cognationis omnis, ſolam ciuitatem veſtram curare, & eandem incudem noctes diéſque tundere, facta tam parum ciuiliter

[Margin: Pſ. 119. — 2. Cor. 12.]

uiliter interpretamini, quo animo ſperandum eſt vos in reliquos omnes eſſe futuros? atque hoc vitium cum in quouis Chriſtiano homine reprehenſione dignum ſit, tum in ijs, quibus ciuitas regenda tradita eſt, multò eſt pernicioſiſsimum ob damna, quæ inde in omnem ciuitatem emanant. ſi enim perturbationum, quę vos iandudum afflictant, fontem diligentius perquiratis, fortaſſe comperietis, maximam cauſam in linguæ petulantia eſſe poſitam. quid enim ſperandum boni eſt, aut potius quid non expectandum mali, cum publica conſilia, quæ maximi ſępe, ſemper autem non exigui momenti ſunt, paſsim produntur, vt obuium cuiqui ſit ea impedire atque euertere? hinc etiam odiorum & inimicitiarum cateruæ proficiſci ſolent, & domeſticæ & externæ. accidit præterea, vt alter alteri obloquamini, quicunque veſtram ſententiam non ſequatur, ex quo mox conſequuntur inimicitiæ. qui ſi impetus animi compeſce-
Pro. 27. retis, quemadmodum admonet Salomon, ne foras prodirent, nec totum ſpiritum veſtrum proferretis, longè maiorem inter vos tranquillitatem experiremini, quàm hactenus habueritis. Sed addamus adhuc aliqua remedia, quibus ſi identidem fueritis vſi, non erit ita multus labor à praua illa, quàm hactenus tenuiſtis, conſuetudine diſcedere. Et primum illud venire vobis in mentem debet, vni ex omnibus animantibus homini linguam datam, quæ ſingillatim omnes animi cogitationes depromere poſſet, quod cæterorum animalium nulli contigit. quæ generatim tantum vel doloris vel lætitiæ cęterorumque affectuum ſigna queunt exprimere. hoc vni homini profectò ob illius excellentiam eſt datum, vt theſauros rerum, quas excogitare idoneus eſt, & ſcientiarum & artium proferre & cum alijs communicare poſsit. hoc tantum tam ſingulare munus tam parui faciemus, vt quod ſummæ vtilitatis gratia datum eſt, ad maxima noſtra damna eo abutamur? rem tanti pretij ſordidabimus, vt ex ea tot mala prodeant, à qua bona duntaxat debuerant proficiſci? atque hoc erat, quod beatus Iacobus querebatur, cum
Iac. 3. diceret. per ipſam benedicimus Deo & patri, & per ipſam maledicimus hominibus, qui ad ſimilitudinem Dei conditi ſunt. ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. non oportet fratres mei hæc ita fieri. nunquid fons ex eodem foramine emittit dulcem & amaram aquam? nunquid poteſt ficus oleas gignere, aut vitis ficus? Cernitis, ut Diuinus apoſtolus cenſeat monſtro eſſe perſimile, vt

le, vt quis ex eadem lingua, quę, ut ex ea bona tantum emanarent, condita eſt, uitioſa & peſtilentia verba proferat? iccirco admonebat Paulus dicens. omnis ſermo ſpurcus ex ore ueſtro non proce- *Ephe. 4.*
dat, ſed ſiquis eſt bonus ad ædificationem, quoties opus eſt, vt det gratiam audientibus. & alibi, ſiquis loquitur, quaſi ſermones Dei. *1. Pet. 4.*
& rurſum, impleamini ſpiritu, loquentes vobiſmet ipſis in pſalmis *Ephe. 5.*
& hymnis & canticis ſpiritualibus. & quidam ſapiens, omnis (in- *Eccl. 9.*
quit) enarratio tua ſit in præceptis altiſsimi. Quàm eſſet pulcher Chriſtianus orbis & ſole ipſo illuſtrior, ſi in eiuſmodi vſus linguam conuerteremus, vt vbiq; audiretur bona precatio, gratiarum actio, hymni, pſalmi, adhortationes ad rectam & honeſtam uitam, opitulationes, conſolationes, prædicationes commendationéſque Diuinorum operum, mutuę charitatis ac beneuolentię ſermones. contra verò, ob hanc unam præcipuè cauſam fœda eſt eiuſdem orbis facies, quòd lingua ita abutimur, ut dici, ſi vnquam aliâs, illud prophetę nunc quàm maximè poſsit. ſepulchrum patens eſt gut- *Pſal. 5.*
tur eorum. omnia nunc ſcatent oblocutionibus, detractionibus, maledicentijs, amarulentijs, fœdiſsimis ſermonibus, quos perditi homines in ipſum interdum cœlum iaculantur, non contenti terram conſpurcauiſſe. blaſphemis illis verbis, quę ipſis etiam Dæmonibus, qui Deum credunt & contremiſcunt, eſſe poſſunt abominanda, inceſſunt factorem ſuum Deum & Chriſtum eius, quod nunquam apud ethnicos in ſuis Dijs, qui tamen Dij non erant, factum legimus. atque ij, qui pręſunt, iſta audiunt & tolerant, & tamen Chriſtianos ſe audent appellare. Et hęc quidem de ijs dicta ſint, qui tam egregio munere, humanæ uidelicet linguæ, tam perditè abutuntur. Illud præterea cohibendæ linguę remedium eſt maximum, ſi cogitemus, quòd Seruator ipſe dixit. De omni verbo ocio- *Mat. 12.*
ſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. ſi ocioſa verba, quæ non damnum proximi cuiuſq; ſecum habent, ſed utilitate tantum carent, vocanda in iudicium Chriſti in conſpectu orbis terrarum ſunt, quanto ſeuerius illa tractabuntur, quæ multorum & ingentium malorum cauſa fuiſſe deprehendentur? hæc vna cogitatio nón ne id agere in vobis deberet, vt, cum proferendum eſſet verbum, toto corpore contremiſceretis? videte enim quid idem Dominus addat. ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis. vult & iuſtificationem, & condemnatio-

nem

nem ex uerborum vſu pendere. quo quid magis terrificum eſſe nobis debet? neque uerò cohibenda tantum lingua eſt à ſermonibus ſtultè incogitantérque proferendis, ſed auris etiam ab iijs audiendis. qui enim aurem accommodat, eius qui loquitur, particeps fit. uiam autem frenandi temerè loquentium petulantiam,
Pro. 25. pulchrè docet Salomon ſic dicens. uentus aquilo diſsipat pluuias, & uultus triſtis linguam detrahentem. nam qui hilari uultu, detrahentes, hoc eſt, pacis inimicos audiunt, ipſa attentione inuitant eos ad loquendum. quod ſi ſeueriori ac rugata fronte eos auerſere, comprimitur continuò ille detrahendi appetitus. quem fructū
Eccl. 2. idem Salomon contemplatus aiebat. melior eſt ira, hoc eſt, ſeueritas, quàm riſus, quia per triſtitiam uultus emendatur animus. &
Eccl. 7. rurſus, cor ſapientum ubi triſtitia, & cor ſtultorum ubi lætitia. & ſanè ſi obſeruare attentius volueritis, inuenietis eiuſcemodi linguę diſſolutionem inter ineptum atque intemperantem riſum ſuam uim exercere, quæ res optimos quoſque mores uitiare conſueuit.
2. *Cor.* nam mores bonos (inquit) colloquia corrumpunt mala. Vidiſtis
15. crudelem feram, ueſtræ huius ciuitatis pulchritudinem ſua petulantia deuaſtantem, quam ſi ſæuire, ut hactenus factum eſt, permiſeritis, maiores illi in dies ferociendi animos adijcietis. quare iam incipite illius furorem compeſcere, ne tam ingens malum longius proſerpat. aſſueſcant tandem aliquando linguę ueſtræ ſermonibus
Rom. 12. pacis, vt ſitis, quod Paulus admonet, ſi fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace uiuentes. cogitate de uobis ipſis, atque in voſmet deſcendite, ueſtra uitia perueſtigantes, & non erit tam facile in aliorum crimina inuehi. cum proferendum verbum eſt, cogitate illud habere uim ignis, cuius exigua ſcintilla ad totum mundum incendio conſumendum ſatis eſſet. iccirco Sa-
Pro. 30. lomon cum quatuor propoſuiſſet inſatiabilia, dixit ignem nunquā dicere, ſufficit. ſi in hac vita rectè ingredi optatis, mementote quod
Pſ. 139. pſaltes ait. uir linguoſus non dirigetur ſuper terram. ſi ad hanc pacem pigri eſtis, futuræ vitę ſtudio, pręſentia certè uos cōmoueant. nulla enim tam ſtabilis domus, tam firma ciuitas eſt, quę non odijs atque diſsidijs funditus poſsit euerti. & tritum illud eſt ab ethnico dictum. concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximę dilabuntur. ſed multò erit utilius, ſi Chriſtianæ philoſophiæ contemplatione hæc faciatis, vt beatam hanc filiorum Dei appellationem conſequa-

ſequamini, quam ipſe Dei filius eſt pollicitus, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO DECIMA-SEPTIMA.

CHRISTIANAE philoſophiæ facultas hoc à cæteris differt, quòd reliquis diſciplinis atque artibus aliqua illis diſcendis ſpatia aſsignantur, neque tam leuis ulla tám que facilis ars reperitur, quę non tempore egeat, ut eam quis aſſequi poſsit. noſtræ verò, hoc eſt, Chriſtianę philoſophię ea maieſtas eſt, ac rerum copia, vt ſiquis in ea ab ipſa infantia exerceri cœperit, nulla ei quamuis longa annorum ſpatia ſatis ſint ad illam adipiſcendam. quare mirari vehementer ſoleo, maximam Chriſtianorum partem, ſi non totam ętatem, quod certè faciendum eſſet, in eam impendere uolunt, non ſaltem curare, ut adoleſcens ætas ea ita imbuatur, vt reliquo vitæ tempore ſenſum illius prę ſe aliquem ferant, ne cognomen quod ab ea acceperunt, fruſtra circunferre videantur. nam in reliquis di plinis atque artibus, nemo ab illis cognomen accipere audet, qui non ſolum eas calleat, uerum etiam exerceat. nam medicinę quis artem callere exactè poteſt, quam tamen ſi nunquam exercuerit, non facilè medici cognomen ei dabitur. hic Chriſtiani cognomen plerique omnes vſurpant, qui tantum abeſt, vt hanc facultatem ſedulo exerceant, ut uſque ad canos illius penitus ignari ſępiſsimè perducantur. Præterea diſciplinæ aliæ atque artes, ſciri utiliter atque exerceri etiam poſſunt, tametſi non admodum quis eis afficiatur, cum aut egeſtas aut neceſsitas aliqua vrgeat. ſed in Chriſtiana doctrina totum ferè in eo eſt, vt quis illi afficiatur, ſine quo affectu ſiquis ſcientiam illius omnem myſteriáque omnia norit, nihil ei prodeſt. Coactus ſum iſta præfari ob ea, quæ hodie apud vos ſum dicturus. quæ vt intelligantur, maximè atque vehementiſsimè affectum huic philoſophiæ animum afferre oportet. alioqui inanis futurus eſt meus hic omnis dicendi la

bor

bor, ſequitur enim de ea re tractandum, quæ Chriſtianæ philoſophię ſummam complectitur, de perſecutionum videlicet malorúm que perpeſsione. hoc enim in primis Seruator admonuit, cum
Mat.16. dixit, qui vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum, & tollat cru
Luc.9. cem ſuam, & ſequatur me. hinc Chriſti eccleſia ortum habuit, hac via aucta eſt, vt creſceret perſecutionibus, & credentium Chriſto ſanguis, Chriſtianorum eſſet ſeminarium. Et quidem cum ſemper Chriſtiano homini hoc ſit expectandum, naſcentis tamen eccleſiæ fuit peculiare. tanto enim in eos inimici debacchabantur furore, vt qui illos occiderent, arbitrarentur ſe obſequium pręſtare Deo ad hęc ergo perferenda, cum ſuos Dominus animare vellet, non ſolum iubet, ut non formident, verum etiam vt rem beatam
Mat.9. proponit, & ait: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Sed ante quàm in huius beatitudinis theſauros ingredior, libet inquirere, cur octauo loco ſit poſita, & cur etiam poſtrema ſit relicta. &, quod ad octauum quidem locum pertinet, hic illud accidiſſe mihi videtur, quod in muſicis ſpeculationibus obſeruatum eſt vſu euenire, vt cum ad ſeptem voces progreſſum eſt, non poſsit noua vocis acceſsio fieri, ſed quæ octaua additur, cum prima ita conueniat, vt non duę ſed vna vox eſſe videatur, quod quo pacto fiat, in naturæ maieſtate, quę à ſapientiſsimo Deo inſtituta eſt, opinor deliteſcere. illud tamen obſeruatur, ſeptenarij numeri vim eſſe ingentem, cúm que numerum primum in mundi fabrica reperiri, deinde in humano fœtu, qui dum in materno adhuc vtero iacet, per dierum & hebdomadarum & menſium ſeptenaria fertur conformari ac perfici, poſt verò egreſſus ex vtero eiuſdem numeri regulis quaſi gubernatur. vt minus ſit mirum, ſeptenarij vim etiam in muſicis locum habere, vt voces vltra eum numerum non ferantur, quin cum priorum vocum concentu eædem ſint. quod propemodum & in hac beatitudine factum mihi videtur. iccirco cum cuique beatitudini propria aſsignata merces fuerit, poſſet que proculdubio Dominus & huic peculiare quid reddere, noluit tamen, ſed idem præmium, quod & primę propoſitum eſt, huic etiam poſtremæ voluit eſſe commune. vtrobique enim eſt dictum, *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* & rectè ſanè. nam cum per pauperes ſpiritu ſignificatos dixerimus eos, qui humanas omnes facultates propter Deum con

tempſe-

tempſerunt, ac pro nihilo habuerunt, & qui ita ſeſe deiecerunt, vt bonis omnibus indignos ſe exiſtimauerint, iurè cum illis coniungentur iſti, qui in perſecutionibus, humanis omnibus bonis ac commodis ſunt deſtituti, vt quod illi toto animi affectu complexi ſunt, hi re ipſa generoſè idem pręſtiterint. Sed cur poſtrema omnium hęc relicta beatitudo eſt? ob eam cauſam opinor, quòd omnes perſectionis numeros ſecum habeat hæc perſecutionum pro Chriſto perpeſsio, in qua quicunque ſolidè atque intrepidè ſit perduraturus, ingenteis eum in Chriſtiana philoſophia feciſſe progreſſus neceſſe eſt. His viſis, propius ad hanc beatitudinem accedamus, ſi forte & nobis illi affici detur, & referre ea tempora, quibus tantum aberat vt Chriſtiani perſecutionem formidarent, vt ad martyrium alacres, tanquam ad lautiſsimum conuiuium accurrerent. tunc enim hæc agnoſcebatur fèlicitas, nunc homines frigent, & vinculorum ac catenarum pro Chriſto nomen perhorreſcunt. & tamen *beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*. quid eſt enim aliud perſecutionibus exagitari, quàm expoliri in eorum lapidum morem, qui cum prius rudes atque informes eſſent, crebris tunſionibus tam pulchri fiunt, vt magnificentiſsima quęque ędificia exornent? horum percuſsiones nónne beatas quodam modo iudicabimus, quę effecerunt, ut nulla ſpecie lapides tam ſpecioſi apparerent? & nos eundem in modum tanquam uiui lapides, quemadmodum beatus Petrus ait, his tunſionibus expolimur ad illius domus ornamentum, quæ in cœlo ædificatur, alioqui rudes & impoliti ac deformes reijciendi. *Beati ergo qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*. atque hoc ſolatium eſt ingens, cum qui patitur, nullius ſibi ſceleris eſſe conſcium, propter quod patiatur. ingens gloria purę teſtimonium conſcientię. hoc animum in medijs tormentis, tanquam faculam in pharo ſeruat, infractúmque cuſtodit, & dum corpus dilaceratur, perinde eſt, ac ſi in arbore craſsior cortex incidatur, cuius inciſio nullum ipſi arbori affert detrimentum. qui verò propter iniuſtitiam mali aliquid patiuntur, & plures ſunt, & doloris eorum ſenſus in animi interiora penetrat, cum nullo innocentię munimento tanquam murorum ſepto tueri ſe poſsint, multó que amplius conſcientię eos carnificina quàm tortorum vngulę aut equulei excrucient. Ita eſt ſanè, omnes & probos & improbos contingit tanquam in area triturari, ſed I.Pet.2.

R hoc

hoc intereſt, quòd boni tanquam tritici granum integri manent; atque adeo perpurgantur, mali verò ut paleç, franguntur, neque ualent conſiſtere. quid? quòd tam denſæ hominum oculis offuſç ſunt tenebrç, vt continuis laborent perſecutionibus, quas ipſi ſibi accerſunt, neque id intelligunt tamen. quid enim eſt aliud perſecutio, quàm corporis ac multò magis animi diuexatio? at homines quotidianis litibus, controuerſijs, inimicitijs, odijs ſponte ſeſe obijciunt, quibus & animum & corpus tanquam grauiſsimis perſecutionibus laborare neceſſe eſt. Et ſanè quod ſuperioribus diebus de pace à me dictum fuit, quòd ſcilicet eam duntaxat pacem agnoſcere homines ſoleant, quæ & inimica Deo eſt, & ipſis pernicioſa; ſic in perſecutionibus eas auerſantur, à quibus fructum capere maximum poſſent, & illas non recuſant; ac venantur interdum, quæ ſummum eis detrimentum afferre ſolent. Vtiles ſunt externç perſecutiones, rerúm que corporearum calamitates, quæ interioris hominis pulchritudinem & ſeruare & augere conſueuerunt.

Can. 1. runt. iccirco aiebat ſponſa. nigra ſum ſed formoſa. externæ (inquit) aduerſitates deformem me humanis oculis videri faciunt, ſed non propterea ſpecies & forma, quam intuetur Deus, quicqnam damni patitur, quin potius fit formoſior. ſic Paulus, etſi exterior

2.Cor.4. noſter homo corrumpitur, interior renouatur de die in diem. dum enim externç iſtç moleſtiæ nos exercent, animus colligit ſeſe, non ſinitur effluere, ac tanquam à ſe diſcedere, carnis laſciuia cohibetur. homo ſe ad Deum accuratius ac frequentius recipit, fiúnt que ingentia interioris hominis incrementa. has ergo externas moleſtias & tanquam perſecutiones, quç tantam vtilitatem pariunt, homines perhorreſcunt, illas verò non fugiunt, & ne interdum quidem ſentiunt, plerunque autem amant; à quibus ſuprema damna proficiſcuntur. perſecutores pernicioſiſsimi ſunt, caro, mundus, Diabolus, & nullum aduerſus horum perſecutiones munimen quçrimus. ſuggerit caro comeſſationes, crapulas, ebrietates, quæ mox ſequuntur cubilia & impudicitiæ. hæc perſecutio ingens eſt, quam tamen tantum abeſt, vt plerique fugiant, vt etiam quàm libentiſsimè àmplexentur. mundus ad honores & gloriam & diuitias inuitat; accurrunt homines; & tamen nullum perſecutionis genus eſt pernicioſius, cum hçc à Deo auocent, quo malo aliud

1. Tim. 6. profectò maius non reperitur. qui uolunt diteſcere (ait Paulus) incidunt

cidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas ſtultas ac noxias, quę demergunt homines in exitium & interitum. ſiquidem radix omnium malorum eſt ſtudium pecunię, quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & ſeipſos implicuerunt doloribus multis. Quid Diabolus? quis barbarus tam eſt inimicus nobis atque hoſtis, quàm iſte? quæ beluarum feritas huius aduerſus nos furori queat comparari? is enim eſt, de quo Petrus ait. ſobrii eſtote & uigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus tan- *1. Pet.*
quam leo rugiens circuit quęrens quem deuoret. hunc ego tam pe *15.*
ſtilentem perſecutorem, qui die noctú que atque adeo horis omnibus, atque momentis irrequietus ceruicibus noſtris imminet, quotus tamen quiſque eſt, qui caueat, qui illius inſidias obſeruet atque declinet? ſuggerit ſcortationes, adulteria, odia, homicidia, mille fallendi artes excogitat, & tamen quàm nihil aduerſus eius verſutias inuigilamus, quàm nihil tam damnoſam perſecutionem declinamus, vt plerunque eius malitiæ noſmet ipſos adiutores prębeamus. Quare ne, quęſo, ſimus poſthac tam cæci, tám que ſaluti noſtræ ipſorum inimici, atque ab eis tantum perſecutionibus abhorreamus, quę perniciem animo afferunt, eas verò alacri animo ſuſcipiamus, quas hic commendat Dominus, & beatos appellat eos, qui illas patiuntur. quare? *quoniam ipſorum* (inquit) *eſt regnum cœlorum.* fit quidem etiam interdum, vt toleratæ æquo animo perſecutiones, temporaria commoda in hac ipſa vita afferant. cu ius rei euidens eſt exemplum Dauid, qui cum fugeret Abſalonem filium, egreſſus eſt uir de cognatione domus Saul nomine Semei, & *2. Reg.*
execrabatur regem Dauid, iaciebát que lapides contra eum, appel- *16.*
labát que eum virum ſanguinarium & uirum Belial. quem cum cerneret Abiſai filius Saruię ita detrahentem regi, indignatus voluit eum interficere. tum Dauid prohibuit ne id fieret, & dixit. ſinite hunc vt execretur Dauid iuxta pręceptum Domini, ſi fortè aſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro execratione hac hodierna. & ſanè uoti factus eſt compos, nam poſt paulùm in regnum fuit reſtitutus. ſed multò maius eſt præmium perſecutionis, quod hic à Seruatore Chriſto proponitur, regnum uidelicet cœlorum, regnum ęternum, regnum cuius non erit finis. quemadmodum ab angelo ad Mariam dictum fuit de regno Chriſti. regnabit (inquit) in domo Iacob in æternum, & regni eius *Luc. 1.*

non erit finis. Pro momentaneo regno uel acquirendo uel ſeruan do quanta moliuntur homines, quàm immanis opum profuſio, quanta fit exercituum cędes, neque pro regno ſolum, uerum pro parandis modicis facultatibus aut dignitatibus, circueunt mare & aridam, mille ſe exponunt mortibus, omnibus ſe ſubijciunt, nullum detrectant quamuis humile obſequium, & demum plerunque ante de hac uita migrant, quàm paratis uel tentatis fruantur. vbi uerò ęternitas agitur, & illud regnum, quod amitti niſi nobis uolentibus non poteſt (ò ſtoliditatem, ò ſtupiditatem) nihil laboramus, nihil conamur, ſubmiſsè nos erga proximum quenque gere re piaculum exiſtimamus. digni profectò quibus una Geenna tanto ſceleri, tantæ'que ingratitudini caſtigandę non ſatis ſit: Sed uideamus quid ſequatur. *Beati eſtis, cum probris uos affecerint homines, & perſecuti fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduerſus uos, mentientes propter me. gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra multa eſt in cœlis. ſic enim perſecuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante uos.* Quid vult hæc beatitudinis in eadem re noua repetitio? ob eam cauſam id factum opinor, quòd cum hæc res graniſsima ſecum afferret mala, quę carni ac ſenſibus maximè aduerſarentur, repetita beatitudine donare eam uoluit, vt fieret quod ſcri-

Eſa. 61. ptum eſt. pro confuſione duplici & rubore, in terra ſua duplicia

Pſal. 93. poſsidebunt. & Dauid, ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuę lętificauerunt animam meam.

2.Cor. 1. & Paulus, ſicut abundant afflictiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Sed mirum eſt, quod non dixerit, beati eritis, ſed *beati eſtis*, perinde quaſi inter ipſas catenas & carceres futuri beati ſint. quod quidem verum eſt, ſed non niſi ab amantibus intelligitur. ingens enim profectò & eximia laus eſt, omni conſulatu & regno & rebus omnibus maior pro Chriſto pati. nihil tam illuſtre, quàm uincula propter Chriſtum, quàm catenæ ſanctis illis manibus circumpoſitæ. maius hoc eſt atque præſtantius, quàm eſſe apoſtolum, quàm magiſtrum, quàm Euangeliſtam. quiſquis ex animo Chriſtum diligit, nouit quę dico. ſiquis ardet ac ſapienter inſanit pro ſuo Domino, is intelligit, quæ ſit uinculorum potentia. mallet enim vinctus eſſe pro Chriſto, quàm cœlum habitare, oſtenderet que vinctas manus omni auro, omni que re-

Ephеſ. 3. gio diademate ſplendidiores. ſulgidior erat Pauli carcer ipſa regia,

& quid

& quid dico regia? erat ipſo ſanè cœlo præclarior. nam vinctum Chriſtum habebat. Qui Chriſtum diligit, nouit hanc dignitatem, nouit hanc uirtutem, nouit quantum Deus hominum generi ſit elargitus, ligari pro Chriſto, fortaſſe hoc præſtantius eſt, quàm ad eius dexteram ſedere, & in illis ſedibus duodenis. certe enim ſi nulla hinc alia merces expectaretur, eſſet hoc ingens præmium, hęc idonea retributio, pro amato difficilia perpeti, nouerunt iſta, qui ſi non Deum, ſaltem homines ardentius amauerunt, quibus maior plerunque uoluptas eſt, dum ſe offert occaſio, pro ijs, quos amant, ferre grauia, quàm dum honorantur ab illis. non omnium eſt hoc intelligere, ſed illius duntaxat apoſtolici chori, de quo audi quid Lucas ſcribat. reuertebantur apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quòd digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati. hoc alijs nimirum videtur ridiculum, quòd iniuria honor exiſtimetur, & gaudium affici contumelia. at qui Chriſti deſiderio flagrant, hoc illis beatiſsimum iudicatur. Ego quidem (liceat enim mihi, ſi non affectum, certè verba vſurpare viri, qui Chriſti amore inflammatus, ante me hæc dixit) ſi quis mihi aut cœlum aut catenam afferat eligendam, illam cœlo anteponam. ſiquis mihi facultatem præbeat, vtrum eſſe cum angelis malim, an cum Paulo captiuo, Pauli carcerem potius eligam. ſiquis mihi proponat, vtrum vnus ex illis cœlorum poteſtatibus aut thronis eſſe velim, an iſte vinctus, vinctus eſſe proculdubio malim. ſi quis me nunc interrogaret, vtrum eſſe malim angelus, qui Petrum in carcere excitauit, an vinctus ipſe Petrus, ego ſanè eſſe Petrus eligerem, propter quem & angelus profectus eſt ad carcerem. ſi quis mihi nunc uirtutem offerret, ad uitam mortuos reuocandi, non illam magis, quàm catenam eligerem. Nil magis egregium, quàm graue aliquid pro Chriſto pati, neque tam beatum iudico Paulum, quòd ad tertium cœlum raptus ſit, quàm quòd in carcerem coniectus, non tam beatum, quòd audierit arcana verba, quàm quòd ſuſtinuerit uincula. Etenim ſi ipſe Chriſtus propter nos ſeruus effectus, gloriam ſuam exinaniuit, & tanquam exhauſit, neque vllo magis vnquam tempore iudicauit ſe eſſe in gloria, quàm cum propter nos in crucem eſt actus, quid tandem eſt, quod nos non deceat pati? nam audi ipſum dicentem, glorifica me pater. quid ais? ad crucem raperis, vt cum latronibus & impijs & execrandis hominibus mortem

Act.5.

Act.12.

2. Cor. 12.

Phil.2.

Ioan.17.

tem ſubeas, conſpuendus & cędendus alapis, & hoc gloriam appellas? nę (inquit) ego enim pro amatis hęc patior, & hæc ipſa nunc appello gloriam. Si igitur rex ipſe noſter nos miſeros amans & infelices, crucem gloriam exiſtimauit, & illam potius elegit, quàm ſedere in paterno throno & gloria, & ſummo honori ſummā ignominiam voluit anteferre, quantò ego magis talia iure gloriam appellabo? Verum apertius ſcire vultis, quanta ſit res ferrea catena propter Chriſtum ſerui corpori circumpoſita? videte quid hic Chriſtus ipſe dicat. *Beati eſtis*. quid? cum mortuos ſuſcitaueritis? non. quid ergo? cum cœcos curaueritis? ne hoc quidem. ſed quid? *cum probris uos affecerint, & fuerint perſecuti, & dixerint omne malum uerbum aduerſus uos, mentientes propter me*. quòd ſi malè audire tam beatos facit, mala pati quid non efficiet? Miſeret verò me ac pudet etiam noſtrorum temporum, in quibus cum eiuſmodi perſecutiones ceſſauerint, in tanto ocio exiguum, quod facilè poſſemus, præſtare recuſamus. quo enim pectо, non dico corporum cruciatus, ſed ſolas bonorum direptiones ferremus pro Chriſto, qui pro illo minimum incommodum ferre nolumus? at eo tempore facultates omnes auferebantur, neque contenti hoſtes in uitam Chriſtianorum ſæuire, in ipſa etiam mortuorum cadauera

*Pſal.*78. ſęuiebant. poſuerunt (inquit) morticinia ſeruorum tuorum eſcas uolatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ. nunc facultates ſuas poſsidere cuique licitum eſt, uita tranquilla frui, morte honeſta. poſtulatur tantum, ut abſtineatur ab iniquè factis, vt opum à Deo pręſtitarū ſua pars, Chriſti fratribus debita præbeatur. quæ omnia etiam ſine ulla Chriſtianę philoſophię cōmemoratione, ſola ratione admonente pręſtanda fuerant, & tamen ne hoc exiguū quidem efficere volumus. quòd ſi in Chriſtum ducem noſtrum interdum oculos intenderemus, cogitaremúſque illum, cum diues eſ-

2.*Cor.*8. ſet, nempe Dominus omnium, pauperem propter nos factum, tantáque ac tantæ ignominiæ plena paſſum, longè diuerſa, quàm nunc à nobis fit, ingrederemur via. *Beati ergo* (inquit) *cum probris uos affecerint, & fuerint perſecuti, & dixerint omne malum uerbum aduerſus uos, mentientes propter me*, alioqui ſi culpa no-

1.*Pet.*2. ſtra ea pateremur, non eſſet hęc beatitudo. nam hæc eſt gratia (ait Petrus apoſtolus) ſiquis propter conſcientiam Dei ſuffert moleſtias, præter meritum affectus malis. quæ enim eſt laus, ſi, cum

cum peccantes alapis cęde mini, ſuffertis? hæc eſt enim gratia apud Deum, ſiquidem in hoc vocati eſtis, quoniam & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecerat, nec inuentus fuit dolus in ore eius. & alibi. nequis veſtrum affligatur, vt homicida, aut fur, aut facinoroſus, aut curioſus alienarum rerum. porrò ſi vt Chriſtianus affligitur aliquis, ne pudefiat, immo glorificet Deum in parte hac. Liceret autem nobis, ſi uellemus, in hac profunda pace, quam à Chriſtiani nominis hoſtibus habemus, huius beatitudinis, quæ ex perſecutione acquiritur, non eſſe omnino expertes, ſi ea, quæ inter nos à domeſticis fidei patimur, æquo animo toleraremus. ſed non deſunt plurimis excuſationes in peccatis: dicunt enim. ſi à fidei noſtræ hoſtibus hæc proficiſcerentur, ea, & longè etiam grauiora paterer, ſed non eſt hæc eiuſmodi perſecutio, quam ferre debeam. at falleris vir bone, & longius à ſcopo aberras. non minore enim gloria apud Chriſtum honeſtaberis, ſi ea, quæ alij à fidei noſtræ hoſtibus perpeſsi ſunt, ipſe à fidei domeſticis toleranti animo perferas. & plerunque hic plus lucri eſt, quantò grauior eſſe videtur, à domeſticis profecta perſecutio. audi enim quid dicat propheta. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, &, ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. tu uerò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos. quare nunquam deeſſe nobis huius beatitudinis fructus poſſet, niſi inanes noſtrę inertię cauſas prætexeremus. Sequitur *Gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra multa eſt in cœlis.* ob hanc cauſam apoſtolus Iacobus aiebat. omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis. Dicite enim mihi. ſiquis ueſtrum grauiſsimis vulneribus pro ſuo principe affectus fuiſſet, ob quæ vulnera hanc vrbem dono accepiſſet. nonne beata fuiſſe illa vulnera exiſtimaretis? quantò ergo magis, vbi ęterni regni acquiſitio fit. Merces (inquit) veſtra multa eſt in cœlis. cuius magnitudinem aſſequi humana verba non poſſunt. nam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Atque vt eos magis animaret ad hæc egregia facta, ſuperiorum exempla proponit, & ait. *ſic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante uos.* de quibus

1.Pet.4. *Pſ.54.* *Iac.1.* *Luc.6.* *Eſai.64.* *1.Cor.2.*

*Heb.*11. quibus ad Hębreos ſcribitur. ludibrijs & flagris examinati ſunt, inſuper et uinculis & carcere, lapidati ſunt, diſſecti ſunt, tentati ſunt, occiſione gladij occubuerunt, oberrauerunt in ouillis & caprinis pellibus, deſtituti, preſsi, afflicti, quibus indignus erat mundus, in deſertis errantes & montibus ac ſpeluncis & cauernis terræ. Quid ergo nobis faciendum reſtat? nempe quod
*Heb.*12. eodem loco paulò poſt ſequitur. proinde (inquit) nos quoque cum tanta ſepti ſimus nube teſtium, depoſito onere omni, & tenaciter inhęrente peccato, per tolerantiam curramus in propoſito nobis certamine, reſpicientes ad fidei ducem & conſummatorem Ieſum, qui pro propoſito ſibi gaudio pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dexteram throni Dei conſedit. reputate enim, quòd is talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſe contradictionem, ne defatigemini, deſtituti animis. Quis ſub tanto duce, ac uiæ commonſtratore Dei filio ac Deo, recuſet aduerſa perpeti, aut potius non amet vicem aliquam tanto liberatori, tanto amatori generis noſtri, per aduerſorum perpeſsionem etiam gratis rependere? multò verò magis cum ſua liberalitate, infinita illa bona pro ſe decertantibus propoſuerit. quę utinam omnes aſſequamur. iuuante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO DECIMA-OCTAVA.

EGo hodie in hunc concionis locum aſcendi, non tam concionandi gratia, quàm vt, cum per aliquot dies abſens à vobis ſim futurus, prius quàm diſcedam, me vobis conſpicuum præberem, ne, ſiquis fortè ante diſceſſum meum mea opera egeret, quereretur, quòd occultò diſceſsiſſem. meus tamen hic diſceſſus communis vtilitatis cauſa fit. nam eam Fulginatis diœceſeos partem, quę montana eſt, inuiſere per æſtatem decreui, quę alioqui reliquis anni temporibus minus commodè inuiſi poteſt. meam. uerò per

rò per hoc tempus abſentiam ferre ęquo animo debetis, qui toto reliquo anno paſtoris veſtri copiam habetis. illis verò exiguo tantum eo temporis ſpatio, quo inuiſuntur, illius videndi facultas datur. & illi tamen pars veſtri ſunt, cum ſub una diœceſi omnes concludamini. & vrbs ipſa quidem caput eſt,caſtella uerò ac uillę membra. vel, ſi ſcripturę ſanctę more loqui volumus, ciuitas mater eſt, caſtella & villę filię. membrorum ergo & filiarum non minor habenda cura eſt, quàm capitis ac matris. Hoc ergo tempore, quo me abſentem eſſe continget, memineritis, attentius vobis eſſe uigilandum, quàm cum ſum præſens. nullo enim magis tempore, neque perniciosius lupi gregibus inſidiantur, quàm cum cernunt non adeſſe paſtorem. uerum perinde erit, ac ſi adeſſem, ſi ea, quę ſępius hoc loco dicta à me ſunt, identidem tanquam munda animantia ruminetis, & quotidie animo ac cogitatione repetatis. quę res ſi, cum etiam præſens ſum, facienda vobis eſt, alioqui nullum ex meo concionandi labore fructum reportaturis, multò certè magis, dum abero, erit faciendum, non ſolum ob eam quam dixi cauſam, ne videlicet occaſionem Diabolo inuadendi ueſtri præbeatis, verum etiam nequid de alacritate animi in huius philoſophię ſtudium quicquam imminuatur. ne, cum rediero, rurſus tanquam fundamenta quædam in uobis mihi ſint iacienda. Et quidem certè dum ueſtram audiendi verbi Dei copiam cogito, miſeror uehementer reliquam diœceſeos partem, quæ toto penè anno ob parochorum inertiam atque incuriam ieiunio conficitur. quamobrem cogitaui inſtituere concionatorem, qui toto anno, dum ego in ciuitate concionor, ipſe diœceſim perambulet, ne quiſquam Diuini uerbi alimonia deſtituatur. ſi quando verò contingat (vt nunc accidit) me à uobis abeſſe, hic concionetur. quanquam indigni eſtis, non autem de ijs loquor, qui frequentes conueniunt, ſed de ijs conqueror, qui tantum Dei munus negligunt, quę maxima eſt ciuitatis pars. indigna ergo eſt hęc ciuitas, in quam tanta utar liberalitate, miror que magiſtratum ac ſenatum non ſancire conſtitutis pœnis, vt tanta inertia corrigatur, decernatúr que, ut uel unus per ſingulas domos in templum conueniat. non enim me decet iſta ſtatuere, ne videar maiorem conuentum ambire, à qua tamen appetitione ſum alieniſsimus. Hi uerò qui uel contemnunt, uel negligunt uerbum Dei, uideant quid de ipſis Dominus dicat. qui ex

Ioan.8. Deo eſt, uerba Dei audit. propterea uos (inquit) non auditis, quia ex Deo non eſtis. maxima ergo huius ciuitatis pars non eſſe ex Deo arguitur. neque hoc formidatis? nec veremini, ne infenſus Deus, incœſto (ut ait ex externis quidam) addat integrum? non intelligunt miſeri, quantum hic neglectus afferat damni, nec cogitant, totam hanc uitam ſine Diuini uerbi luce nihil eſſe aliud quàm denſiſsimas tenebras. ſiquis ergo iter facturus eſſet in caliginoſa nocte cum neque luna neque ſtellæ quicquam luminis præbent, eſſét que eundum per inuia & ſalebroſa loca, ubi per momenta ſingula eſſet impingendum, & ceruicis ac crurum (quod dicitur) confractio expectaretur, ſi eo in ſtatu quiſpiam facem illi præberet, quanti illud æſtimaret? multò uerò magis quęrenda eſſet hęc ſpiritualis lu-
Pſ. 118. cerna, de qua pſaltes ait. Lucerna pedibus meis uerbum tuum,
2.*Pet.*1. & lumen ſemitis meis. & quam Petrus ait, lucere in caliginoſo loco, tantò profectò magis, quantò facienda pluris eſt animi quàm corporis ſalus. ſed nulla huius rei eſt cura, quin potius ſemper excogitant cauſas, cur uenire recuſent, nunc ęſtum, nunc frigora, nunc alienum eſſe neque concionibus habendis ſuum tempus. perinde quaſi non continuè ac ſine ulla intermiſsione tractanda ſint eloquia Dei, at his excuſationibus nullus locus eſt, cum momentanea lucra tractantur, tunc nulli ęſtus, nulla frigora impedimento ſunt, nulli parcitur labori, ubi exiguę pecuniæ ſpes eſt, huic negocio non prophani ſolum ſed ſacri etiam dies impenduntur. ubi uerò agitur animæ ſalus, quæ ſola eſſet curanda, nullus locus nullum tempus idoneum eſt. Sed illud accedit miſerandum, quòd tanti erroris pœnas luitis, neque id animaduertitis. nam iuuentus ueſtra hoc deſtituta Diuini uerbi auxilio, præceps fertur in omnia ſcelera, à quibus cohiberi nulla alia uia quàm iſta poteſt. in
Pſ. 118. quo enim (inquit) corrigit adoleſcentior uiam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. oportuerat autem patres adhortari, atque adeo cogere filios ſuos ac ſecum ducere ad concionem. at verò neminem hic ferè video, ſed audio eos quotidie in plateis vociferantes, & nullum diſſolutionis genus prætermittentes. hoc nihil prohibent parentes, ſed contra potius. ſignificatum enim mihi eſt quoſdam prohibuiſſe filios ſuos, ne, quemadmodum ſuperioribus menſibus conſtitutum à nobis fuit, cum reliquis adoleſcentulis feſtis diebus ad laudes Deo canendas, & audienda ſalutaria ali-

qua:

qua monita conuenirent. Quis tantam uecordiam non admiretur? ad cauponas, ad indecoros quoſlibet luſus filios veſtros ire permittitis, & vbi futurum eſt, vt Chriſtianos mores induant, non ſolum non hoc curatis, ſed interdum etiam prohibetis? ſiccorúm ne hæc conſilia ſunt, & non potius ebriorum ſomnia? ſed recordamini quid ego vobis hodie prædicam, faxítque Deus, vt fálſus ſim vates. non datis operam, vt liberi ueſtri probi ſint? habebitis eos improbos, contumaces, rebelles, vobíſque adhuc viuentibus & cernentibus, decoctores bonorum, ac turpiſsimè vitam claudentes. & tunc demum, ſed fruſtra, vos pœnitebit non adhibuiſſe diſciplinam, quæ vna arcere hæc mala potuiſſet. nam rectè Salomon dixit. virga atque correctio tribuit ſapientiam, puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ, pudore afficit matrem ſuam. & alius quidam ſapiens. Lacta (inquit) filium tuum, & pauentem te faciet, lude cum illo, & contriſtabit te. an non cernitis iam iſta inchoari? nam hoc anno tam frequentes à veſtra iuuentute turbæ excitatę ſunt, vt mirentur omnes, qui huius ciuitatis quietos mores ſuperioribus temporibus nouerunt, vnde iſta mutatio proficiſcatur. nollem ego hac parte prouerbium illud impleri in vobis, omnium rerum eſſe viciſſitudinem, vt, quæ ciuitas hactenus vicinis vrbibus omnibus pacatior fuit, iam contrariam induere incipiat formam. Verum, vt quod ad me attinet, pro uirili mea huic malo occurram, admoneo, me, cum hactenus ob parentum miſerationem fuerim aliquoties interceſſor, poſthac nemini futurum, ne ſub fauoris mei ſpe deterius quicquam agatur. Iuuenes (inquitis) ſunt. ætati eſt ignoſcendum. at iſta excuſatio, cum ad tribunalia rapientur, & à iudicibus erunt caſtigandi, nihil proderit, neque vlla ętatis habebitur ratio. Et ſanè quidem, cum ſemper aliâs, tum nunc quàm maximè intelligo Dei miſerationem in medijs flagellis, quibus nos cædit, quæ flagella cum quotidie precor, vt auferantur, & exerceat Deus miſericordiam in nos ſuam potius quàm ſeueritatem, ſentio memet intra me reprehendi, qui ea deprecer, quæ huic ciuitati in primis ſunt ſalutaria. neque tamen deſino Diuinam pro vobis miſericordiam implorare. Sed hæc in præſentia ſint ſatis ad eos arguendos, qui ad uerbum Dei audiendum ſunt inertiores. qua in re ſi acrior uiſus ſum, mementote, omnia à me vtilitatis ueſtrę gratia fuiſſe dicta, multóque mihi grauius ac moleſtius eſſe iſta dicere, quàm vo-

Pro. 27.

Eccl. 30.

Adag.

bis audire. nunc alia mihi pars eſt aggredienda, non minus quàm ſuperior neceſſaria. Date operam, ut hoc, quo abſens futurus ſum, tempore, non minor fratrum Chriſti, hoc eſt pauperum cura habeatur, quàm cum pręſens identidem vos ad hoc opus adhortor. hoc enim eſt (quod aliâs ſæpe dixi) panchreſtum medicamentum, hoc eſt, ad uſus omnes accommodum. quod pulchrè vir quidam
Eccl.29. ſapiens expreſsit, cum dixit, abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa exorabit pro te ab omni malo. cernitis aduerſus omnia mala eleemoſynam eſſe remedium? quare ſi nulla in pauperes Chriſti uos mouet miſericordia, certè priuati ueſtri boni cogitatio exſtimulare uos debet ad benignè illis faciendum. neque verò exiſtimetis, minus accuratè ueſtras eleemoſynas me abſente eſſe diſtribuendas, quàm cum præſens ſum. nam is ordo eſt conſtitutus, vt mea præſentia hac in parte nihil ſit opus. per eos enim atque eo pacto fit diſtributio, ut nihil uobis metuendum ſit, ne fraus aliqua fiat. uerum doleo vehementer, quoſdam ueſtrum nimis ſuperuacuè anxios, non ſuſpectos quidem habere huius boni miniſtros, quaſi aliquid defraudent, ſed uereri, ne interdum ad gratiam in eos diſtribuatur, qui minus egeant. ego quidem non uideo quo pacto fieri id facile poſsit, cum ſummam adhibuerim diligentiam ijs agnoſcendis, qui deſcribendi eſſent, ut egentiores tantum deſcriberentur, cum eleemoſynæ ſumma ſatis omnibus facere non poſſit, qui egere ſe profitentur, alioqui & reges ipſi egere reperientur. ſed fingamus nos, ut humanos, falli poſſe, atque è centum in uno atque altero eſſe deceptos. hoc tanti ne eſt, ut ob hanc cauſam excitari turbę debeant, tam que ſalutare opus intercidi? ſimul illud cogita, quid tibi ex hac re damni uenit? tu quod obtuliſti, vbi Deo oblatum eſt, habes mercedem tuam. ſiquid, miniſtrorum uel malitia uel incuria, minus ęquè diſtribuitur, id nullo cum tuo damno fit. ſicui enim decem nummorum aureorum debitor eſſes, & ille ſibi ſatis eſſe factum diceret, ſi eos in puteum proijceres, nunquam inueniendos, hoc tibi nihil eſſet curę, modo ęs alienum, quod contraxeras, diſſolueres. idem eſt hac in parte, ſatis tibi ſit, nihil te de tuo apud Deum præmio perdidiſſe. cætera ne curioſius perueſtiges, præſertim cum interdum fiat, ut is, quem tu non egere exiſtimas, maiori egeſtate prematur, quàm ipſe arbitreris. atque inde fit, ut curioſitas hæc tua nemini quidem proſit, ſed vni tibi ſit da-

mno,

mno, qui ſeuerior quàm par eſt, ne dicam crudelis, in proximum quenque, quàm miſericors eſſe malueris. Quare ne defatigemini ciues mei, atque in rem tam neceſſariam toto pectore incumbite. nam multæ nunc pecuniæ erogantur in ęgrotos, qui multi ſunt, & mandaui ita eos curari, ut nihil illis deſit, non alimentorum tantum, uerum etiam pharmacorum. niſi ergo aliquid quotidie inferatur, & copioſius etiam quàm antea factum eſt, tantę rei pondus ſuſtinere uix potero. His peractis duabus partibus in primis neceſſarijs, quas ego vos ante diſceſſum meum admonerem, reliquum eſt, vt paci ac tranquillitati, quemadmodum Chriſtianos homines decet, ſtudeatis, nec tam faciles ad lites & mutuas controuerſias accedatis, id que exigua qualibet de re. vellem enim, ut tandem aliquando Chriſtianos mores induceremus, & recordaremur interdum quid Paulus dicat ijs, qui iudicio cum fratribus contendunt. omnino (inquit) delictum in vobis eſt, quòd lites habetis inter vos inuicem. cur non potius iniuriam patimini? cur non potius damnũ accipitis? ſed heu quam obſoluerunt hęc Diuina monita, paſsim que negliguntur ac contemnuntur, & pręter Chriſtianas leges ita viuitur à Chriſtianis hominibus, perinde quaſi eas nunquam neque audiuerint, neque uiderint. at vos, quibus iſta identidem inculcantur, niſi plus aliquid, quàm cęteri præſtetis, digni eritis, qui longè amplius, quàm cæteri, reprehendamini. Memineritis item, quod ſuperioribus diebus acriter in uobis reprehendi, ut uidelicet linguam diſcatis compeſcere, né ve tam proni ſitis ad proferendum quicquid in buccam venerit. ſcitis enim, quanta hinc huic ciuitati mala proficiſcantur. vt interea taceam, hoc admodum imprudentis & ſtulti animi indicium eſſe, quemadmodum quidam ſapiens admonet, dicens. à facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. facile autem hanc garrulitatem ac facilitatem inuicem detrahendi cauebitis, ſi de vobiſmet ipſis frequentius cogitetis, quàm de proximo quoque. tam enim multa in vobis reperietis, quæ reprehenſione digna ſunt, vt aliorum vitia minime ſitis curaturi. In ſumma id agite quod beatus Petrus admonet, omnes, inquiens, ſitis unanimes, ſimiliter affecti, fraterna prędititi charitate, miſericordes, affabiles, nulli malum pro malo reddentes, neque conuicium pro conuicio, ſed contra, benedicentes, ſcientes vos in hoc uocatos eſſe, vt benedictionem hęreditate poſsideatis. Verba profe-

1. Cor. 6. *Eccl. 19.* *1. Pet. 3.*

profectò digna, quæ cordi affigatis, præſertim poſteriora. aſſueſcite (inquit) benedicere, bene precari, alioqui non eritis digni neq; apti, qui benedictionem illam accipiatis, quam in perpetuam hæreditatem vobis donaturus eſt Deus. Item quod Paulus ſcribit Phi-
Phil. 2. lippenſibus. non tanquam in præſentia (inquit) mea ſolum, ſed nunc multò magis in abſentia mea cum timore ac tremore veſtram ipſorum ſalutem operemini. nam ſi duntaxat, dum pręſens ſum, meis exſtimulationibus commouemini, non admodum ab infantibus diſtare videbimini, qui ſemper nutricis aut alumni ope indigent. quòd ſi ſine me egregij aliquid aggredi incipiatis, tunc viros euaſiſſe uos intelligam, qua re nihil mihi in hac uita eſſe optatius poteſt. Reſtabat aliquid de hodierna die loqui, quę beati Ioanni Baptiſtę natiuitati dicata eſt, niſi iam dimittendi conuentus tempus eſſet. quare illud tantum dicam, dictum ab angelo fuiſſe Zacha-
Luc. 1. riæ patri eius, multos in eius natiuitate gauiſuros, quod quidem & nunc uſu venit, ſed non eius generis gaudium eſt, quod lex Euangelica poſtulat. gaudetis enim in ludis, in tripudijs, in comeſſationibus, & ebrietatibus. aditis templa Diui Ioannis Baptiſtæ nomini dicata, non ut oretis, ſed vt diſſoluamini. hæ ſunt huius temporis feſtorum dierum celebritatis. en erit vnquam, vt tam monſtroſi abuſus è medio tollantur ac Dei cultus reſtituatur, intelligatúr que, quam ob cauſam feſti dies ab eccleſia Chriſti ſint inſtituti? ſed accedit hodie peculiare quid, quod ſcelus magis auget. nam plures ſuperſtitiones quàm vllo alio anni die, præſertim hac nocte fiunt, quę reliquis ferè omnibus ſanctius atque ſyncerius agi debuiſſet. hoc infidelis animi indicium eſt, & à vera pietate alieni, quibuſuis anilibus nugis potius, quàm Diuinis oraculis credere. neq; nunc de ijs tantum dico, quæ hodie fiunt, ſed quę paſsim toto anno. vt cum ad rabidi canis morſus, ad equorum morbos remedia adhibere uolunt, cum ſanare uulnus aut expellere febrim; perferuntur enim ad me uerba eiuſmodi incantationum, quę tum mendacium continent, tum nullum omnino ſenſum habent, tum ita ridicula ſunt, vt, ſi ea dicere uellem, nemo veſtrum audiens tenere riſum poſſet. at ſequitur curatio, dicet aliquis. hoc fit permittente Deo, qui recedentes à ſe, qui eſt veritas, ſinit mendacijs & erroribus cir-
Deu. 13. cumueniri. videte.n.quid in Deuteronomio dicat. ſi ſurrexerit in medio tui propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prędixerit

ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, eamus & ſequamur Deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis. non audies uerba prophetę illius, aut ſomniatoris, quia tentat uos Dominus Deus ueſter, vt palàm fiat, utrum diligatis Deum, an non, in toto corde & in tota anima veſtra. tentat, inquit, hoc eſt, permittit hæc, vt appareat, quàm firmo animo illi adhæreatis. quare ſi etiam certa mors uel filij, vel chari cuiuſpiam, vel quęuis ingens rerum iactura immineat, abſtinete à tam nefandis rebus, quæ vos à Deo auocant, quo Deo nihil antiquius eſſe uobis debet, à quo quicquid habetis proficiſcitur, atque iccirco rebus eſt omnibus anteponendus, pręſertim cum tantæ illi ſitis curæ, ut omnes matrum erga filios amores ſuperet. ſi illæ (inquit) oblitæ fuerint. *Eſa. 49.*
ego tui non obliuiſcar. qui unquam parentes tam inſanè filios ama uerunt, vt capillos capitis illorum curauerint numerare? at videte quid Dominus dicat. capilli capitis ueſtri omnes numerati ſunt. & *Luc. 12.*
alibi. capillus de capite ueſtro non peribit. & à tanto veſtri amato- *Luc. 21.*
re, qui ſcit, poteſt, uult ea vobis prouidere, quęcunque ſint ſalutaria, ad neſcio quas ſuperſtitiones ac vanitates confugietis, ut ea aſſequamini, quę cum adepti fueritis, neſcitis, maiori ne vtilitati an damno ſint futura? Quare, vt paucis verbis vos doceam, quo pacto ab ijs vanitatibus poſthac minimè decipiamini, hoc omnibus in rebus ſeruate, ne quibuſuis vel ſignis vel verbis fidem habeatis, quæ ſacri Diuinę legis libri non doceant, quæ'que illorum auctoritate non nitantur. cętera ſuſpecta vobis omnia ſint, quamuis uerba aliqua contineant, quæ à ſacris libris ſint accepta. nam hæc eſt Diaboli ars, vt, quemadmodum ait Paulus, transfiguret ſe in ange *2. Cor.*
lum lucis, & venenum ſub melle faciat deliteſcere. ſed hactenus. *11.*
Illud demum à vobis poſtulo, vt in hac parochiarum viſitatione iu uetis me veſtris ad Deum precationibus, vt fructus, quem expecta mus, ex ea reportetur, & me cum illis viſitet oriens ex alto, Ieſus *Luc. 1.*
Chriſtus Dominus noſter, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium & nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO DECIMA NONA.

PAVLVS apoſtolus non ſolum magiſter gentium,
verum etiam earum regendarum paſtoribus omni
busviuum exemplar, cum ad Corinthios ſcribens
2.*Cor*.6. cerneret eos pari animi affectu non reſpondere,di
xiſſét que, os noſtrum apertum eſt erga vos Corin
thij,cor noſtrum dilatatum eſt,adiecit. eandem remunerationem vt
filijs dico. dilatamini & vos. nullam ab eis aliam mercedem efflagi
tat,quàm vt parem amoris vicem reddant. quanquam pares omni-
no eſſe non poterant in amore. neq; enim par eſt is, qui,cum prius
amatus fuerit, redamet. nam, etſi ęqualem quis in reliquo menſu
ram afferat, in hoc ſuperatur, quòd poſterior acceſsit. & hoc vide-
1.*Io*.4. tur voluiſſe dicere Ioannes apoſtolus. in hoc eſt charitas,inquiens,
non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quòd prior ipſe dilexit nos.
& tamen non exactè hoc Paulus poſtulat, ſed ſatis æquè ſibi factum
cenſet,ſi aliquam adhibeant amoris viciſsitudinem. vt verò etiam
indicaret, hoc illos debere, ait, vt filijs dico. nihil (inquit) ma-
gnum peto, ſi pater cum ſim, amari à vobis poſtulo. Sed vtile
eſt cauſam quærere, cur is, qui ſine alieno ſumptu prædicabat E-
1.*Cor*.9. uangelium, &, ne cui quam eſſet grauis, labore manuum victum
Act.20. quærebat. mihi, inquit & ijs, qui mecum erant, hæ manus mini-
ſtrauerunt. curinquam amoris viciſsitudinem tam vehementer
optabat. hoc nimirum ipſorum vtilitatis gratia totum fiebat. niſi e-
nim eum amaſſent,inanes fuiſſent ipſius labores. neque enim facile
quis eum audit, cui affectus minimè ſit. contra verò eorum moni-
ta ac conſilia amplectimur eò libentius, quò eos maiore proſequi-
mur charitate. Eodem præterea illud accedit, quòd multum uelle
ab aliquo amari, ingentis amoris indicium eſt. hanc ob cauſam
Deus, qui ſtudio erga nos omnem omnium ſuperat charitatem, a-
Mar.12. mari ſe tam vehementer à nobis poſtulat. Diliges (inquiens)Do-
minum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex
tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, quod nihil eſt aliud,
quàm velle, vt quicquid ſumus, quicquid ſapimus, quicquid in-
telligimus,

telligimus, quicquid viuimus, breuiter quicquid in nobis eſt, eo amando occupetur. quod intelligens propheta vno verbo expreſſit, cum ait. benedic anima mea Domino, & omnia quę intra me *Pſ.112.* ſunt nomini ſancto eius. Hęc quidem dicta iccirco à me ſunt, quòd cum hoc duorum menſium tempore, quo abſens à uobis fui, audiuerim veſtram mei reditus expectationem, venio in ſpem non exiguam veſtri profectus, qui quò magis erga paſtorem veſtrum affecti eſtis, eò maiores in Chriſtiana philoſophia progreſſus facturi eſtis. hoc enim, tametſi mihi iucundum eſt, veſtri amantem à uobis redamari, quod diximus eſſe ualde amantium proprium, vobis tamen in primis vtilitati eſt futurum. nàm quod ad me pertinet, non agnoſci à vobis aut à quoque hominum quotidianas curas ac labores meos, maioris mihi lucri occaſio eſt ac remunerationis apud Deum, qui quod uidet in occulto, demum in propatulo eſt redditurus, quemadmodum Seruator in Euangelio admonuit. ſed *Luc. 8.* vobis hoc eſſet damno, qui quò minus intelligeretis aſsiduam meā veſtri curam, eò eſſetis ad ea pręſtanda, quę à me quotidie admonemini, inertiores. Vt ergo & officio meo & expectationi veſtræ ſatisfaciam, vbi primum reuerſus ſum, me vobis conſpicuum prębere volui, & ante quàm aliud aggrediar, communis gaudij gratia vobis ſignificare, veſtras precationes, quas profecturus mandaui fieri, inanes non fuiſſe in hac parochiarum viſitatione. hæc autem commemoratio, erit quædam eius moris innouatio, quem in ipſis naſcentis eccleſiæ primordijs fuiſſe Acta apoſtolorum commemorant. cum enim Paulus & Barnabas reuerſi eſſent Antiochiam, vnde fuerant traditi gratiæ Dei in opus, quod tunc compleuerant, con- *Act. 14.* gregauerunt eccleſiam, & retulerunt quæcunque feciſſet Deus ſecum, & quòd aperuiſſet gentibus oſtium fidei. idem mihi in hoc meo reditu faciendum eſt, ante quàm ad Euangelicum montem reuertamur, in quo per diſceſſum meum non licuit per hoſce dies de more ſpatiari. ſed hodierna oratione, quæ, ſiquid hoc temporis interuallo torporis irrepſit, illum excutiet, expergeſient veſtri ſenſus, vt, cum iterum habebitur concio, ſitis ad audiendum paratiores. quanquam & hoc diſceſſurus cauere ſtudui, ac propterea dedi operam, vt me abſente aliquot conciones haberentur, ne langueſcerent animi, ſed aſsiduis admonitionibus identidem excitarentur. Sed quid eſt, quod in hac horum menſium uiſitatione accidit, cuius

cauſa vobis mecum ſit gratulandum ? incipiunt noualia noſtra fru-
ctum ferre non contemnendum. & quę loca ſuperiore anno ſpinis
fuerant obſita, in illis fruges repertę ſunt, hoc quanti ſit faciendum
Luc. 15. uoſmet ipſi iudicate. ſi enim gaudium eſt angelis Dei pro uno pec-
catore pœnitentiam agente, pro tot reuocatis peccatoribus fratri-
bus noſtris, qui os ſunt ex oſsibus noſtris, & caro de carne noſtra,
Pſ. 117. quanto magis eſt lætandum, & audienda uox exultationis & ſalu-
tis in tabernaculis peccatorum ? nam peccatorie nos, quantoſ-
cunque in rectè facta progreſſus fecerimus, oportet agnoſcamus.
Videte verò quantum uno anno ſit profectum. ſuperiore enim an-
2.*Cor.*7. no illud Pauli dicere poteramus, nullam habuit relaxationem caro
noſtra, ſed in omnibus affligebamur. foris pugnę, intus timores.
*Mat.*8. filius hominis non habebat, ubi caput requieſceret. nunc verò emi
Pſ. 103. ſit Deus ſpiritum ſuum, & renouauit faciem terræ. uer nouum cœ
pit apparere, hiems illa horrida receſsit, flores apparuerunt in ter-
Can. 2. ra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odo
rem ſuum. libet enim iucunda epithalamij verba recenſere, quibus
veris aduentus deſcriptus eſt. Iam filiæ (ut ſcripturæ morem ſe-
quar) hoc eſt, oppida & villæ in odorem unguentorum matris
nempe ciuitatis, currere incipient, quam vbi audiunt Chriſtianos
mores induere, crebro exhomologeſim atque Euchariſtiæ ſacramen
tum iterare, quod cum, ſuperioribus diebus à uobis factum fuiſſe,
ſignificatum mihi eſſet, exultaui ſanè gaudio, & gratias egi Deo
quantas potui maximas. cum inquam hæc à matre fieri audiunt,
prouocantur & ipſę ad eadem, atque animantur. neque verò hic
odor intra huius diœceſeos fines poteſt contineri, ſed ad uicinas
etiam ciuitates porrigitur, & magna de profectu veſtro prædican-
tur. quare ingens uobis aduerſaria eſt conſtituta, tanta uidelicet de
uobis opinio, & factorum longè maiorum expectatio. quam ut ſu-
ſtineatis, omni ſtudio uobis elaborandum eſt, ne forte, quod ple-
runque uſu euenit, rerum veritatem fama ſuperet. Maior hiſce
initijs obſeruatio eſt adhibenda atque cuſtodia, & meminiſſe opor-
tet, hoc quod nunc inſtituitur, uer quoddam eſſe, & facta veſtra
hęc recentia id poſſe pati, quod ueris tempore accidere plerunque
ſolet, ubi lęuis etiam cœli intemperies, floribus & tenerrimis fru-
ctibus multum officit. ſic dum teneræ ad hæc ſtudia veſtrę mentes
ſunt, exiguo momento aduerſę alicuius rei facilè à propoſito auo-
caren-

carentur. adde quòd generis noſtri aduerſarius hoc intelligens, multò nunc acrius urgebit, ut hæc pręclara initia demoliatur. quę ubi robuſtiora temporis incremento facta fuerint, frangentur eius uires, & ipſe ſuis cum machinis concidet. quod in Pharaone pulchrè fuit deſignatum, qui cum cerneret populum Dei augeri, dedit operam, vt maſculi omnes interficerentur, & ſeruarentur fœminę. quo ſignificatur, Diabolum progreſsibus noſtris inuidentem, curare, ut optimi quique cogitatus tanquam maſculi in ipſo ortu extinguantur, molles uerò & tenerrimi ueluti fœminę nutriantur. Verum cum res non ceſsiſſet ex uoto Pharaoni, popolúſque in dies fieret fortior, tantum abeſt, ut quicquam poſthac aduerſus Iſraëlitas Pharao poſſet, ut, quo tempore experiri uoluit uires omnes ſuas, eodem ipſo tempore cum curribus & equitibus ſuis in mare demerſus fuerit. quo exemplo ſignificatur, fore, ut, cum robuſtiores in uia Dei euaſeritis, non ſolum nihil Diabolicæ uires aduerſus uos agere poſsint, ſed ipſum cum robore ſuo omni fuſum fugatúm que ſitis conſpecturi. Interea cauendum uobis eſt, ne, quod in eodem Pharaone fuit figuratum, uobis ſit impedimento. ubi enim audiuit populum Dei uelle ex Aegypto diſcedere, ut Deo ſacrificaret, confeſtim grauioribus eum operum laboribus luti & laterum opprimere cœpit, dixít que. abundant ocio, iccirco dicunt, ibimus & ſacrificabimus Domino Deo noſtro. præcepítq; in die illo præfectis operum & exactoribus populi dicens. nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ſicut prius, ſed ipſi uadant & colligant ſtipulas, & menſuram laterum, quam prius faciebant, imperetis ſuper eos, nec minuetis quicquam. Quare imbecilliores, quæ maior eſſe pars ſolet, nutare incipiebant, atque aduerſus Moſen & Aaron murmurare, qui tamen ſoli ſaluti eorum ac libertati inſeruiebant. Simillimè aduerſarius noſter Diabolus, intuens uos nouum uitæ inſtitutum arripere uelle, tentabit ſuis machinis opus Dei impedire, & uos ab optimo propoſito auocare, & prouocare, ut aduerſus eos, qui ad tam præclarum opus duces uobis ſunt, murmuretis. Verum quemadmodum idem populus, etſi grauari ſe ob eam rem ſentiebat, non tamen audire deſijt Moſis & Aaron adhortationes, quibus obtemperantes tandem libertate fuerunt potiti. ſic vos cœleſtia monita, quę per Moſen & Aaron ſignificabantur, & verbi Dei prædicationem identidem & ſine interual-

Exo. 1.

Exo. 5.

lo audire oportet. cui quicquid hactenus eſt profectum, referre acceptum debetis. hinc enim pauperum maior, quàm ante, cura, crebriores peccatorum exhomologeſes, hinc ſopitæ plurimum lites, atque inimicitiæ, ſublatæ magna ex parte blaſphemię ſunt, quæ uitia & alia plurima iccirco inuecta erant, quòd deficiente hac prædicatione ignorabatur Deus, cuius ignoratio malorum omnium cauſa eſt. nam expertus ego cum ſępe tum inter uiſitandum ſum quoſdam, qui ita blaſphemiæ erant aſſueti, ut ſingulis penè verbis blaſphemiam adiungerent, qui cum admoniti erroris fuerunt, & docti, quàm abſurda, quàm impia res ſit, blaſphemijs eum inceſſere, à quo quicquid habemus, quicquid ſumus, proficiſcatur, non ſolere certè hoc facere quenquam hominum aduerſus eos, quos experti fuerint erga ſe beneficos, quantò minus erga Deum & ſanctos amicos eius tam monſtroſa utendum eſſe ingratitudine. hęc inquã & eius generis alia ubi audiebant, nullo negocio mox à blaſphemię vitio auocabantur. idem ipſum in alijs vitijs accideret. quis enim adulterijs aut ſcortationibus operam daret, ſi ſępius ex Diuinis ſcri-
1. Cor. 3. pturis audiret, nos templum eſſe Dei uiuentis, & Deum habitare
1. Cor. 6. in nobis, & corpora noſtra templum eſſe ſpiritus ſancti? quis domum, in qua regem aliquem eſſet hoſpitio accepturus, non omni ex parte ornandum curaret, ut nil uel minimum deprehenderetur, quod eum offenderet? quantò magis hoſpitium regis regum & Domini Dominantium, mundum conſeruaret, quicunque iſta cogitaret? Vnde uerò tantæ inter Chriſtianos infidelitates, ut multò magis arcę ſuę & horreis, quàm Deo fidant? ab hoc eodem fonte, quòd Diuinis eloquijs animum non intendunt, qui ſi attentius
Pſal. 54. audirent, quod in ſcripturis ſacris admonemur, ubi dicitur, proijce onus tuum in Dominũ, & ipſe te enutriet, quis tanta oppreſſus inopia eſſet, qui ad hęc uerba non continuò recrearetur? quis tota mente Seruatoris uerba, quę hodie in eccleſia recitata ſunt, complectens, ac bene penitus cordi affigens, poſſet tanta ſolicitudine, quanta nunc homines faciunt, parandis opibus inuigilare? admo-
Mat. 6. net ipſe Dei filius, nolite (inquiens) ſolliciti eſſe dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? quid tam neceſſarium eſt, quàm victus cultúſque corporis? & tamen etiam ab huius ipſius rei ſolicitudine nos auocat. quo ergo pacto poſſet quiſpiam, qui Chriſto nomen dederit, ſi hæc ſępius audiret, tot ſuperuacuis,

qui-

quibus comparandis tota ętas inſumitur, cogitationes ſuas occupare? ſi rerum tam neceſſariarum curam reprehendi intelligeret, qui fieri poſſet, vt infinita illa & inſatiabilis habendi cupiditas animum illius perpetuò occuparet? Cogitate præterea, ſiquis haberet principem aliquem, aut potentiſsimum regem, quem certò ſciret eſſe ſui amantiſsimum, atque is rex eum bono eſſe animo iuberet, fore enim ſibi omnia illius ſummæ curę, tantum faceret, quæ illi præciperentur, ſi etiam iuberetur, vt facultates omnes abijceret, ſe enim multò plurà pro illis, quæ abieciſſet, repenſurum. hic proculdubio nihil dubitaret, ſeſe opibus omnibus ad regis imperium exſpoliare hanc vnam ob cauſam, quòd regijs fideret pollicitationibus. & tamen fieri poſſet, vt caſus aliquis, cum uarijs caſibus obnoxia ſit vita noſtra, intercederet, quo ea, quæ decreuiſſet, non præſtaret. quàm multi enim reperiuntur, qui regibus ac principibus toto uitæ ſpatio, ſpe aliquid conſequendi, ſummis & laboribus & ſumptibus ſeruiunt, & ſpes illa omnis eos fruſtratur? at ijs, qui Deo ſeruiunt, accidere hoc minimè poteſt. primum enim ſcit Deus, & in numerato habet minimum quenque laborem noſtrum ac ſumptum, cum & calici aquæ frigidę pro ſe dato ſuam mercedem reſeruauerit, quod non aſſequuntur ij, qui hominibus ſeruiunt. deinde uult, ac multò ei gratius eſt, cum benignè nobis facit, quàm nobis, cum beneficium ab eo accipimus, quæ etiam res inter homines eſt rara. poſtremo omnipotens eſt, nullíſque ſubiacet caſibus quibus illius erga nos beneficentia queat impediri. huic tamen tanto, tam fido, adde tam largo muneratori non fidimus. is, qui fallere nullo modo poteſt, pollicetur, quicquid nobis charum pro illo impendimus, & tribuimus in pauperes, ſe centies multiplicatum in hac ipſa vita redditurum, & in futura ęternitatem, atque ad tantum lucrum ſupini dormitamus. ſi hoc polliceretur homo, alacres præſtaremus, pollicetur Deus, & torpeſcimus? damnandam profectò ſtultitiam atque uecordiam. Videte verò quibus argumentis noſtram Dominus reprehendat infidelitatem. aſpicite (inquit) volatilia cœli, quòd non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa, nón ne vos multò pluris eſtis illis? cernitis quo tempore hiems horrida ita operuit niuibus terram, vt nulla cuiuſquam alimenti ſpes appareat, ipſa uolatilia, tam vagum genus, non dico inuenire ſibi alimenta, ſed ab ipſo

Mat. 10.

Mar. 10.

Mat. 6.

ſo patre cœleſti noſtro paſci. quando unquam quiſquam noſtrum ad eiuſmodi anguſtias redactus fuit? uolatilia ergo in illis temporũ anguſtijs Deus paſcit, nos verò, quorum cauſa & volatilia & reliqua omnia facta ſunt (hoc enim eſt, quod ait, nón ne vos multo pluris eſtis illis?) verem ur eſſe negligendos? O exiguam, atque adeo nullam potius fidem noſtram. & hæc quidem quod ad alimenta pertinet. de ueſtimentis verò mox addit. Quis ueſtrum ſolicitè cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? & de veſtimento quid ſoliciti eſtis? qui maiora (inquit) ſine noſtra cura præſtitit, quæ multò minora ſunt, eſt utique præſtaturus. & mox. conſiderate (inquit) lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quòd nec Salomon in omni gloria ſua copertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. quòd ſi fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, an non multò magis uos puſillæ fidei? Corpus veſtrum ſine vlla veſtra cura Deus auget, quòd ſi etiam anxiè de hoc augmento cogitaretis, nihil proficeretis tamen. ſic exiſtimare debetis, non veſtrum ſtudium parare vobis cultum corporis, ſed Dei curam. nam benedictio Domini diuites facit, ait Salomon. eundem in modum exemplum liliorum ac reliquorum florum, quos Deus ea ſpecie ornat, quam Salomon felicisſimus regum omnium ęquare nunquam potuit. florum inquam exemplum, qui mox areſacti comburuntur, quem non inuitet ad veſtitus curam deponendam? Cogitate verò, quid concludens hanc ſententiam Dominus dicat. nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hęc enim omnia gentes inquirunt. horrendum uerbum, ethnicorum (inquit) qui Deum ignorant, proprium eſt, harum rerum ſolicitudine affici. & nos hoc verbum ad extremos etiam ungues non faciet contremiſcere? eos, qui à Chriſto cognomen habent, ijs eſſe ſimiles, qui Deum ignorant, cum pro victu & cultu anxij ſunt. longè verò deteriore conditione ſunt, quicunque ob ſuperuacua quotidianis occupationibus detinentur. Tanti autem erroris in primis cauſa eſt, quòd homines ad audiendam Euangelicam prædicationem ſunt inertiores, cui ſi à teneris aſſueſcerent, & cum ea creſcerent, non ſolo cognomine, vt nunc ſumus, ſed factis ipſis eſſemus Chrſtiani, neque vlla nos vnquam excuſatio, quod ſemper facimus, à factis Chriſtiano homine dignis auocaret, nam identidem

Pro. 10.

dem ſcripturę ſacræ doctrina noſtræ ſuccurreret imbecillitati. Quo enim vnquam tempore (exempli cauſa) iuſtiorem videmur habere excuſationem, cur miſericordiam in pauperes non exhibeamus, quàm cum extrema ipſi laboramus inopia? quid ergo? petamus à ſcripturis remedia, & continuo erigemur. Legimus enim, quo tempore fames terram inuaſerat, Eliam miſſum fuiſſe à Deo in Sa- 3. Reg.
reptam Sidoniorum, vt paſceretur à muliere vidua, quæ nihil ha- 17.
bebat niſi tantum farinæ, quantum capere pugillus poſſet, quam ſibi ac filio reſeruabat. & tamen verbis prophetę obtemperauit: non viduitatem eſt verita, non filij affectu mota. non hęſitauit num Elias dignus eſſet, cui fides haberetur, tantum audita Dei per os eius pollicitatione, obtemperauit. Dicet fortaſſe aliquis veſtrum, idem ego pręſtarem, ſiquis Dei ſeruus magna vir ſanctitate idem polliceretur. cui reſpondeo, primum mulierem illam tunc, cum poſtularetur, neſciuiſſe, quis eſſet Elias, deinde vos falſò hoc de vobis polliceri. nam cui maior haberi fides debet quàm Chriſto Dei filio? at is uobis, vt nunc audiſtis, pollicetur ex Euangelio hęc omnia, pro quibus tam eſtis anxij, ſine veſtra ſolicitudine eſſe vobis adijcienda, tantum ut quęratis regnum Dei, & iuſtitiam eius. hic certè nullam afferre cauſam poteſtis, cur ei in quouis tempore ac rerum ſtatu non ſit credendum. Sed, cum dimittendi conuentus iam hora appetat, reliquum eſt, vt vos admoneam, ſequenti die Dominico nobis ad Euangelicum montem eſſe reuertendum, quo die alacres ac frequentes adeſtote. cogitaui enim, quando illa beatitudinum declaratio multos ſecum menſes abſtulit, illas omnes vna complecti. has enim veluti fundamentum quoddam, cui ſtructura omnis noſtra innitatur, habere oportet. quas beatitudines ſi bene penitus animo affixeritis, nihil negocij erit omnia præſtare, quæ ex ore Domini in hoc ipſo monte prolata eſtis audituri. Aliud etiam vos monitos volo. meminiſtis enim, me ſuperioribus menſibus pronuntiauiſſe excommunicatos, quicunque exhomologeſim, ut mos eſt eccleſię catholicę, non feciſſent, & euchariſtiæ ſacramentum non accepiſſent. ſed quia ij adhuc inter alios verſantur, neque hoc ſatis tritum eſt, ne eorum vitio & exemplo cæteri corrumpantur, pronuntiandi ſunt iſti, qui ſint, & oſtendendi. quod hodie fuerat à me faciendum. ſed ne à moribus meis diſcedam, totam adhuc ſequentem hebdomadam eis aſsigno duasque ob cauſas, primum

mum vt tempus habeant corrigendi erroris, deinde ut hoc dierum interuallo continuis ad Deum precationibus uos illos iuuetis, rogantes Deum, vt, qui omnia poteſt, emolliat illorum corda vt reſipiſcant. hoc enim gratiſſimum Deo eſt, vobiſque in primis ſalu-
Iac. 5. tare. qui enim conuerti fecerit (ait beatus Iacobus) peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſeruabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. quare in hoc libentes incumbite. caro enim & fratres veſtri ſunt. qui ſi per veſtras precationes fuerint miſericordiam conſecuti, & vos facilius eundem à patre miſerationum conſequemini. cui cum filio & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO VIGESIMA.

1.Cor.1. IEsvs Chriſtus filius Dei, qui ſapientia patris appel-
Colo. 2. latur, & in quo ſunt omnes theſauri ſapientię ac ſcien-
Pſal.93. tię, is eſt, qui docet hominem ſcientiam. nam & quę cunque philoſophi gentium rectè ſapientér que dixe-
Rom.1. runt, accepta illi referenda ſunt. Deus enim illis reuelauit, inquit Paulus de eiuſmodi ſapientibus loquens. In hac ergo ſapientia, quam ij à Deo acceperunt, illud obſeruatur, ut quælibet ſcientia quædam habeat principia, quibus inuitatur, quæ ſi deſint, tota corruat neceſſe eſt. nam geometria (ut declarandi cauſa aliquod exemplum afferamus) principia habet punctum, lineam, ſuperficiem, corpus, & quædam alia, quæ communes notiones ſiue intelligentiæ ab illis vocantur. vt, quæ eidem æqualia ſunt, inter ſe æqualia ſunt. &, ſi æqualibus æqualia addas, tota erunt æqualia. & nonnulla eius generis alia, quibus omnes illę geometricæ rationes ita nituntur, vt ſine illis demonſtrari nihil omnino poſsit. Seruator igitur ipſe ad morem noſtrum, quem tamen ipſo docente accepimus, ſeſe accommodans, has beatitudines, de quibus locuti tot menſes ſumus, tanquam principia quædam ac fundamenta poſuit. quæ etſi breue ſermonis ſpatium complectantur, eam tamen vim habent, vt ad reliquam omnem ſtructuram Euangelicæ ędificationis neceſſariò ſint retinenda. quod

non

non ſolum in corporeis ędificijs paſsim cernitur, vetű etiam, quod dudum dicebamus, in diſciplinis, exemplum autem proponam, quod & infantes, qui literas diſcere cœperunt, ſint intellecturi. Quid tam exiguum videtur, quod ad ſciendi rationem pertinet, quàm elementa literarum, quæ alphabetum appellamus? & tamen quia libri omnes cuiuſcunque facultatis ac diſciplinæ illis conſtant, ſiquis exigua illa elementa obliuiſceretur, continuò librorum omnium ſtudio ac lectione eſſet deſtitutus. in eundem ſe habent modum huius Chriſtianæ philoſophię elementa, hę uidelicet beatitudines, quæ niſi nobis ſint familiariſsimæ, & bene penitus animo defixę, erimus illis infantibus perſimiles, qui antequam memorię mandauerint elementa literarum, nequeunt ſyllabas dictionéſque contexere. ſic nos ſine harum familiaritate, non facilè vllos in hac philoſophia progreſſus facere licebit. ut enim literę in omni lectione ſunt neceſſarię, ſic principia iſta in quibuſuis factis Chriſtiano homine dignis, quæ cum habuerimus familiaria, idem nobis in illis vſu ueniet, quod in eiſdem literis accidit, quarum cum vſum habuerimus, nihil in illis inter legendum laboramus. ſic cum harum beatitudinum conſuetudinem habuerimus, eas ſine ullo labore in quotidianis negocijs exercebimus. Has ergo ut facilius meminiſſe quiſque veſtrum poſsit, vna oratione volui complecti, & omnes percurrendo compendioſius, quàm ſuperioribus menſibus factum eſt, declarare. In prima beatitudine paupertas ſpiritus commendatur, qua diximus ſignificari animi ſubmiſsionem, quæ humilitas vocatur, contemptúmque diuitiarum. videte verò quàm ſapienter hoc ſit factum. quemadmodum enim initium omnis peccati ſuperbia eſt, & radix omnium malorum auaritia; ſic optimum fuit, hac prima beatitudine duas haſce capitales peſtes conficere duabus hiſce virtutibus, illis aduerſis, humilitate ſcilicet, diuitiarúmque contemptu, quarum appetitus ſine hac animi ſubmiſsione nunquam deponitur. nam exteriora iſta relinquere ac deſinere admirari nunquam quiſquam poteſt, niſi interiorem hominem componat, & ſeſe agnoſcere doceat. quod humilitas in primis facere idonea eſt. ſi enim quæramus diligentius, cur quis inſoleſcat, & ob hoc etiam pecuniarum cupiditate flagret, ex ſui ipſius ignoratione proficiſci intelligemus. quæ cupiditas continuo uires amittet ſuas, ſi in noſmet deſcendamus, noſque ipſos circunſpiciamus. Cogitandum

Eccl. 10.
1. *Tim.* 6.

enim nobis eſt, cum anima conſtemus & corpore, quid in utrouis horum ſit, quo liceat inſoleſcere. corpus hoc omnibus iniurijs expoſitum eſt, ut facilè omnium animantium corporibus imbecillitate cedat. vnius aranei morſu extinguitur. & reperti ſunt, qui in lactis hauſtu uno pilo fuerint ſtrangulati. quid enim facilius eſt, quàm hominem extingui? tot tam varia morborum genera, tot caſus omnibus horis ingruunt, vt mirandum ſit, reperiri poſſe, qui corpori huic, & ijs, quæ ad illud pertinent, afficiantur, & tamen ob ipſum corpus, & ea, quę circa ipſum uerſantur, intumeſcimus, inflamur, proximum quenque contemnimus. cogitationes omnes noſtræ per totum ętatem huc referuntur, nec cogitamus, qui finis & quæ demum huius pompæ clauſula ſit, nempe quod quidam ſa-
Eccl. 10. piens ait: cum morietur homo, hęreditabit ſerpentes & beſtias & uermes.. Non habet igitur homo cur ſuperbiat ob corpus, & quæ circa illud ſunt, opes, facultates, copias, neque verò magis ob animam, quamuis pręſtanti ingenio quis & eruditione ſit prędítus. primum enim gloriari quiſq; de ſuo non de alieno debet. ſed quid
1. *Cor.* 4. habes (inquit Paulus) quod non acceperis? quòd ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Deinde quantum tandem eſt, quod aſſequi quiſquam hominum poſsit? veriſsimum enim eſt, quod in
Sap. 9. ſapientia legitur. corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio mentem. multa cura & difficile æſtimamus quę in terrra ſunt, & quę in proſpectu ſunt inuenimus cum labore, quæ in cœlo ſunt autem, quis inueſtigabit? Illud ve-
Eccl. 8. rò Salomonis multò mirabilius. intellexi (inquit) quòd omnium operum Dei nullam poſsit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt ſub ſole, & cum laborauerit ad quærendum, non inueniet. Hæc certè verba viri omnium ſapientiſsimi, omnem cuiuſuis ingenio pręſtantiſsimi arrogantiam minuere idonea ſunt. quid enim is audeat, aut quo pacto ſua conditione confidat, qui nullam eorum, quæ ſub ſole fiunt poſſit inuenire rationem? Adde, quod ad eiuſdem animę ſalutem pertinet, quantis, quàm multis, quàm ve periculoſis ſpiritualium hoſtium inſidijs patet, quot tentationum genera in dies ingruunt, non pauciora numero, & damno multò gra-
1. *Pet.* 5. uiora, quàm ſint morbi corporis. aduerſarius noſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit quęrens quem deuoret. id que dies ac noctes ſine ulla mora ac requie, cui ſi ſuccũbamus ſempiternæ inextincti

ſti ignis tormenta nos manent. Quis in hoc rerum ſtatu, ſiue corpus ſiue animum cogites, ſibi placere aut inſoleſcere audeat, ac non potius operam det, vt quàm poteſt maximè ſeſe deijciat, ac totus à Dei benignitate & miſericordia pendeat? Cum animus hac parte incolumitatem receperit, continuò ille habendi furor ac rabies potius quàm appetitus conquieſcet. cui enim hic opum ſplendor, & hęc rerum copia apparatur? pulueri & cineri. ſic enim ab ipſo Deo appellatus eſt homo, cum dictum illi fuit, puluis es, & in puluerem reuerteris. cum verò hac cogitatione paucis & tantum naturæ neceſſarijs homo contentus fuerit, mox pacatus erit orbis terræ, cuius diuexatio à ſuperbia atque auaritia proficiſcitur. nulli deerunt ad uitam neceſſaria, quando ij, qui nunc ſibi plurima deeſſe erroris opinione exiſtimant, intelligent ſe multis abundare ſuperuacuis. Hoc iacto fundamento, cætera quæ ſequuntur, non ſolum vel aſpera vel factu difficilia, verum etiam beatitudinis appellatione digna, quemadmodum uocata à Domino ſunt, exiſtimabuntur. ſequitur enim. *beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem habebunt.* qui enim intelliget ſe nihil habere in ſeſe niſi luctu dignum, ſiue corpus ſiue animum ſpectes, is luctum habebit pro ſolatio. nam is eiuſmodi hominum eſſe mos conſueuit, vt interim taceam propoſitum à Domino præmium, ſempiternam videlicet conſolationem. quis enim exiguo momento (nam momentanea hæc vita eſt) non libens lugeat, vt poſt ęterna fruatur conſolatione? hunc verò luctum aſſequi nemo poteſt, niſi prima beatitudine ſit potitus. nam qui ſuperbiunt, & opes, honores, dignitates amant, oderunt luctum. Tertio loco dicitur. *beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* at hoc ei, qui ſuperiora ſit aſſecutus, iam non erit graue, ſed potius res contraria, acerbitas uidelicet, ac nunquam uelle cedere, preſertim cum tanta accedat promiſsio, fore, ut ij terræ poſſeſſores ſint futuri, quod quo pacto accidat, quia ſuo loco dictum abundè fuit, hic breuitati eſt ſtudendum. *Beati qui eſuriunt.* etiam hoc a prima beatitudine uim ſuam aſſequitur. nam qui ſeſe deiecit, totámque ſe dereliquit, decreuit que totus à Deo pendere, facile omnia feret, & extrema quęque experiri erit paratus. certò ſciens, ſe demum nullo modo eſſe derelinquendum. meminit enim ſemper, à propheta fuiſſe dictum. iunior fui, & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. quan-

Gen. 3.

Pſal. 36.

quam ſatis eſſe debuerat ad fidem faciendam, quòd ipſe Dei filius dixerit, hoc rem eſſe beatam. & hoc quidem de corporea fame ac ſiti, multò uerò credibilius eſt de fame ac ſiti iuſtitię, cum quis ita iuſtitiæ affectus eſt, ut quantoſcunque in ea progreſſus fecerit, nunquam ſe illam exiſtimet aſſecutum. *beati miſericordes*. hęc beatitudo omni ex parte plauſibilis eſt, neque quicquam in ſe habet, quod naturæ ac ſenſibus aduerſetur, vt in luctu & fame ac ſiti, quando ad præſtandam miſericordiam non ratione ſolum inuitamur, verum etiam ipſius naturę ſponte ferimur, atque adeo rapimur potius. quod cum de hac beatitudine ſeorſum loqueremur, luce clarius demonſtrauimus. quòd ſiqui ab hac aborrere interdum reperiuntur, vt in auaris conſpicimus, hoc à deprauata omnino natura, & in ferarum aut Dęmonum potius conuerſa naturam proculdubio proficiſcitur. cum ergo non tantum Diuinis legibus & à ratione identidem admoneamur, ut ſimus miſericordes, ſed à natura etiam pertrahamur, doleo uehementer, & miror uos ad hoc opus tam pigros accedere, uereórque, ne uobis illud meritò obijciatur, quod Dominus ciuitatibus, in quibus prædicauerat, obiecit. cum dixit. Tiro

Mat.12. & Sidoni remiſsius erit in die iudicij quàm vobis. nam ſi vicinis ciuitatibus ea proponerentur, quę uobis ex hoc loco frequentiſſimè inculcantur, longe maior fructus eſſet conſecutus. neque mihi nunc ciuitatis inopia obijciatur. nunquam enim (quod aliâs etiam diximus,) vos inopes exiſtimatis, niſi cum Chriſto eſt dandum, ego verò uobis oſtendam, hanc inanem prorſus eſſe excuſationem. non negabitis, vel viginti primores eſſe in ciuitate, quorum ſinguli decem nummos aureos in vſum pauperum ſine ſuo incommodo quotannis proferre poſsint. en ducentos iam aureos nummos reperimus. centum item ciues, vt minimum dicam, inuenientur, quorum ſinguli vel duos aureos nummos commodè offerre poſſint, ecce ducenti alteri nummi aurei, qui ſi ſuperioribus addantur, efficient quadringentos. rurſus trecentos ciues habetis quorum ſinguli ſaltem vnum proferre, & ipſi quotannis cum nullo aut certè minimo incommodo poſſint. ecce ſeptingentos nullo negocio inuenimus aureos nummos, qui ſoli huius ciuitatis ęgram inopiam leuare poſſint. Ego verò illud addam, quàm multas toto anno pecunias

cunias ſuperuacuè atque inaniter inſumitis in pompas, veſtes, conuiuia ac uarios luxus, quę ſolæ ſubuenire pauperum neceſſitatibus eſſent idoneæ. nec cogitatis, hæc ante Chriſti tribunal eſſe accuratiſsimè examinanda? nec his aliquando ratiocinationibus commouebimini? quouſque dormitatis? quando de hoc ſomno ac veterno conſurgetis? ſi oſtenſum aliâs nobis eſt, vos Chriſti legibus teneri, nõn parum de ſplendore veſtro detrahere, quam habebitis excuſationem, ſi vel id non præſtatis, quod minimum aut nullum potius incommodum affert? Certè ſi non aliud, excitare illud vos debuerat, quòd cernitis hac exigua, quę hactenus collecta eſt, eleemoſyna, quàm multis fuerit ſubuentum. nam, vt cæteros taceam, quot ægroti curati ſunt, qui ſine hoc auxilio egeſtate ac morbo fuiſſent confecti? atque hoc apertiſsimè cernitur eſſe verum, quod ex hoc loco memini à me ſuperioribus menſibus fuiſſe dictum. multò eſſe fructuoſius quod in commune confertur, quàm ſi idem ſinguli pro arbitrio diſtribuerent. præterquam enim, quòd magis animatur ciuitas, dum certatim quiſque offerre ſtudet, illud præterea ſequitur, quòd melius iſta in vnum coacta diſtribuuntur, quando diligentiſsimè deſcripti à nobis ſunt, qui indigent, & quibus indigent, quod non aſſequi poteritis, ſi ſeorſum quiſque ſine eo ordine tribuat, qui à nobis eſt conſtitutus. Neque vos moueant venenatæ eorum linguæ, qui tanquam Diaboli inſtrumenta, optimum quodque Dei opus conantur demoliri. meminiſſe enim poteſtis, me initio vobis iſta prædixiſſe. Sed reliquę iam beatitudines percurrendæ ſunt, quando eas vna oratione percurrere decreuimus. *Beati mundo corde*. hoc certè ſine vlla pollicitatione alia, per ſe eſt amandum atque expetendum. quis enim non id, quo nihil habet pretioſius, mundum integrúmque ſeruare cúret? cor theſaurus cœli, conſors cœleſtium virtutum, Dei habitaculum, cuius Dei cum cœlum capax non ſit, humanum tamen cor habitare non dedignatur. rem ergo tam pretioſam non curare, quàm ſtolidum atque adeo inſanum eſt? quo verò nobilior res eſt cor mundum, eò fœdius ac magis abominandum immundum cor, quod vitiorum peccatorúmque factum ſit habitatio, & Dęmonum tanquam crudelium beſtiarum domicilium. multò uerò hoc flebilius eſt, quàm ſiquis palatium intueatur, olim maximo ſumptu atque arte cõſtructum, in quo maximi reges habitaſſe conſueuerint, nunc

à feris

à feris ſilueſtribúſque animantibus habitari. Ob hanc cauſam ſuperioribus diebus cum ad hunc locum eſſet ventum, pluribus orationibus rem tractauimus, tantó q; apparatu arcem huic cordi con ſtruximus, commeatibúſque muniuimus. ob hanc eandem cauſam tam anxij aſsiduè adhortamur, vt crebro peccatorum fiat exhomologeſis, ut hac conſeruetur cordis mundicies. icciirco aduerſus eos, qui hoc ſaltem ſemel per annum pręſtare contemnunt, videmur pleriſque veſtrum plus æquo ſeueriores. & quidem decreueram, ac vobis pollicitus fueram, me hodie huius generis homines publicè pronunciare, ſed cum nuper ad me peruenerit ſuſpicio quorundam, qui in eadem culpa ſunt, iudicaui pręſtare, vt fiat inquiſitio diligentior, ſi qui reliqui ſunt, ne ſæpius eadem mihi ſint repetenda, pręſertim animo meo moleſtiſsima. quanquam uos me leuare hoc labore poteſtis, ſi hoſce homines, quos opinor iam omnibus notos eſſe, caueatis, nullúm que cum illis commercium habeatis. verum hi non expectent, dum iterum à vobis publicè aut priuatim admoneantur, ſed certò ſciant, me, cum primum eorum ex hoc loco fiet mentio, eos ſine vlla poſthac miſericordia pronuntiaturum. Sed hæc de cordis munditię ſint ſatis. ſequitur. *Beati pacifici*. & hoc per ſe optabile eſt. quis enim non id amet, quo omnia conſtant, & cœleſtia & terreſtria, quód que ſi deſit, confuſa omnia & perturbata redduntur? quòd ſi pręterea cogites quod à Seruatore additum eſt, pacis uidelicet conciliatores filios Dei eſſe appellandos, quis non tantam ambiat dignitatem? quo magis vos ciues mei reprehenſione eſtis digni, qui tam negligenter huic paci ſtudetis, continuíſq; inter vos diſſidijs laboratis, neq; linguas, quas, cum de hac materia concio habita fuit, in cauſa potiſſimum eſſe diximus, coërcetis, atq; hoc vitio tam perditè laboratis, vt ij etiam, qui ex vobis exactiorem vitam agere decreuerunt, ab hoc errore neſciant abſtinere. auferte tandem aliquando iſtam ab hac ciuitate ignominiam, vt quod prouerbio hactenus in dedecus veſtrum dictum fuit, poſthac mutata ratione, cum de pacificis linguis habetur ſermo, dicatur, linguæ Fulginates. Reſtat octaua, quę eadem ultima eſt beatitudo, videlicet, *beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*. hanc qui aſſequi cupit, amet oportet, íd que ardentiſ-
Luc. 8. ſimè, niſi ex eorum eſſe numero velit, de quibus Dominus ait, qui ad tempus credunt, atque in tempore tentationis recedunt. qui er

go amat

go amat, meminerit oportet, militiæ ſpeciem eſſe amorem, vt quidam poeta dixit.

Proponat'que animo multa ferenda ſuo.

quod ſi in corporeo ac laſciuo amore hoc admonentur homines, quod ſimulachrum quoddam potius amoris quàm amor appellandus eſt, multò hoc certè magis in eo, qui ſolus amoris appellatione eſt dignandus, cogitandum eſt. amor noſter Chriſtus in crucem actus, eſſe debet. Chriſto ergo paſſo pro nobis carne (ait beatus Petrus) & vos eadem cogitatione armamini. habemus tantæ philoſophiæ ducem Chriſtum Dei filium, cuius tota vita crux fuit, qui, cum ſuperiores omnes beatitudines, tum hanc abſolutiſſimè impleuit, id que noſtri gratia. & nos ob noſtram ipſorum vtilitatem illum ſequi recuſabimus? non ſaltem nos animabit, quòd idem Dei filius hæc omnia rem beatam eſſe pręd icauit, atque in primis poſtremam hanc, cui vt pręſtantiori ac digniori adijcere repetitam beatitudinem voluit? poſtea enim quàm dixit, *beati qui perſecutionem patiuntur*, rurſum dixit. *beati eſtis, cum probris uos affecerint homines, & inſectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduerſus uos, mentientes propter me:* Et hæc quidem ſi vt amantes patimur, verus amor mercedem aliam, cum ipſe ſibi idonea ſit merces, non expectat. cum verò tanta præterea merces accedat, atque æterna retributio, & quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quàm erimus reprehendendi, niſi toto pectore in tam egregium ac tanti faciendum opus incumbamus? Hęc tanquam Euangelicæ & Chriſtianę philoſophiæ elementa uobis memoriæ tradenda ſunt, & non minus trita habenda, quàm elementa literarum ijs, qui literarum ſtudijs operam dant. quæ ut bene penitus animis veſtris affigerentur, & tanquam ſolidiſſima fundamenta haberetis, quæ reliquam ſtructuram Dominici ſermonis ſuſtinerent, pluribus menſibus in illis immorari non piguit. Reliquum eſt, vt ad ea, quę ſequuntur in hoc Domini ſermone in monte habito, cupidè audienda accurratis. hęc enim vna uia eſt & huius vitę cum tranquillitate degendę, & futurę etiam adipiſcendę. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

2. Pet. 1.

Eſai. 64.

ORA-

ORATIO VIGESIMA-
PRIMA.

DIXIMVS hunc Domini ac Seruatoris noſtri ſermonem in monte habitum omnem Euangelicæ philoſophiæ ſummam complecti. quare conſentaneum fuit, vt quæcunque ad Chriſtianam rempublicam gerendam pertinent, horum omnium in ipſo ſermone fieret mentio. cum autem inter omnia, quæ ad res publicas conſeruandas neceſſaria ſunt, illud in primis requiratur, ut ij, qui regendæ ciuitati præpoſiti ſunt, cæteris omnibus & prudentia & vitæ integritate pręſtent, alioqui fieri ſemper vt eorum peccata in ciuium redundent detrimentum. rectè enim quidam dixit.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Iccirco Dominus, poſitis ſuæ philoſophiæ principijs, & tanquam iactis fundamentis ac propoſito fine, veluti ſcopo, ad quem actiones noſtræ referendæ ſint, quibus ſcilicet in rebus ſummum, quod expetitur, bonum ſit poſitum, illud tractare in primis aggreſſus eſt, à quo, ſi rectè ſe habeat, proficiſci bona omnia conſueuerunt, ſin Mat. 5. aliter, nullus malorum eſt finis expectandus. ait ergo. *Vos eſtis ſal terræ, quòd ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? ad nihil ualet ultra, niſi ut proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus. uos eſtis lux mundi. non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. neque accendunt lucernam, & ponunt illam ſubter modium, ſed ſuper candelabrum, & lucet omnibus qui in domo ſunt. ſic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, & glorificent patrem ueſtrum, qui eſt in cœlis.* Hæc verba Dominus apoſtolis ſuis, & per eos ijs, qui apoſtolorum locum tenent, hoc eſt, epiſcopis dixit, ac deinceps ijs, quibus animarum cura eſt credita. quare, cum res tanti ſit ponderis, quàm nunc audiſtis, hęc uerba ſunt diligentiſſimè diſcutienda, quorum vbi ad declarandi finem perducta oratio fuerit, intelligetis harum rerum explicationem non minus vobis quã ipſi clero eſſe cognitu neceſſariam. cum enim docti fueritis, præſides veſtros tantum ad progreſſus cuiuſcunque veſtrum, ſalutémque pertinere, primum magis ſoliciti eritis ad precandum Deum, vt

ijs,

ijs. qui præfecti curę veſtrę ſunt, ſpiritum ſuum copioſè ſuppeditet, & longè magis quàm hactenus factum à vobis eſt, atque adeo quod hactenus factum non eſt, dabitis operam, vt filij veſtri, qui in clerum aſſumentur, accuratius ad uitæ Chriſtianæ normam educentur. *Vos eſtis ſal terræ*, inquit. quis ignorat ſalem condiendis rebus tam eſſe neceſſarium, ut ſi is deſit, quamuis opipare inſtructa conuiuia, nulla delectatione afficere guſtum poſſint? eſt alia præterea illius vis, vt ſeruare carnes ſoleat, ne putreſcant. vtrunq; horum efficiunt, qui ſal terræ ſunt, hoc eſt, hominum, qui terræ ſunt habitatores. eſt enim figurata locutio, vt ponatur id, quod continet, pro eo, quod continetur. videte.n. quantum effecerint ij, qui ſal terræ fuerunt, nempe apoſtoli, & quicunq; illorum fuerunt ſecuti veſtigia. quid.n. magis erat inſipidum genere hominum? quid corruptius? quando Solones etiam illi, & qui legum latores conſtituebantur, ídque in ea regione, quę diſciplinarum mater exiſtimabatur, in errores delabebantur ita pudendos, vt ex hoc loco eos prodere erubeſcam: quid in barbaris accidiſſe regionibus eſt exiſtimandum? hunc orbis ſtatum conditioném que Paulus ad Romanos ſcribens attigit, cum dixit. Cum Deum cognouerint, non vt Deum glorificauerunt, neque grati fuerunt, ſed fruſtrati ſunt per cogitationes ſuas, & obtenebratum eſt inſipiens cor eorum. cum ſe crederent eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, mutauerúnt que gloriam immortalis Dei per imaginem non ſolum ad mortalis hominis ſimilitudinem effictam, verum etiam volatilium & quadrupedum & reptilium. Quapropter tradidit illos Deus per cupiditates cordium ſuorum in immunditiam, vt ignominia afficiát corpora ſua inter ſe mutuo, qui commutauerunt veritatem eius mendacio, & venerati ſunt coluerúnt que, ea quę condita ſunt, ſupra eum, qui condidit. Quamobrem tradidit eos Deus in cupiditates ignominioſas. nam fœminæ illorum mutauerunt naturalem vſum in eum, qui eſt prę ter naturam, ſimilitér que & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt per appetentiam ſui alius in alium, maſculi in maſculos fœditatem perpetrantes, & prę mium, quod oportuit erroris ſui in ſeſe recipientes, & quemadmodum non probauerunt, vt Deum agnoſcerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, vt facerent, quæ non conueniebat, repleti omni iniuſtitia, ſcortatione, uerſutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contentatione, do- *Rom.1.*

 lo,

lò, malis prędìti moribus, ſuſurrones, obtrectatores, Dei oſores, contumelioſi, elati, glorioſi, excogitatores malorum, parentibus immorigeri, expertes intelligentię, pactorum minimè tenaces, alieni à charitatis affectu, neſcij fœderis, immiſericordes. Cernitis horridam rerum faciem (libuit enim integrum eum locum ante oculos ponere, vt rem magis exactè perſpiceretis) & longè deteriorem hominum quàm ferarum conditionem? at vbi Euangelico ſale condiri cœpit orbis terræ, & Dei agnitio per hanc prædicationem inuecta eſt, ex brutis & tanquam ratione carentibus animantibus, non homines ſed angeli euaſere. neque enim ſolum ea carnis vitia, quæ naturę limites tranſgrediuntur, abominari cœperunt, ſed coniugij vſum, qui natura & legibus, vt res honeſta, conceditur, multa hominum millia, virorum ac fœminarum contemnebant propterea, quòd fruendę tantę philoſophiæ impedimento eſſe videbatur. deſerta loca & ſolitudines, quę vix ſiluestribus feris erant peruiæ, hominibus repleta fuerunt, qui ob eam unam cauſam à cęterorum cœtu diſiungebantur, vt Euangelicis inſtitutis commodius poſſent inſeruire, & conſuetudinem ſuam duntaxat cum cœlo habere. Rem dicam non exigua admiratione dignam. memini me in vetuſtis legiſſe hiſtorijs, apud Gallos ante huius lucis aduentum, hunc perditiſsimum errorem fuiſſe, vt maſculi perinde atque fœminę ſolent, publicè in matrimonium ducerentur, & eorum nuptię celebrarentur. poſtea verò quàm regio illa hanc veritatem agnouit, tam alieni ab hoc vitio facti ſunt, vt in hac etiam corruptiſsima omnium ętate à nulla re magis abhorreant. In omnibus item quamuis barbaris regionibus, vbicunque Euangelica lux proferebatur, continuò crudelitas omnis, atque efferi mores, & vitia, quibus uſque ad ea tempora fuerant aſſueti, deponebantur. qui iniuria alios afficere antea conſueuerant, ipſi poſtea iniuriam libentius perferebant. qui aliena rapere amabant, ſua largiri didicerunt. neq; ſolum malum pro
1.Pet.3. malo reddere, & conuitium pro conuitio, ſed contrà, bene precari, & beneficio afficere inimicum,
Rom.12. Sed heu miſerandam ſortem noſtram. ſcio enim quid tacitę quorundam ueſtrum cogitationes poſſunt dicere. noſtro ſcilicet æuo iſta non agnoſci, ſed potius illum uitæ ſtatum fuiſſe reſtitutum, quem dudum ex Paulo recitauimus. quòd ſanè negare non poſſumus. ſed ſciendum eſt, eiuſmodi homines ſub Euangelica lege non eſſe, & quòd ſe Chriſtianos eſſe lingua

gua profitentur, id in ipſorum perniciem tantummodo redundare. qui dum fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant; illa oris confeſsio, quę ad ſalutem (vt ait Paulus) eſſe debuerat, in condemnationis teſtimonium ſola relinquitur, ut ex eorum numero futuri ſint, de quibus ait Dominus. non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. atque hęc mala iccirco in Chriſtianum orbem ſunt introducta, quòd ij, qui condiendis hominum animis præfecti à Domino fuerant, ſal eſſe deſierunt. quod præuidens Dominus, vbi dixit, *uos eſtis ſed terræ*; mox adiecit, *quòd ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur?* quod duplicem habere ſenſum videtur. vt primo dicatur. ſi is, qui docendis alijs, & tanquam condiendis ſua ſapientia, inſtitutus fuit, deſipuerit; reſtat, vt inſipida omnia relinquantur, cum ſublatum illud fuerit, quo effici ſapida debuiſſent. quod ſanè maximo cum noſtro damno experimur, dum cernimus, infatuato ſale, hoc eſt, epiſcopis reliquiſque gradibus, quibus inſtruendorum populorum cura eſt credita, nihil minus, quàm hęc cogitantibus, nulla penè iam in toto eccleſię corpore mica ſalis inuenitur. cernimus enim ſexum omnem, omnem ætatem, omnem gradum, congreſſus, commercia, conſilia, priuata, publica, nullum Euangelici ſalis guſtum referre. verba inſipida, facta multò inſipidiora. quotus enim quiſq; nunc eſt, qui quacunque de re tractet; curet eam hoc ſale condire? qui tamen ſemper à viris, à mulieribus, à doctis, ab imperitis ad quamlibet rem eſſet adhibendus, & docendi ipſi pueri atque infantes, ut eo utantur. ſi enim magiſtratus, ſi ſenatus, ſi iuris conſulti, ſi negociatores, ſi cuius artis cunque ac profeſsionis homines Chriſti pręcepta, hic enim eſt Euangelicus ſal, in conſilium adhiberent, non tam irent peſſum ciuitates atque reſpublicę. ſi mulieres cum ornari ſtudent, & infinitum illum mundum muliebrem tam anxiè curant, hoc ſale ſuas cogitationes condire vellent, ſecúm que ita cogitare. quid ſuperuacuus hic ornatus uult? quid pulueri ac cineri, atq; adeo ſtercori tantum pecuniarum circumponimus, ex quibus ſequitur, ut & concupiſcendi ac laſciuiendi occaſionem hominibus præbeamus, & Chriſti membra nuda & eſurientia circuire domos patiamur, atque adeo committamus? hęc inquam, atque huius generis alia ſi cogitare uellent, parcerent tantis ſumptibus, honeſtiore cultu uterentur, recrearentur pauperes, & tot ſcelesta & impu-

Rom. 10.

Mat. 7.

dica ſacta tollerentur. Alio modo intelligi poſſunt illa uerba, quo
ſalietur, vt ſcilicet referantur ad ipſum ſalem, quemadmodum aper
Mar.9. tius inuenitur apud Marcum, ut ſic dicatur. ſi ſal, qui vt alijs ſapo-
rem præbeat, factus eſt, deſipuerit, nihil preterea ſupereſt, quo
ſuus illi ſapor reſtituatur. qui ſapor cum ſali ita proprius ſit, vt prę
ter eam vim, hominum vſui non ſit vtilis, ſi is ſali defuerit, neque
aliunde reparare illum poſsit, reliquum eſt, vt tanquam res inutilis
abijciatur. quare pulchrè adiecit, ad nihil valet ultra, niſi vt proij-
ciatur foras, & conculcetur ab hominibus. ſimilitudo autem ac-
cepta eſt ab ijs rebus, à quibus cum nihil vtilitatis iam ſperetur,
proijciunt eas homines, vt paſsim, nulla habita earum ratione con-
culcentur. dicit ergo, eos homines, qui in cleri ordinem iccirco ad
mittuntur, vt vitam hominum ſua ſapientia ac prædicatione opti-
míſque exemplis tanquam ſale condiant, ſi id facere deſierint, di-
gnos eſſe, qui tanquam res inutilis abijciantur, & conculcentur.
quod ſanè noſtra ætate fieri cernimus. quid enim nunc vilius atq;
Ioan.20. abiectius eſt inter Chriſtianos ſacerdotibus, & eo gradu, cui remit-
tendorum peccatorum, quod Dei proprium eſt, ab ipſo Dei filio
Luc.20. ac Deo data facultas eſt? qui conficiendi corporis & ſangninis Chri
ſti, quod angelis negatum eſt, poteſtatem habent? qui angeli in
Mala.2. ſacris literis appellantur? Labia (inquit) ſacerdotis cuſtodiunt ſcien
tiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exerci-
tuum eſt. abutuntur homines ſacerdotibus tanquam mancipijs ad
vilisſima quæque officia, ad prophana negocia, ad mercaturam. ple
rique uerò non expectant, dum accerſantur, ſed ipſi ultro ſe offe-
runt, neque vllum quamuis abiectiſsimum officij munus detre-
ctant, modo inde aliquid lucri aſſequi poſſe ſperent. ſed illud in-
de incommodi naſcitur, quod ob eorum numerum, qui ſal inſa-
tuatus facti ſunt, etiam boni plerunque contemnuntur, quos nun-
quam defuturos ſpero etiam cum extincti omnes exiſtimabuntur,
quemadmodum & in diebus Elię vſu uenit, qui cum diceret, ſe
3.Re.19. unum ſuperfuiſſe, reſpondit ei Dominus. reſeruaui mihi ſeptem
millia uirorum, qui non curuauerunt genua imagini Baal. at ijs,
qui probi ſunt, maior erit merces, ſi pro benefactis in hac uita pro-
bra retulerint, ij uerò qui deſipuere, iam pœnas quas in futura ui-
ta æternas daturi ſunt, in hac ipſa reprę ſentant. & merito ſanè ut
quid enim eccleſiaſtici ſunt, & in cleri ordine degunt, ſi id non prę
ſtant,

ſtant, ad quod fuerunt inſtituti? non intelligunt, quid uelit cleri appellatio, quòd ſcilicet ad Dei hæreditatem toti pertineant, quæ ſolo ſpiritu comprehenditur, ut totum quod uiuunt, Diuino cultui addictum ſit. ſed miſeri nullam nunc hæreditatem aliam nouerunt, quàm eccleſiaſticos prouentus. his fruuntur, in his deliciantur, & laſciuiunt etiam. nullum genus magis ingratum in Chriſtum eſt, qui cum ijs facultatibus diuites euaſerint, quę Chriſto oblatæ ſunt, atque ad Chriſti hæreditatem pertinent, ij cęteris omnibus eccleſiæ Chriſti ſunt pernicioſiores. ij ergo nón ne naturæ monſtra ſunt, qui omne hominum genus potius referunt, quàm ſuum? mollicie ac nitore ueſtium fœminas ęquant, ne dicam ſuperant. equorum numero & ſpecie milites uidentur, ſatellitio principes, negociatione mercatores, luſibus & iocis ſcurræ. taceo uerecundiora ob huius conſeſſus reuerentiam. Quod uerò dudum dixi, eos etiam in hac uita dignas pœnas luere, fortaſſe aliqui ueſtrum ſunt admirati, cum in tanto uitæ luxu non pœna ſed felicitas ineſſe uideatur. & tamen rectè à me hoc fuit dictum, primum enim omnis ille ſplendor & luxus ſumma eſt ignominia apud eos, qui ratione & mente uti uelint, quorum iudicium ſequi omnes debent, & profecto maior hoc hominum pars intelligit, & hos paſſim maledictis omnibus conuitiiſque inceſſunt. deinde hoc, quo uidentur honeſtari ob externum hunc ſplendorem, quàm exiguum eſt prę eo, quod haberent, ſi ſal eſſent? nón ne Dij eſſent, quemadmodũ à ſcriptura appellantur? nón ne tanquã ad oracula, ſic ad eos ab omnibus cũ priuatim, tum publicè à regibus etiã ipſis atq; principibus adiretur, eorũ conſilio atq; auctoritate omnia adminiſtrarẽtur? Sed uereor, ne, dum hæc à me in Euangelicorũ uerborum explicatione neceſſariò ſunt dicta, vos qui à cleri ordine atq; eccleſiaſtico gradu eſtis ſeiuncti, exiſtimetis, ex hac eccleſiaſticorũm ſugillatione uobis aliquid laudis acceſſiſſe. id enim uitioſo more ſæpe fit, ut aliorũ criminationibus nos creſcere videamur, ſed quid eſtis dicturi, cum oſtendero, maximam horum malorum cauſam in vos eſſe reijciendam? deſcendamus.n.in hanc ciuitatem (nam hactenus generatim de toto eccleſię ſtatu habuimus orationem) & ueſtro exemplo intelligemus, veſtri ordinis homines in cauſa eſſe, cur tam fœda ſit cleri facies & denigrata, vt deflere cum Ieremia poſſimus & dicere. denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti *Tre.4.* in pla-

in plateis. Dicite ergo mihi, cum datis operam, vt filij ueſtri in clerum aſcribantur, quid vos teſte conſcientia inuitat, vt eos ad hoc adhortemini? nón ne illud primum, atque adeo illud ſolum potius, ut eccleſiaſticis fructibus domus veſtræ ditentur? hoc veſtræ perſuaſionis atque adhortationis principium ac finis eſt. cuius rei euidens indicium eſt, quòd ob eccleſiaſtica beneficia adipiſcenda, etiam cædes hominum in hac ciuitate interdum acciderunt. ab his fundamentis quid miramur, ſi conſentanea illis ſtructura conſurgat? quid lamentamini, ſiqui laſciuiam ſectantur, viuúnt que perditiſſimè? uos, vos inquam in cauſa eſtis, & in vos maxima culpę pars eſt reijcienda. quid enim ab ijs expectandum eſt, quibus parentes nihil aliud ab eorum adoleſcentia aut potius ab infantia inſuſurrarunt, quàm, ſi eccleſiaſtici fiant, eos eorúm que domum habituros, vnde ſplendidè ac voluptuoſè viuant? at illa ętas, quę per ſe ad carnis vitia incitatur, cum prętetea vos illi faces præbetis, admiramini, ſi alacres in hanc ſe vitam dant, & oblatis fruuntur occaſionibus? quare illi quidem reprehenſione ſunt digni, qui cum intelligunt, dum ab epiſcopo admonentur, quàm exactum ab illis vitæ genus requiratur, vel non recuſant tantum munus, vel ſuſceptum non reuerentur. ſed vos multò magis eſtis reprehendendi, qui ad tanta myſteria, quaſi ad mercaturam quandam filios veſtros, lucri & adipiſcendorum beneficiorum eccleſiaſticorum ſpe trahitis, & tanquam in piſtrinum quoddam detruditis, vnde nec exire licet, & ibi manere, vel moleſtiſſima res eſt, vel perditiſſima. Cernitis infatuato ſale quanta rerum confuſio conſequatur? nam & ex cleri perdita uita vos euaditis deteriores, & veſtra vitę prauitate clerus nihilo minora accipit detrimenta: & horum malorum in primis epiſcopi ſeminarium prębent, qui cum eccleſiarum ſint capita, dum officio ſuo fungi recuſant, inferioris ordinis ſacerdotes diſſipati ſine vllo ordine feruntur, ut dici illud ſcripturę poſſit.
Iudi. 17. in diebus illis non erat rex in Iſraël, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat, quo fit, vt populi tanquam oues non habentes paſtorem, vagi aberrent. verum & ipſi epiſcopi tanti ſceleris pœnas, ſi non quas merentur, certè aliquas luunt. cum enim primus in eccleſia Chriſti gradus, ac ſummus ſit epiſcopalis dignitas, vt qui apoſtolorum loco ſucceſſerint, atque iccirco reges ipſi atque imperatores illorum pręcepta reuereri conſueuerint, illiſ que

liſ que obtemperare, nunc in nullo pretio ſunt, præſertim in vrbe Roma, vbi eccleſiaſticæ dignitatis ſuprema eſt ſedes. & hoc ſanè me ritiſſimè, qui, cum in ea vrbe vel auaritiæ, vel ambitionis gratia relictis ſuis ſedibus curá que paſtoris, habitare malint, cum epiſcopi officium negligant, rectè etiam epiſcopi eſſe non agnoſcuntur. quorum diuturna inertia quantum mali inuexerit, vel ex hoc vno licet intelligere, quòd ſi qui ſunt epiſcopi, quanquam ita rari hactenus extitere, vt dici illud Satyrici poſſit, vel duo, vel, ſiqui tamen inueniuntur, qui vetera patrum inſtituta cupiant inſtaurare, tam obſoleta eſt ea via, vt vulgus videatur in controuerſiam vocare, rectà ne an iniqua ſint. quæ in primis & ſanctiſſima & factu ſunt maximè neceſſaria, cuius rei vnum afferre exemplum ſatis erit. Vrbs eſt in ea Italiæ regione, quæ Vmbria appellatur, cuius nomen in ipſa narratione voſmet intelligetis, ea vrbs epiſcopum habet, qui quantam imbecillæ eius vires ferunt, operam dat, vt officio fungatur ſuo. is ergo inter alia, quæ ad munus ſuum pertinent, primum toto anno diebus ſaltem Dominicis alloqui populum & gregem Chriſti paſcere conatur. deinde inuiſere quotannis parochias diœceſeos ſuę. horum utrunque cum iam multas ætates inſolens ſit, non intelligitur quantę ſit vtilitatis, atque ob eam rem minus proficitur. ſi enim cogitarent, quid referat, & quanti ſit epiſcopum, non quemlibet mercenarium, ſed paſtorem ipſum gregem ſuum alloqui, gregém que paſtoris voci aſſueſcere, longè eſſent non ad audiendum ſolum, verum etiam ad obediendum paratiores. quod verò ad inuiſendas parochias pertinet, idem epiſcopus ne parochis grauis ſit, primum non exigit inter uiſitandum id, quod ſanctorum patrum decreta ad leuandos epiſcopi ſumptus volunt. quod verò ei ſponte offertur, vt par pullorum, aut pulli aliqui columbarum, tam exiguum eſt, vt nihil differat, utrum quicquam ei aut nihil offeratur. deinde cum non prohibeatur, ſi velit vnum diem ſingulis parochijs præbere, tamen plures parochias iubet in vnum conuenire, vt populi & viſitationis fructum referant, & ſumptu, qui uiſitationi debetur, hoc pacto leuentur, & tamen cum hæc tam circumſpectè fiant, ſoláque ſubiectorum vtilitas poſita ante oculos ſit, pudet dicere, quę interdum imperiti homines ſuſpicentur. Hæc ſub alterius ciuitatis nomine à nobis ciues mei dicta ſunt, uerecundiæ gratia, quæ multò libentius tacuiſſem, niſi cernerem, horum ignorationem

rationem non exiguo eſſe uobis detrimento. alioqui hoc mihi lucro eſt, ſi officio meo fungens, à patre, qui in cœlis eſt, non à uobis accipiam retributionem. Reſtabat, ut quę ſequuntur, quæ que in orationis principio fuerunt recitata, pertractaremus, uidelicet, *uos eſtis lux mundi*. ſed dimittendi iam conuentus tempus appetit, quare in alium hęc diem reijciemus, ne defatigatis auribus res tanti ponderis inculcetur. vos interea Deum omnipotentem, pro me aſſiduè comprecemini, qui cum me uoluerit ex eorum eſſe numero, qui ſal terrę eſſe debebant, prohibeat ſua miſeratione, ne unquam meis vitijs atque peccatis ſal infatuatus euadam, cui rei ego ſanè libentiſſimè mortem hanc corporis anteponam. donet potius eas vires, ut hęc ciuitas & diœceſis tota, meo miniſterio ita Euangelico ſale condiatur, ut ex hoc glorificare poſſimus Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum eodem filio & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO VIGESIMA-SECVNDA.

DVM cogito, quę ſuperiori oratione dicta à nobis ſunt, & quæ reſtant dicenda, uenit mihi in mentem, quod *Num. 1.* in horum figuram in veteri lege fuit prędictum. cum enim exercitus Iſraëlitarum, quę caſtra Dei appellabantur, iuberetur numerari, in hoc numero nec mulieres poſitæ ſunt, nec ſerui, nec Aegyptij, qui in caſtris erant, nec pueri, ſed numerabantur à viginti annis & ſupra, quibus videlicet aptum bellis gerendis robur eſſet, nihil enim molle nec effœminatum, nec ſeruile, nec niſi pium his caſtris aptum eſt. quod quidem ab omnibus eſt obſeruandum, qui Chriſto nomen dederunt. cum verò ad numeranda primogenita, quæ Deo erant conſecrata ob primogenita Aegyptiorum interfecta, & Leuiticam tribum, quę Diuino cultui fuerat mancipata, uentum fuit, iubentur numerari ab vno menſe & ſupra. vt ſignificaretur, oportere eos, qui Diuinis muneribus obeundis conſecrandi ſint, ab ipſa infantia eſſe initiandos.

dos. quemadmodum Paulus ad Timotheum ſcribens de ipſo ait. ab 2. Ti. 3.
infantia ſacras literas noſti, quę te poſſunt inſtruere ad ſalutem.
Alio item loco præſignatum fuit, quàm abſolutos omnibus numeris eos eſſe oporteat, qui ad Diuinum miniſterium ſunt eligendi. vbi enim præcipit Deus per Moſen, vt quicunque maculam habuiſ Leu. 21.
ſet, non offerret panes Deo ſuo, nec accederet ad miniſterium eius, memorant Hebræi centum & quadraginta maculas, quæ in corpore hominis & membris eius inueniri poſſunt, quæ ſingulæ ſacerdotem ineptum redderent ad miniſterium altaris. in capite inueniuntur octo, in collo duæ, in auribus duodecim, in palpebris & ſupercilijs quindecim. in oculo decem & nouem, in ventre tres, in dorſo tres. in membris genitalibus ſexdecim, in manibus & pedibus duodecim. in cruribus quindecim, & in toto corpore quatuor. quæ omnia cum figuræ, quemadmodum ait Paulus, ſuerint no- 2. Cor.
ſtri, vt corporea illa ſub Euangelio ad ſpiritum ſint referenda, illa 10.
exacta corporis ſpecies exactiſſimam animi pulchritudinem à nobis requirit. ſed nunc vtrunque negligitur. nam & formandi animi nulla cura eſt, & eos præſertim eccleſiaſticis muneribus dedicamus. quos aliquo corporis vitio impeditos, rebus agendis minus idoneos cernimus. quod quidem reprehenſione maxima eſt dignum. ſed ferendum tamen eſſet, ſi modo quod ad interiorem hominem pertinet, formaremus. quantos enim eſſe eos oportet, qui alijs condiendis ſunt inſtituendi, & quos lucem rectè factorum aliis præferre oportet? id enim ſequitur in Euangelico Dominici ſermonis contextu. *Vos eſtis lux mundi*. eadem autem hic loquendi figura eſt, quę & in ſuperioribus verbis, cum dictum fuit. *nos eſtis ſal terræ*. Si hęc cogitarent ij, qui ſe Diuinis illis miniſterijs tam incogitanter obtrudunt potius quàm offerunt, & parentes ipſi ac cæteri conſanguinei, qui illis ad tantum negocium ſunt duces, profectò non tam præpoſteris conſilijs vterentur. cogitarent quod alibi Dominus ait. Lucerna corporis eſt oculus. ſi ergo oculus tuus fue Mat. 6.
rit ſimplex, totus corpum tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. ergo ſi lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantę? qui hæc ſecum reputaret, dum ad eccleſiaſticos gradus, vel ipſe quærit, uel alium curat aſcendere, nón ne ad extremos vſque vngueis contremiſceret? diceret enim intra ſe. hem, ſi huius ordinis homines lumen eſ-

ſe ad cæteros illuminandos oportet, quid in me, uel in eo, quem propono admittendum, luminis cerno? quin potius ſi perſcrutari diligentius velim, plus tenebrarum, aut potius nihil præter tenebras deprehendo. ſi ergo is, qui vt in tenebris luceat, atq; aliorum rum tenebras expellat, clero inſeritur, tenebricoſus ſit, nón ne tenebræ euadent craſſiores, atque horum malorum culpa meritò in me reijcietur? Hæc vobis ciues mei in tanti ponderis negocio eſſent identidem cogitanda. ſed uereor, multos veſtrum his erroribus iam pernicioſis tám que monſtroſis implicitos, nullo hactenus conſcientiæ ſcrupulo ob tenebras, quæ nunc mundum obſident, fuiſſe permotos, atque ad hoc opinandum adducor exemplis factis que, quę ad me, dum hic epiſcopum ago, peruenerunt. Quàm verò deceat eum, qui nondum tyro fuerit, ducem conſtituere, voſmet
Num.2. iudicate. non eſt hic ordo caſtrorum Dei, in quibus apud Moſen præcipitur, vt quiſque ſecundum ordinem ſuum procederet in caſtris. ne videlicet is, qui adhuc humilibus & terrenis affectibus ob noxius eſt, cathedram doctoris arripiat. Quanti uerò ſit, deligere homines ad miniſterium Dei & hominum curam, pulchrè oſtendi-
Act. 13. tur in Actis apoſtolorum, vbi cum ſpiritus ſanctus dixiſſet ijs, qui in eccleſia erant, ſegręgate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod accerſiui eos. quid illi? tunc ieiunantes (inquit) & orantes, imponentéſque eis manus dimiſerunt illos. Iuſſerat ſpiritus ſanctus, vt hos ambos ſibi ſegregarent, & tamen addunt ieiunia & preces, imponunt eis manus, docentes in ipſis eccleſię initiis, quid poſteritati eſſet faciendum. hunc morem imitati patres ac maiores ueſtri conſtituerunt quędam tempora per annum, quibus eccleſiaſtici ordines ab epiſcopo conferrentur, uoluerúnt que, vt in ijs toti eccleſię ieiunia indicerentur. Quid verò in hac parte eſt prætermittendum, cum velit Paulus, vt, cum eligendus epiſcopus eſt, non ſolum à fidelibus, verum etiam ab ethnicis atque hoſtibus ipſis noſtris inculpatæ vitę habeat teſtimonium? oportet (inquit) illum & teſtimonium habere bonum ab ijs, qui foris ſunt. quamobrem? ne in op-
1.Tim.3. probrium (inquit) incidat, & laqueum Diaboli. ne ſcilicet ipſe ſit cauſa, cur probris afficiatur, & in plures ſe quotidie laqueos induat, & iræ, & odij, cæterorúm que vitiorum. *Vos eſtis* (inquit) *lux mundi*. eodem titulo honeſtare ſucceſſores ſuos Dominus voluit,
Ioan.9. qui ipſi proprius eſt. nam ipſe de ſe dixit, dum in mundo ſum, lux ſum

ſum mundi. & rurſum, ego ſum lux mundi. Quanti autem hæc ſacienda ſit lux, ex hac, quę corporeis oculis cernitur, capite coniecturam. ſi enim volente Deo, huius ſolis, qui lucem mundo affert, miniſterio deſtitueremur, repentè q; denſiſsimę tenebrę oborirentur, quę non ſolis tantum, verùm ne lunę quidem ac ſtellarum ſolatio leuarentur, quid nobis fieret? quàm inopes eſſemus conſilij? quàm hęc vita nobis omni iucunditate deſtituta videretur, morique libentius, quàm ita miſere viuere eligeremus? & tamen exiguum illud eſſet damnum præ eo, quod ſpiritualis huius lucis deſtitutione conſequitur. quid enim? & cæci hoc lumine priuantur & viuunt tamen, neque ob hoc vitam viuunt iniucundiſsimam. deinde harum tenebrarum finis ſimul cum vita terminaretur. at verò cum offuſæ ſunt mentibus noſtris ſpirituales tenebræ, primum per ſe graues ſunt. quid enim miſerabilius accidere homini poſsit, quàm eam partem, qua homo in primis conſtat, hoc eſt, rationem & mentem, lumine deſtitutam, cæcam ferri ſine iudicio, erroribúſque continuis circunferri? deinde ab his tenebris ad illas, quas in Euangelio legimus, extremas ſempiternáſque homines pertrahuntur, quo quid deſperatius queat exiſtimari? quare rectè diximus, pręſtare, ſolem è mundo tolli, quàm Euangelicam hanc lucem è Chriſtiano regno eſſe ſublatam. cuius priuatione cum caliginoſa nox hoc regnum occupauerit, dum ij, qui lux eſſe debuerant, tenebrę facti ſunt, nihil mirum eſt, ſi illi, qui per ſe tenebræ ſunt, euaſerunt multò tenebricoſiores. Quemadmodum verò, ſi, deficiente ſole, ſpes eſſet, illum veſtra induſtria poſſe reſtitui, toti in hoc incumberetis, neque laboribus aut ſumptibus vllis parceretis; ſic & multò etiam magis vobis curandum eſſet, vt ij, quos ſcitis animarum ueſtrarum curę eſſe præficiendos, omnibus numeris eſſent abſoluti, ſed videamus quod ſequitur. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, neque accendunt lucernam & ponunt eam ſubter modium, ſed ſuper candelabrum, & lucet omnibus qui in domo ſunt.* Duo hic tangit. primùm admonet, vt ſtudeant inculpatam vitam agere. fieri enim non poſſe, vt qui ęditiore in loco poſiti ſint, homines lateant. deinde oſtendit, minimè decere, vt qui lucem alijs pręferre debeant, ocioſi deliteſcant, ſed oportere vt ſe prodant, conſpicui que fiant. hanc enim ob cauſam ad hoc munus fuerunt electi. Quòd verò ait, *non poteſt abſcondi ciuitas ſuper mon-*

Ioan. 8.

Mat. 8.

tem poſita. obſeruandum eſt, illud poſsibile atque impoſsibile non vno modo accipi. hic enim quod ait, non poſſe oppidum, quod ſupra montem poſitum ſit, abſcondi, non dicit, hoc fieri omnino non poſſe. fortaſſe enim obiectu alterius maioris montis poſſet occultari. hic ergo non prorſus non poſsibile accipitur, ſed vt in pluribus, interdum verò non poſſe dicitur, non abſolutè, ſed ad tempus, & ratione alicuius, vt non poſſe puerum luctari, aut catulum cernere, aut aduerſus hunc pugnare. nam aliquando luctabitur, & cernet, & pugnabit aduerſus alium, quamuis aduerſus hunc non poſsit. alio loco inuenitur non poſſe pro non æquum eſſe, ut cum
Mat.9. ait Dominus. non poſſunt filij ſponſi tandiu lugere, dum cum illis
Mar.2. ſponſus eſt. interdum accipitur pro inuito, vt quod ait Marcus
Mar.6. Euangeliſta, non poterat ibi virtutem ullam facere, ob infidelitatem videlicet recipientium. cum enim vtraque re ſit opus ad curationes, & eorum, qui curantur fide, & curantis potentia, inuitus illis ſigna faciebat & fortaſſe locus hic cum ſuperiori concordat, cum diximus, illud non poſſe, accipi pro non eſſe æquum, neque rationi conſentaneum. ad illud item pertinet, quod dicimus inuitum, &
Ioan.7. cui deſit voluntas, quod alibi legimus. non poteſt mundus odiſſe
Mat.12. vos. &, quomodo poteſtis loqui bona cum ſitis mali? quo enim pacto vtrunque horum poſsibile non eſt, niſi quia deeſt voluntas? eſt etiam aliud, quod natura poſsibile non eſt, Deo autem volente poſſibile. vt non poſſe eundem iterum generari, & camelum non poſſe per foramen acus intrare. quid enim prohiberet, hæc Deo volente fieri? pręter hęc verò dicitur non poſsibile, quod omnibus modis fieri non poteſt. ut cum dicimus non poſſe Deum eſſe iniuſtum, aut Deum non eſſe, aut quod non eſt eſſe, aut bis duo quatuor eſſe & decem. Hęc autem diſtinctio non exiguam afferre lucem poteſt declarandis non nullis difficilioribus ſcripturæ ſacræ locis. ut il
Heb.6. lud eſt ad Hebręos. impoſsibile enim eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi ſunt, rurſum renouari ad pœnitentiam. & il
Ioan.5. lud. non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quid uiderit patrem facientem. quorum locorum prior uidebatur tollere locum pœnitendi, alter ab hęreticis accipiebatur aduerſus filij cum patre ęqualitatem. ſed eorum tractandorum nunc tempus non eſt, ne longius ab Euangelicorum uerborum expoſitione uagemur. ſimul uerò inſtitutum mihi ſeruandum eſt meum, ut maiorem rudium hominum

minum

minum, quæ pars eſt maxima, cum ex hac ſede loquor, rationem habeam, quàm reliquorum. & ſanè gratiam his habeo doctioribus uiris, qui affectum hunc meum in eam partem accipiunt, quam profectò debent, & humilem hunc meum dicendi modum non auerſantur. quem animum ut ſecuturo etiam tempore adhibeant, meminerint. me eſſe in hac re magni exemplaris imitatorem, ipſius uidelicet filij Dei, qui cum is ſit, in quo ſunt omnes theſauri *Colo. 2.* ſapientię & ſcientiæ abſconditi, uidete tamen quantum ſe in ſua prędicatione demiſerit illa maieſtas, ut nemo unquam hominum ſubmiſsius ſit locutus, uideatúrque eam humilitatem, quam reliquis omnibus in rebus prę ſe tota uita tulit, etiam in docendo ac prędicando ſeruare data opera noluiſſe. hunc imitati apoſtoli ſunt, atque in primis Paulus, qui ſcribens Corinthijs ait. at ego cum uenirem *1.Cor.2.* ad uos fratres, non ueniebam cum eminentia ſermonis aut ſapientię, annuntians uobis teſtimonium Dei. non enim me iudicaui quicquam ſcire inter uos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. & paulò poſt. ſermo meus & prędicatio mea non erat in perſuaſorijs humanæ ſapientiæ uerbis. idem uerò Paulus, ſi qua ei altiora & quorum minus capaces auditores eſſent, tractanda fuerant, uidete quid eodem loco dicat. porro ſapientiam loquimur inter perfectos. nequis uerò audiens uocabulum ſapientiæ, putet eum de philoſophorum diſciplinis, & Platonicis Ariſtotelicíſque dogmatibus intelligere, quibus hac ætate plerique omnes, qui ſe concionatores eſſe profitentur, paſsim abutuntur, adiecit. ſapientiam autem non ſeculi huius, neque principium ſeculi huius, qui abolentur, ſed loquimur ſapientiam Dei in myſterio, quæ eſt recondita. Hi ſunt mihi tanti pręceptores imitandi, nec curandum, quid de me loqui libeat ijs, qui proijciunt ampullas (ut ille ait) & ſeſquipedalia uerba. qui ſi cogitarent, quæ de Seruatore Chriſto & Paulo diximus, uerecundarentur quicquam proferre, cuius imperitiſsimi quique plurimum, capaces eſſe non poſſent. Abſtinebat Paulus ab ijs proponendis, quę quamuis ad hanc philoſophiam pertinerent, tamen minus capaces earum rerum auditores intelligebat. & nos non ueremur identidem Platonem atque Ariſtotelem auditorum auribus inculcare: & tum demum aut potius tunc ſolum concionandi munus impleuiſſe, cum docti & eloquentis opinionem fuerimus aſſecuti. atq; huius generis homines in primis ſunt,

qui

qui ea loca & urbes ambiunt, in quibus nomen aſſequi pręcipuè poſsint. nam, ut de hac ciuitate exemplum proponam, è multis locis à magnis uiris ſcriptum ad me fuit de concionatore pro ſequenti quadrageſima. neque ueriti quidam ſunt addere, illos honoris ſui gratia id quęrere. ubi uerò priuatus honor quæritur, qui fieri poteſt, ut quicquam quod ad hominum ſalutem pertineat, proficiatur? quare ne miremini. ſi mercenarios tantopere perhorreſco. nam difficillimum eſt ex eis inuenire, qui ſyncere Euangelicum negocium tractet, quí ue non ſuam in primis rem agere curet. omnes

Phil.2. enim (ait Paulus de eiuſmodi) quę ſua ſunt querunt, non quæ Ieſu Chriſti. Et quoniam de concionatoribus facta mentio eſt, nonnulla mihi ad leuandam quorundam ciuium quęrelam ſunt addenda. cum enim ſuperioribus diebus, quo tempore montanam huius diœceſeos partem inuiſebam, quidam concionator meo iuſſu, ne per eos menſes uerbi Dei uobis deeſſet prædicatio, ter aut quater hic uerba feciſſet, uiſus eſt multum huic ciuitati placuiſſe, quare per hoſce dies ſenatus ueſter legatos ad me miſit, qui rogarent, ut hunc patrem habere curarem pro ſequentis quadrageſimę tempore. ego qui ſcirem, quanti referat epiſcopum habere, qui concionandi peritus ſit, me uerò, qui quemadmodum nunquam de epiſcopatu ne ſomniaueram quidem, ſic huius concionandi negocio minimè eſſem aſſuetus, minus ad hoc munus eſſe idoneum, reſpondi, íd que ſerio atque ex animo, utilius huic ciuitati eſſe futurum, ſi iſtum, quem poſtularent, curarent habere iuſtum annum, totó que hoc ſpatio feſtis diebus uerba ad populum faceret. qui ſi toto hoc tempore, nam tribus duntaxat aut quatuor, & eo etiam amplius concionibus, non eſſe tutum fidere, cum imperitus etiam facile imponere uobis poſſet, atque oculis ueſtris tenebras offundere. ſi ergo hoc temporis interuallo eum fructum ab illo perceperitis, quem à me non capitis, polliceri me, epiſcopatu illi ceſſurum, qui pręterquam quòd mihi priuata uita multò eſt iucundior, tanto ~egendorum aliorum periculo cupiam liberari. hoc reſponſo, quia omnium expectationem ſuperaſſet, audio pleroſque ueſtrum opinatos, uoluiſſe me illis illudere, quæ uerba cum ad me fuiſſent allata, neceſſarium exiſtimaui, hanc uobis ex animo opinionem euellere. Idem ergo, quod tum reſpondi, teſte Deo ex animo repeto, me quod ſum pollicitus fideliſsimè præſtaturum. quòd uerò ſine

hac conditione mihi non placeat, neque hunc neque alium ab epiſcopo in quadrageſima admitti, illud in cauſa eſt, quòd cum toto reliquo anno epiſcopus fit locutus, tradere in quadrageſima alteri officium concionandi, nihil eſt aliud, quàm ubi quis longo ac periculoſo morbo laborantem curandum receperit, & eam curam adhibuerit, vt iam certa ſalus expectetur, in ipſo ſanitatis adhibendæ articulo, ægrotum alteri tradat curandum, qui neque morbi neque ægroti naturam norit, quod quàm ſit periculoſum, medicę artis peritos conſulite. quanquam excuſatum habeo ſenatum, qui iccirco hoc poſtulauit, quòd exiſtimauerit, me laborem quadrageſimæ in concionando nolle ſuſtinere. Vt verò noueritis, non opus eſſe veſtra ſolicitudine, ego aliquot iam menſes operam do, vt concionatorem habeam, qui toto anno totam diœceſim circueat, & verbi Dei ſemen ſpargat, qui etiam, ſi contingat epiſcopum ſuo munere ſungi in quadrageſima non poſſe, ipſe pro epiſcopo concionetur. & hæc, quod ad hanc materiam pertinet, ſint ſatis. Sed quando longius multò quàm oportuerat, digreſſi fuimus, ne illud, quod ſuperiore Dominico die accidit, vt videlicet eſſemus ſolito prolixiores, idem hodie vſu ueniat, finem dicendi faciam. nam ſugienda modis omnibus ſatietas eſt. Vos verò hunc Euangelicum cibum tanquam munda animalia ruminate, qui uos ad plenam ętatem Chriſti perducere idoneus eſt. iuuante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORA-

ORATIO VIGESIMA TERTIA.

N*ON poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, neque accendunt lucernam & ponunt eam ſubter modium, ſed ſuper candelabrum, & lucet omnibus qui in domo ſunt.* Diximus ſuperiori oratione duo nos hic à Domino admoneri. primum vt ij, qui præſunt, cogitent, ſe eo loco eſſe conſtitutos, vt neceſſe ſit, eos apparere qui ſint, neque facile, ſiquid deliquerint, poſſe eorum vitia occultari. deinde non ſatis eſſe, ſi lux ipſi ſint, niſi ea vtantur ad eorum miniſterium, quibus regendis ſunt præfecti. quæ uerba fidem mihi ingentem faciunt, ueriſſimum eſſe, quod uir quidam non minori ſanctitate, quàm doctrina præſtans aiebat, opinari ſe, quàm pauciſſimos epiſcopos ſeruari. quis enim eſt qui vel horum alterum, nedum utrunque præſtet? & tamen vtrunque ab eis requirit Dominus, & paſſim per prophetas interminatur paſtoribus, qui munus officij ſui negligunt. *Neque accendunt* (inquit) *lucernam, & ponunt ſubter modium*, hoc eſt, non iccirco accenditur lucerna ut occultetur. alioqui quid prodeſt eam fuiſſe accenſam? ſic qui eliguntur, vt alijs præſint, oportet ſint tanquam lucernæ poſitę ſuper candelabrum. & eiuſmodi lucerna lucet (inquit) ijs, qui in domo ſunt. Fuit olim, cum hęc lucerna non ſolum ijs, qui in domo, hoc eſt, in eccleſia eſſent, lucem pręberet, verum externis etiam, & ijs, qui foris erant, illuceſceret, eoſque ad huius lucis amorem raperet. nunc verò ne domeſticis quidem officium ſuum præſtat. atque vtinam ſatis eſſet non prodeſſe, niſi etiam extincta maiores in eccleſia tenebras excitaret. quod vero ab ijs paſtoribus lucis miniſterium expectes, qui fructibus eccleſiaſticis contenti, nunquam vel diœceſes vel parochias ſuas inuiſunt? & tamen hoc lumine magis opus eſſet, quàm lampade aliqua ad noctis tenebras abigendas, tum domi tum multò magis cum iter agimus, ac per confragoſa & aſpera & pręcipitijs obnoxia loca incedimus. noſtra enim vita huius generis eſt, laqueis ac pręcipitijs plena, quę euadere non poſſumus, niſi vno hoc lucis adminiculo. Et hæc quidem cum in primis viris eccleſiaſticis dicta

dicta ſint, ad omnes tamen pertinent, qui alijs quouis modo præſunt, magiſtratibus, ſenatui, & ipſis patribus ac matribus familiarum. qui ſi omnes officio ſuo fungi vellent, & eam quam debent, lucem prębere, multò meliore conditione ciuitates eſſent, quàm nunc ſunt. at vbi qui regendæ vel domui vel ciuitati pręſunt, nihilo meliores, atque adeo deteriores interdum ſunt, quàm ſubiecti, iracundi, vinolenti, intemperantes, ſemper in diſſidijs & contentionibus verſantes, paci minimè ſtudentes, inuidi, odio habentes inuicem. matres, quæ filias docere deberent modeſtum cultum, vt ſanctas mulieres ac pietatem profitentes decet, ipſæ pretioſius ornari ſtudent, quid miramur, ſi peſſum eunt omnia? qui ſi cogitaretis, vos omnium malorum, quæ inde proficiſcuntur, daturos pœnas, eſſetis proculdubio in dictis factíſque veſtris omnibus circunſpectiores. Quod autem hoc ad vos etiam & non ad ſolos eccleſiaſticos pertineat, lucem videlicet alijs prębere, videte quid dicat Paulus Philippenſibus omnibus. in quibus lucete (inquit) tanquam luminaria in mundo, ſermonem vitæ ſuſtinentes. ſed videamus quod ſequitur. *Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, & gloriſicent patrem ueſtrum qui in cœlis eſt, ut uideant* (inquit) hoc eſt, vt, dum vident bona opera veſtra, glorificent patrem. neque verò hoc illi contrarium eſt, quod infra dicturus eſt, attendite ne iuſtitiam ueſtram faciatis corā hominibus, vt uideamini ab eis, quamuis ibi prohibeat coram hominibus fieri, hic iubeat. nam diuerſa utrobique ratio eſt. illis enim non vult hoc fieri, vt videantur ab hominibus, hic iubet fieri coram hominibus non vt ipſi, ſed ipſa rectè facta videantur, omnia enim rectè facta, ait quidam, in luce collocari ſe volunt. multum ergo differt is, qui factis rectis atque honeſtis exemplum alijs prębet, vt cœleſtis patris hinc gloria conſequatur, ab eo, qui idem facit, non vt Deus, ſed vt ipſe honeſtetur. hoc enim hypocritarum eſt, illud verè Chriſtianorum. In eundem modum, cum dicit Paulus, volo viros orare in omni loco, non ei contrarium eſt, quod iubet Dominus, vt, qui orat, intret in cubiculum. cum non pręcipua cauſa fuerit prohibendi cuiuſquam loci, ſed oſtentationis tantum. ſic cum ait. neſciat ſiniſtra tua, non de manibus loquebatur, ſed vt ſine inani gloria id agerent, de quo erat ſermo. quæ diſtinctio niſi adhibeatur, multa peccari facile poſſunt, & ea metu erroris prętermitti, quæ ob

Phi. 2. *Mat. 6.* *1. Ti. 2.* *Mat. 6.* *ibidem.*

aliorum exemplum neceſſariò palàm fuerant facienda: quid enim? occurret vobis mendicus in via, offeret ſe in templo, &c, quia res in publico fit, eleemoſynam dare uerebimini? non ita pręcipit Chriſtus, ſed vult veſtra rectè facta videri, non vt vos videamini, ſed vt glorificetur pater veſter cœleſtis. cum inuitat epiſcopus ciuitatem, vt publicè conferant eleemoſynam, tunc certatim ut alter alterum ſuperet contendendum eſt, non acquirendæ glorię, ſed animandorum aliorum gratia. nam mutua illa concertatio adijcit animos. moneo quidem ut menti diligens cuſtodia adhibeatur, ne appetitus laudis ſurrepat, & ſemper uereri culpam eſt laudatiſſimum, pręſertim in vitio inanis gloriæ, quod malum omnium eſt ſubtiliſſimum. ſed nolim, vt in vitium ducat culpæ fuga, & dum vnum cauetur, in deterius aliud delabamini. Quanquam quis eſt, qui poſſit vlla glorię titillatione permoueri? ſi cogitet, quod Dominus ad

Luc. 17. monet, cum ait. cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus. ſeruus inutilis es, cum omnia perfeceris, quæ tibi fuerunt imperata. cum verò plura multò ſint, quæ prætermittis, quo eris titulo honeſtandus? quis veſtrum ſibi placere de eleemoſyna, quantacunque tribuerit, poteſt, qui nondum il

Mar. 12. lius Euangelicę viduę duo minuta ęra ęquauerit? quis enim in exi

Luc. 21. gua hac eleemoſyna, quam prętatis, ſubduxit vnquam ſibi ad victum cultúm que neceſſaria? at dum eouſque non perueniitis, minus datis, quàm illa ſint viduę illius minuta ęra. ſic enim dixit Dominus, eos, qui alioqui ingentia dona obtulerant, minus obtuliſſe. hęc ergo ſi cogitetis, dabitis operam, vt quoties ignominia optatis affici, palàm eleemoſynam faciatis, dum hoc tam frigidè facitis, tantum abeſt, vt interea de inani gloria ſit metuendum. Vult ergo Dominus, vt lux noſtra luceat coram hominibus ob hanc cauſam, vt, dum vident opera noſtra, glorificent patrem noſtrum, qui in cęlis eſt. hic omnium Chriſtianorum eſſe in primis ſcopus debet, vt in verbis ac factis omnibus noſtris glorificetur Deus. iccirco aie-

1. *Cor.* 10. bat Paulus. ſiue editis, ſiue bibitis, ſiue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. ſi edendo & bibendo volebat, vt Diuinæ gloriæ memores eſſemus, quo tempore laxare magis animos ſolemus, & iucunditati operam dare, quantò hoc magis requiritur in grauioribus & ſerijs rebus tum priuatis tum publicis? quantopere verò tanti patris gloriæ ſtudendum eſſet, à quo quod viuimus,

mus, quod ſumus, quicquid habemus, proficiſcitur? quantum aduerſus eos ſeueritatis à nobis eſſet exercendum, quorum vitijs atque peccatis fit, ut tam benignus tám que beneficus pater male audiat? ſi huius gloriæ, tanquam legitimi filij eſſetis ſtudioſi, non eſſet opus tantis tam crebris epiſcopi increpationibus ac minis aduerſus eos, qui Euangelicis pręceptis recuſant obtemperare. ipſi vos cenſores, ipſi caſtigatores eſſetis, ipſi eos vrbe extruderetis. Si quis veſtrum chariſsimum ac ſui amantiſsimum aliquem habeat, à quo pręterea maximis affectus muneribus fuerit, norít que quempiam illum hoſtiliter inſequi, is quibuſcunque poſſet artibus caueret, ne amicus offenderetur, auerſaretúr que illum amici ſui hoſtem, ſi etiam ab eodem hoſte magni aliquid muneris ſibi pro mitteretur. at quis noſtri amantior eſt, quàm cœleſtis pater? quis tantis nos unquam hominum afficere beneficijs poterit, quàm hic pater, qui ne filio quidem unigenito pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum? & tamen quàm præbemus noſtri erga illum amoris ſignificationem? quid non potius hoſtilis animi? animaduertite obſecro facta ueſtra, ſi in hoſtem veſtrum maiora inimici pectoris ſigna vnquam oſtendiſtis, quam quotidie in tam amantem veſtri patrem facitis. nam cum inimicum aut hoſtem ulciſci cupitis, quid agitis aliud, quàm ut ea in primis facere curetis, quę illi in primis diſpliceant, & ab ijs abſtinere, quę ſi faceretis, eſſet illi iucundiſsimum? idem ipſum ſi uelitis ea, quæ quotidie facitis, obſeruare, uobis vſu venit & viris & mulieribus. Odit Dominus ſuperbiam, vos eam ita amplexamini, vt ingens vos damnum facere exiſtimetis, ſiquis ueſtrum alteri in ulla re decedat. vnde enim tam diſſecta ciuitatis ſtudia? vnde lites & contentiones? inter ſuperbos *Pro. 13.* (inquit) Salomon ſemper iurgia ſunt. odit pater veſter auaritiam. at hęc veſtrum diurnum nocturnúm que ſtudium eſt. abominatur ſtupra, adulteria, cęteráſque carnis laſciuias. odit eorum irritamenta, & ornatus illos meretricios magis, quàm muliebres, & tamen uidentur mulieres, taceo nunc de viris, qui longè maiore reprehenſione digni ſunt. videntur, inquam, mulieres in Deum & Chriſtum eius conſpiraſſe. qui enim venatores & aucupes tot caſſes, tot laqueos, tot retia feris & auibus tendunt, quot vos mulieres peccandi incitamenta uiris præbetis? Rurſus amat pacem Deus, iccirco Deus pacis appellatur, uos verò minimum quadrantem huic pa *1. Cor. 14.*

 ci ante-

1.Co.13. ci anteponitis. amat humilitatem, quæ ipſius filij Dei peculiaris vir
1.Theſ.5. tus fuit, diſcite (inquit) à me, quòd mitis ſim & humilis corde. &
2.Theſ.3 vos ab ea tanquam à ſerpente aliquo reſilitis. amat eleemoſynam,
Mat.11. quam tanti facit, vt profiteatur, ſe ob eam cauſam regnum illud
Mat.19. æternum iuſtis prębiturum, quòd in pauperes exercuerint liberali-
Mar.10. tatem, & ad hanc rem, quam tanti ipſe facit, & quę præterea uobis
Luc.18. tantam utilitatem ſit paritura, tam pigri eſtis, & penè ab illa ab-
Gala.1. horretis. O ingentem Dei longanimitatem, quantam eſſe illam
Titu.2. oportet, quę tam ingratum tám que perditum genus ferat. quid dicam de blaſphemijs, quibus Deus, & ille unigenitus, qui animam ſuam pro nobis dedit, tam rabidè inceſsitur? qui unquam hoſtes in aduerſarios ſuos ita furioſè inuecti reperiuntur, ut ij, qui ſe Chriſtianos profitentur, & à Chriſto cognomen habent, in ipſum Chriſtum tanquam capitalem hoſtem inſaniunt? quo pacto, ſi uel minimum Diuinę glorię ſtuderetis, ferre hæc monſtra poſſetis? & non potius facto agmine in eiuſmodi ſceleratos homines inuolaretis, & uel expelleretis urbe, uel ad iudicem raperetis ſeuerìſsimè caſtigandos? non deberet hac in re frater fratri aut pater filio ignoſcere, quando hoc uitium omnem ethnicorum inſaniam ſuperat, apud quos nunquam Dij eorum, qui tamen non erant Dij, ſed tantummodo exiſtimabantur, tam obſcœnis uituperationibus fuerunt laceſsiti. Expergiſcimini tandem aliquando ciues mei, & illo Diuini honoris zelo, qui decet eos, qui Chriſto nomen dederunt, armamini, & illud ſaltem, quod amato ueſtro principi præſtaretis, huic Domino omnium & regi regum pręſtate. quæ enim ciuitas principem habens beneficentiſsimum, milleſimam maledictorum partem in illum coniectam ferret, quę in Deum & ſanctos eius frequentiſsimè conijciuntur? nón ne ſi non amore in eum, ſaltem beneficijs deberemus manſueſcere? quod ſi non facimus, nón ne leonibus ſumus immitiores? nam eos uno tantum beneficio manſuefactos legimus, vt ferunt hiſtoriæ de quodam, nomine Androdo, qui curato leonis pede, illum ſemper habuit familiariſsimum ac ſocium. & nos tantis acceptis à Deo beneficijs, non ſolum amicitiæ, ſed ne agnitionis quidem euidentia vlla ſigna demonſtramus. *Et glorificent* (inquit) *patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt.* quòd huius
Mat.6. gloria quærenda in primis ſit, docet vos Dominus cum alibi ſæpe,
Luc.11. tum quando orare nos docuit. nam ante omnia, quæ poſtulanda

ſint,

ſint, oſtendit illud eſſe petendum, vt ſanctificetur nomen patris. ſanctificetur (inquit) nomen tuum. hoc ſi fieret, maiore nos utiq; afficeremur gloria. eripiam (inquit) eum, & glorificabo eum. *Pſal.90.* quod ſemper fuiſſe factum, multis exemplis probare poſſemus, ſed breuitatis gratia nunc vno erimus contenti. uidete Dauid, qui mihi videtur fuiſſe regum omnium celeberrimus. hic Diuinæ gloriç tam ſtudioſus erat, quàm quiſquam vnquam alius, qui ob vnam hanc cauſam auſus fuit cum gigante Philiſtæo ſingulari certamine congredi, quod cerneret illius arrogantiam Dei ſui gloriç detrahere. audite enim illius verba. Quis eſt (inquit) hic Philiſtçus incircuncisus, qui probro affecit aciem Dei viuentis? & rurſus ad Philiſtæum. tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël, quæ probro affeciſti hodie. & dabit te Dominus in manum meam, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera caſtrorum Philiſtijm, hodie volatilibus cœli & beſtijs terræ, vt ſciat omnis terra, quòd eſt Deus in Iſraël. cernitis hunc virum gloriam Dei in hoc magnifico facto ſemper præ oculis habuiſſe? quç res effecit, vt illius etiam ſemper gloria creuerit. Quemadmodum verò Diuinæ gloriæ propoſita animo conſideratio, bona omnia introducere idonea eſt; ſic contrà, illius neglectus malorum omnium, quç quotidie hominibus eueniunt, cauſa eſt. dum enim non curamus, vt tanti patris nomen glorificetur, nullis parcimus iniquè factis, quç ſola illius honori ac gloriæ derogant. & prçterea multa penè neſcientes peccamus, quæ, ſi attentius cogitaremus, quid gloriam Dei deceat, agnoſceremus eſſe peccata, atque ea deuitaremus. vt enim cætera prçtereamus, quis veſtrum, qui plena habet horrea, in hac, quæ videtur in dies augeri, annonæ penuria, ſecum reputat, quanta Diuinæ glorię fiat iniuria, dum ipſius dona, quç iccirco præbet, vt hominum vſibus inſeruiant, priuati homines detinent, &, dum auaritiæ ſuç inſeruiant, ſuum genus, ſuam carnem deſpiciunt, ac ſumma inopia laborare compellunt? multos ante an nos prçuident futuram penuriam, & horrea ad tempus illud reſeruant, non vt ea opportuno tempore, quòd ſanè eſſet Chriſtiano homine dignum conſilium, indigentibus aperiantur, ſed vt maiorem inde pecuniam conflent. atque in tam nefaria re ne peccatum quidem ineſſe agnoſcunt. quod facile conijcio ex ijs, quæ in dies mihi

1.Re.17.

mihi contingit experiri. ſcio enim viros, qui ſine iniuria aliorum quærunt locupletari, qui ſi ſcirent hoc eſſe peccatum, non poſſum adduci, ut credam eos commiſſuros, ut in tantum errorem delabe rentur. horum autem curatio facilior eſt, qui non animi prauitate ſed ignorantia peccant, quare cogitaui hodie iſtis oſtendere, quàm uehementer hac in re peccent, id que exiguo negocio, quod miror vnicuique ſine alienis monitis, per ſe nunquam veniſſe in mentem.

Mat. 25. Profitetur Chriſtus Dei filius, ſe in ęternos ignes relegaturum eos, qui in pauperes fratres ſuos non exercuerint miſericordiam. qui verò non ſolum miſericordiam non exercent, ſed etiam ea faciunt, quibus ijdem pauperes fame conficianrur, proculdubio deteriore ſunt conditione, quàm illi ſuperiores, quibus ſi æternus paratus eſt ignis, multò certe iuſtius eſt, hos eodem plecti. cernitis quàm facile, & euidentiſsima ratione, quam refutare nemo poſsit, ueſter vobis error fuerit declaratus? & tamen tam aperta res ob offuſas oculis hominum tenebras, ita uidetur uobis ignota, vt in tam ingenti peccato ne ſcrupulum quidem ineſſe exiſtimetis. quę cogitatio mihi facile perſuadet, illud eſſe veriſsimum, quod veteri prouerbio dicitur, omnem diuitem aut iniuſtum eſſe aut iniuſti hæredem, atque hanc fuiſſe cauſam, cur Dominus, cum de diuitijs lo-

Luc. 16. queretur, eas iniquum mammonam appellauerit, quia ſcilicet homines, dum parandis diuitijs ſtudent, multa iniuſtè faciunt, quę ne agnoſcunt quidem. Quantum autem hoc ſcelus eſt, famem inducere, quam Deus ut amoueat, terram iubet alimenta proferre? quę alimenta tum ſubducit, cum uult ingenti aliqua caſtigatione in nos animaduertere. & hoc, quod Deus ipſe ſibi vni vult eſſe reſeruatum, homines uſurpant, & quod uotis ſupplicibus deprecari debe rent, & rogare, ut Deus amoueret, illud ipſi in ſuum genus crudeliſsimi accerſunt. quo quid ſceleratius poteſt excogitari? huius generis homines meritò execrationi omnibus ſunt, dé que ijs rectè

Pro. 11. Salomon dixit. qui abſcondit frumenta, huic maledicetur in populis. de ijs verò, qui contraria ingrediuntur uia, adiecit. benedictio autem ſuper caput vendentium. Conſiderate verò horum cęcam

Ioan. 12. mentem, & quàm verum ſit, quod ait Dominus. qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat. cum enim poſſent maximum lucrum fa-

Mat. 19. cere, tantam amittunt occaſionem. pręterquam enim quòd centuplo illo priuantur, quod pollicetur in hac uita Dominus, fit etiam

plerun-

plerunque, ut eo lucro fraudentur, quod expectant, dum volente Deo contra omnem eorum expectationem, vilior fit annona, & multò minorem ex ſuis horreis fructum referunt, quàm ſi liberaliter ſuo tempore vendidiſſent. Quare auferte hunc non ſolum Chriſtiano homine, ſed ne homine quidem dignum morem, & quicunque uenale triticum habent, uendant (non enim nunc poſtulo vt largiantur) quouis tempore indigentibus, alioquin ingenti crimine, quod illos in Geennam detrudet, ſe alligatos eſſe certò ſciant. mementote quod ait Dominus. quid prodeſt homini, ſi uniuerſum mundum lucretur, animæ uerò ſuæ detrimentum patiatur? *Mat. 16.* non proderunt diuitię (ait Salomon) in die ultionis, iuſtitia autem liberabit à morte. *Pro. 11.* hæc iuſtitia omnibus opibus eſt anteponenda, hac ditari nos oportet. nam hæ diuitię, quibus tantopere inhiatis, quàſque tam furioſè tám que rabidè inſectamini, pauperes uos non diuites faciunt, quia ueras à uobis diuitias auferunt. iuſtitia uerò infinitas illas ac ſempiternas opes uobis conciliabit. quas utinam omnes aſſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO VIGESIMA-QVARTA.

NOLITE *putare, quòd uenerim ſoluere legem, aut prophetas, non ueni ſoluere ſed adimplere.* Nihil tam ſuſpenſos tenere homines ſolet, quàm ſuſpicio nouitatis, cum plerunque exiguę alicuius rei innouatio, maxima rebus publicis afferre damna conſueuerit. icirco Lacedæmonij, qui ingentem in ſua republica diſciplinam ſeruandam curabant, non permittebant, ut quicquam de ueteri muſica immutaretur, adeo ut Terpandrum, qui erat antiquiſsimus, & omnium illius æui citharędorum pręſtantiſsimus, egregiúſque geſtorum heroicorum celebrator, tamen Ephori mulctauerint, eiúſq; citharam arreptam paxillo affixerint, quòd vnam tantum chordam in ea præter neceſsitatem intendiſſet ob uocis uarietatem. item Timotheum

motheum certantem in Carneis, ex Ephoris quidam arrepto enſe in terrogaret, ex vtra citharæ parte incidi vellet chordas, quæ acceſſerant ultra ſeptem. tantúm que hæc nouitas ſuſpecta hominibus eſt, vt ea etiam, quę ſanctiſsima ſcitu & factu vtiliſsima ſunt, dum igno tarentur, fuerint prohibita. quare accidit olim Athenis, vt, cum philoſophus quidam, Anaxagoras opinor, quandam mentem introduxiſſet (Deum intelligens) quę hoc vniuerſum gubernaret, parum abfuerit, quin Athenienſes illum lapidauerint. Et quid externis exemplis opus eſt, cum apertiſsima domeſtica habeamus? quid enim Euangelica luce vnquam mundo fuit magis
Ioan.16. ſalutare? & tamen in ipſis huius prædicationis initiis accidit, quod Dominus ipſe prædixerat, quòd ſcilicet omnis qui diſcipulos Chriſti interficeret, arbitraretur ſe obſequium præſtare Deo? Hoc intelligens Dominus, cum nouam eſſet daturus ſuæ genti philoſophiam, eam ita attemperauit, vt tota à veteri, quę per Moſen fuerat data, proficiſceretur. nam Euangelica lex figuris atque ęnigmatibus corporeiſque ſignificationibus in lege Moſis & prophetis ad-
Heb.10. umbrata fuit. nam lex, ut ſcribitur ad Hebręos, vmbram obtinuit
1.Cor.6. futurorum bonorum. vt fuerit auſus Paulus dicere, omnia contigiſſe illis in figura. vt cum dixit omnes baptizatos fuiſſe in nube & in mari, & eſcam ſpiritualem comediſſe, & potum ſpiritualem bibiſſe. vbi oſtendit, mare figuram fuiſſe aquę baptiſmatis, nubem ſpiritus, manna panis vitæ, qui Chriſtus eſt, potum cœleſtis poculi. Verum, etſi noua iſta lex in hunc modum eſſet veteri copulata, quia tamen ſpiritualibus myſteriis fuerat hæc pertractanda, illa verò exterioribus corporeiſque ritibus tota agebatur, antequam hanc aggrediatur, admonet auditores ac pręuenit eos, ne, cum viderint diuerſam hanc uiam, putent contrarium quippiam ueteri legi eſſe introducendum, ſed hanc à ſuperiori pendere, atque hanc vnam eſſe inter vtranque differentiam, quòd quę illi deerant, hæc eſſet impletura. Hęc autem admonitio neceſſariò quidem Iudęorum genti fuerat facienda, quę gens legi nitebatur, quæ à Deo fuiſſet lata, atque iccirco niſi euidentiſſimis rationibus, & à Diuina auctoritate profectis, nulla erat in ea facienda mutatio. cum uerò ethnicis loquendum fuit, non erat opus tanto apparatu ad refutanda eorum dogmata, aut errores potius ac uanitates. & tamen cum ad illos ſermonem haberet Paulus, vbicunque opus erat, ſuam ſententiam

tiam confirmabat, productis in medium uel poëtarum vel philoſophorum auctoritatibus. ut, qui Diuinis oraculis non eſſent aſſueti, ijs auctoritatibus, quorum eſſent capaciores, facilius permouerentur. Ait ergo, *nolite putare quòd uenerim ad deſtruendam legem aut prophetas, immo non ueni ut deſtruam, ſed ut compleam*, quod uidelicet ei deerat. nam cum data fuit, non erant homines apti altioribus percipiendis, neque illa ętas, ueluti nondum plena (nam mundus ſuis quibuſdam tanquam ętatibus, quemadmodum homines, creuiſſe uidetur) ſpiritualem cultum, quem Paulus rationalem vocat, omnino nouerat, ſed cum corporea ſacrificia animalium ratione carentium afferre conſueſſet, idque Dęmonijs non Deo, ſatis viſum fuit, ſi ab idolorum cultura ad veri Dei agnitionem reuocarentur. conceſſis interim ijs ſacrificijs, quæ in vſu erant, tantum vt illa Deo adhiberent. proceſſu verò temporis mittebantur prophetę, qui ſubtiliorem idem Diuini cultus agnitionem eos docerent, atque interdum ſignificarent, corporea illa non facere gratum Deo, ut cum apud Eſaiam dicitur. ad quid mihi multitudinem victimarum ueſtrarum? dicit Dominus. plenus ſum holocauſto arietum, & adipe pinguium. & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. cum venitis ante conſpectum meum, quis quęſiuit hoc de manibus ueſtris? & in pſalmis Dominus ait. non in ſacrificijs tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. quare? quia meæ ſunt omnes ferę ſyluarum, iumenta in montibus & boues. cognoui omnia uolatilia cœli & pulchritudo agri mecum eſt. ſi eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis terrę & plenitudo eius. deinde aliud abſurdum adiecit, dicens. nunquid comedam carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? quid ergo vult? immola (inquit) Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua, ſpiritualia uidelicet. Moſes quoq; ipſe ſubindicans carnis illam circunciſionem figuram eſſe, quę ſpirituali circunciſione eſſet perficienda, dixit. circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor ſeminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. alioqui pelliculę illius amputatę nulla erat vis ad efficiendum, vt diligeretur Deus. Hęc ergo interdum interſerebantur, vt paulatim attollerentur eorum cogitationes, &, cum lux Euangelica aduenięſſet, eſſent illi percipiendę aptiores. Hoc

Rom. 13.
Deu. 32.
Eſai. 1.
Pſal. 49.
Deu. 30.

Aa verò

verò quod ait, ſe veniſſe,non ut legem deſtrueret, ſed ut perficeret, quàm fuerit dictu neceſſarium, ex difficultatibus,quas apoſtoli, & prǽſertim Paulus paſſi ſunt, intelligi facile poteſt. Cum enim Iudæi literam legis mordicus tenerent, Paulus verò ad ſpiritualem
Rom.2. intelligentiam conaretur illos euehere,ac diceret. non qui in manifeſto eſt, Iudęus eſt, neque quę in manifeſto eſt in carne,eſt circuncifio, ſed qui eſt in abſcondito, Iudæus eſt, & circuncifio cordis in ſpiritu non litera. ob hanc cauſam erant ei impendio infenſi,& tam uehementer ea gens huic literæ affixa erat, ut quidam ex eis ipſis, qui crediderant, aſſererent, oportere eos qui in Chriſtum crediderant, circuncidi, alioqui non poſſe illos ſaluos eſſe. Laborem ergo eiuſmodi pertinacia præbebat Paulo, atque ingens faceſſebat negocium, dum non poterat eis perſuaderi, hominem fide ſeruari ſine corporeis illis factis legis. quare conabatur illis probare,eam uiam, quam ipſe doceret, ſtabilire legem, non deſtruere. quam contentionem videmus acrem ei fuiſſe, ex epiſtolis duabus, ad Romanos videlicet & Galatas. vbi auctoritate legis demonſtrabat, eſſe à legis litera diſcedendum, ſed hoc Iudæis obeſſe, quòd ipſi literam ſequerentur, cum ſpiritualis in eis eſſet intelligentia requirenda. iccirco
2.Cor.3. aiebat, ſe factum fuiſſe miniſtrum noui teſtamenti, non literę ſed ſpiritus. litera enim (inquit) occidit, ſpiritus autem uiuificat. ob hanc enim cauſam nouum appellatum eſt, quia non ſecundum literam,ſed ſecundum ſpiritum facienda erat interpretatio. quæ appellatio, noui uidelicet teſtamenti ac fœderis iam multò ante fuerat
Hier.31. per Ieremiam prædicta, cum ait. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Iuda fœdus nouum. & paulo poſt. hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus. dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Quod uerò ait. legem aut prophetas, per legem intelligit libros Moſis, qui propriè legis appellationem habent, cum in eis lex a Deo data contineatur. interdum verò legis appellatio omnia ſcripturæ ſacrę volumina complectitur, vt cum di
Ioan.15. xit Dominus. ut impleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt,
Pſal.24. odio habuerunt me gratis. quod tamen teſtimonium à pſalmo acceptum eſt. interdum triplex fit diſtractio, vt illud,quę ſcripta ſunt
Luc.24. in lege Moſis & prophetis & pſalmis de me. Venerat ergo vt impleret prophetas, hoc eſt, ea, quæ à prophetis de eo fuerunt ſcripta.

pta. huic enim (ait Petrus in Actis apoſtolorum) omnes prophetę *Act.* 10.
teſtimonium perhibent. uenit etiam, vt impleret legem, ut ſcilicet,
quę in illa fuerunt figuræ, rerum veritate ipſe impleret. vt de æneo *Nu.* 22.
ſerpente, de agno in paſchate immolando, & ſexcentis alijs. finis *Gen.* 12.
enim legis Chriſtus. nam nihil ad perfectionem adduxit lex (ait Pau *Rom.* 10.
lus ad Hebręos ſcribens) ſed erat introductio ad ſpem potiorem, per *Hebr.* 9.
quam appropinquamus Deo. tunc enim (vt in eadem epiſtola ſcri
bitur) dona ſacrificiá que offerebantur, quæ non poterant iuxta con
ſcientiam perfectum reddere cultorem, in cibis duntaxat & potioni
bus, & diuerſis ablutionibus ac iuſtificationibus carnis vſq; ad tem-
pus correctionis impoſitis. At Chriſtus accedens pontifex futurorũ
bonorũ, per maius & perfectius tabernaculum non manu factum,
hoc eſt, non huius ſtructurę. neque per ſanguinem hircorum ac vi
tulorum, ſed per proprium ſanguinęm ingreſſus eſt ſemel in ſan-
cta, æterna redemptione inuenta. Illa autem non fruſtra tanquam
figurę prǽmiſſa ſunt, ut facilius earum veritas intelligeretur. nam,
ſi ſanguis taurorum (vt ibidem legitur) & hircorum & cinis iuuen
cæ aſpergens inquinatos ſanctificat ad carnis purificationem, quan-
to magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſeipſum obtu-
lit immaculatum Deo, purgabit conſcientiam noſtram ab operibus
mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti? Et hęc quidem ſatis in prę-
ſentia ſint, ad declarandum cur iſta præfatus ſit Dominus. videa-
mus reliqua. *Amen dico uobis, donec prætereat cœlum ac terra, ita
unum aut unus apex non præteribit ex lege, donec omnia fiant*. Quod
dicit, hoc eſt. implenda eſt omnino lex, & facilius deficiet cœlum
ac terra, quàm minimũ quid relinquatur non impletum. eſt enim
Hebræa locutio. nam etſi nouum teſtamentum Gręcè ſit ſcriptum,
quia tamen ij, qui ſcripſere, erant Hebræi, idiomata ſuę linguę iden
tidem interſerebant. poſſunt tamen illa uerba. *donec tranſeat cœ-
lum & terra*, ſic intelligi. duraturam hanc philoſophiam vſque ad
ſeculi finem. quo tempore futura eſt corporum reſurrectio, & cœ-
lum nouum ac terra noua promittitur, hoc eſt, noua rerum facies, *Act.* 21.
qua accedente, & hac, quę nunc eſt, recedente, videbuntur cœ-
lum ac terra tranſire. Illa verò dictio amen, non eſt propriè iuran-
di modus, nequis ſibi, cum iurat, blandiatur, quòd Dominum
Chriſtum imitetur, ſed eſt quędam affirmatio, ut cum nos dicimus,
uериſsimum hoc eſt. neque enim per hoc iurare intelligimur. Eſt

verò Hebræa dictio profecta à uerbo אמן. quod ſignificat proba-
bile eſſe ac uerum, & dignum cui credatur. à quo uerbo אמת, hoc
eſt, ueritas, deductum eſt. Sic dictio illa, *donec*, duplicem in ſcri-
1.Reg.1. pturis uſum habet. cum enim dixit Anna Samuelis mater, non ua-
dam, donec ablactem puerum, ſignificat hoc loco, ſe ablactato pue
ro ituram. ſed non eodem modo accipiendum eſt quod dicitur.
Mat.1. non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.
neque enim poſt partum cognita fuit, quod quidam hæretici hu-
ius uerbi occaſione uidentur uoluiſſe. ſed tuti reddimur ex ea par-
te, quam ſuſpicari homines potuiſſent, in illa uidelicet Chriſti ge-
neratione eam à Ioſippo fuiſſe cognitam. at ubi peperit antequam
agnoſceretur, iam nihil eſt, quod de integritate uirginis in eo par-
tu dubitemus. illud ergo, non cognoſcebat eam donec peperit,
perinde eſt, ac ſi dixiſſet, peperit ante, quàm agnoſceretur. ſic illud.
Pſ.109. ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſubſellium pe-
dum tuorum. quid ergo? ubi ſubiecti fuerint inimici, tunc ſede-
re à dextris Dei deſinet? minimè omnium, ſed occurritur aliquo-
rum dubitationi, qui uererentur, num interea dum reſtant inimi-
ci aliquot ſubiiciendi, aliquid de eius dignitate ſit imminutum. at
uerò ſubactis hoſtibus, nulla relinquitur eiuſmodi dubitatio. Re-
ſtat declarandum, quid uelit, *iota unum aut unus apex*. per has
duas uoces intelligit, quęcunque minima in lege exiſtimantur.
nam in literis, ea quę à nobis i appellatur, à Græcis iota, ab He-
bręis iod, in tribus hiſce linguis eſt literarum minima. per apices
uerò ſignificantur minutiſsima puncta, quę uix oculis ſunt per-
uia, quæ que in Hebræis ſcriptis ſunt frequentiſsima. quibus Do
mini uerbis ſignificatur, ſcripturas ſacras Diuinis plenas eſſe myſte
rijs, & ea etiam, quæ hominum iudicio prætereunda, ut nullius
momenti, eſſe uideantur, magnis ſcatere ſacramentis. quod uete-
res etiam Hebræi ſenſerunt, qui dicebant, nullam eſſe legis literam,
à qua montes magni non penderent. ſequitur. *Quiſquis igitur
ſoluerit unum ex mandatis his minimis, & docuerit ſic homines, mi-
nimus uocabitur in regno cælorum. quiſquis autem fecerit & docue-
rit, hic magnus uocabitur in regno cælorum.* Continuetur ſic. facta
eſt lex, ut impleatur etiam in minimo quoque, quod minimum
qui ſoluerit, nihil ei proderit docuiſſe ſic docendo. *ſed minimus uo
cabitur in regno cælorum*, hoc, eſt in Chriſtiana republica. ſic enim
acce-

accepta regni cœlorum appellatio paſsim in Euangelijs reperitur. poteſt etiam hoc loco per regnum cœlorum accipi reſurrectio mortuorum, quo *tempore is, qui ſoluerit minimum quippiam, & ſic docuerit, minimus uocabitur*, non inter iuſtos numerandus, ſed abijciendus in Geennam. ſic enim hoc loco minimus accipitur, hoc eſt, neglectus & abiectus, & qui nequaquam in conſortium piorum ſit recipiendus. *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum*. cernis & hoc loco non ſatis eſſe uel tantum facere vel tantum docere, ſed vtrunque eſſe neceſſarium tanquam gẽminos in capite oculos? nam qui alterum tantummodo prꝗſtat, altero prꝗtermiſſo, ei perſimilis eſt, qui vnius tantum oculi vſum habet, alterius verò deſtitutione deturpatur. & quidem leue eſſet, ſi, quod in corporeis oculis accidit, is, qui alterum prætermittit, ſola deformitatis pœna plecteretur. ſed longè magis terrificæ ſunt Geennꝗ atque ꝗternarum pœnarum vltiones, quæ ijs imminent, qui iſta non præſtant. quæ ſi attentius cogitetis, nihil admirabimini, quod alioqui viſum eſt uobis fuiſſe admirationi, me videlicet, ſi quis offeratur, qui hoc munere fungi magis idoneus ſit, libentiſsimè epiſcopatu ceſſurum. quis enim veſtrum, aliquo in loco ſedens quamuis honeſtiſsimo, & capiti eius enſis immineat, tenui filio ſuſpenſus, non libens ſedem illam alteri conceſſerit? Speculatorem (inquit) poſui te domui Iſraël. ſi me dicente ad impium, impie morte morieris, non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. quis non terreatur cogitando, rationem ſibi tot animarum eſſe reddendam, cum pro ſua tantum eam reddere idoneus nemo ſit? quæ conſiderans Paulus admonebat ſubiectos. obedite (inquiens) prꝗpoſitis veſtris, & ſubiecti eſtote illis. ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. nam id eſt inutile vobis. Hoc vnum, ſi non aliud, excitare vnumquenque deberet. vigilat epiſcopus, imminens habet capiti ſuo periculum tui gratia, obnoxius ſit vltioni Diuinæ ob tua peccata, tu verò ſupinus dormitas? vt cum gaudio (inquit) hoc faciant, & non gementes. hoc vnum epiſcopo reliquum eſt ſolatium, vt labores ſuos intelligat non fruſtra inſumptos. quod ſi deſit, reſtat vt defleat & ingemiſcat. neq; enim quantumlibet contemnatur, licet ei deſpondere animum, & gregem

Eze. 33.

Heb. 13.

gem ſuum deſerere. Id (inquit) eſt inutile vobis. totum enim demum in caput veſtrum recidet, qui ſalutifera paſtoris veſtri monita contempſeritis. Hęc cogitatio ad duo continuè prȩſtanda inuitare uos deberet, vt & omni ſtudio paſtoris veſtri monita obſeruetis, eique obtemperetis, & eum quotidianis ad Deum precationibus adiuuetis, ſemper quidem ſed multò magis grauioribus in rebus, ut in ſynodo quæ cras eſt celebranda, in qua ea tractabuntur, quæ ad ueſtram omnium ſalutem maximè pertinent. conueniet totus huius diœceſeos clerus, ij nimirum, quibus veſtrarum animarum cura eſt credita. quare cras conuenite omnes ad rem Diuinam, & communibus uotis omnipotentem Deum comprecemur, vt ſui ſpiritus eam copiam ſubminiſtret, qua cœleſtis eius gloria amplificetur, & maior in dies in rectè facta progreſſus à nobis fiat. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO VIGESIMA-QVINTA.

EX IIS, quæ ad populum verba faciens, de inſtituenda parochiarum uiſitatione vobis præſentibus dixi, arbitror uos fratres Reuerendi intelligere, quam ob cauſam nunc ſitis huc à me accerſiti, ut ſcilicet à uobis inuiſendi initium faciam, ſed non omnes ex uobis fortaſſe intelligunt, quanti hoc negocium referat, quod ego paucis conabor exponere. Totius ciuitatis ſalus & tranquillitas in ueſtra poſita eſt facultate, quod adeo ſic cognoſcite. uos, quod oculi capiti ſunt, id epiſcopo eſtis, &, quemadmodum priuatum oculis caput, magna actionum ſuarum parte deſtituitur, ſic ego, niſi uos tanquam acutos & perpurgatos oculos habeam, non ſolum inutiles, quod damnum quidem eſſet, ſed minus dolendum, uerum etiam maximo rebus meis, immo rebus Chriſti futuri eſſetis impedimento. Eſtis item uos ueluti nerui, quorum compagine ciuitas continetur, quòd ſi ſoluti nerui ſint, noſtis, quid efficere ſine illis mem-

lis membra poſsint, quantúm que corpus illud, quod neruorum incolumitate careat, ſit miſerandum. Principio ergo danda mihi opera eſt, vt habeam vos quàm maximè incolumes, quorum opera ad optima quęque aggredienda vti poſsim, quod fieri non poteſt, niſi quę vitioſa in vobis eſſe deprehenduntur, ſedulò curetis, vt amoueantur, & quidem fortaſſe occultiora aliqua ſunt, quę non ita ſe prodidere, vt aperta illis redargutio ſit adhibenda, ea moneo, vt quiſque ſuo ſtudio emendet, neque tandiu expectet, dum apertiora fiant, & ego inuitus cogar ſeueriori vti in aliquem veſtrum caſtigatione, quod verò ita apertum eſt, vt nulla excuſatione obtegi poſsit, illud ego vobis hodie commemorabo. Video vos, cum magna totius ciuitatis offenſione, parum inter vos eſſe concordes, quod ſanè quantum vos minimè omnium deceat, ſola cognominis veſtri appellatione debueratis admoneri. canonici enim iccirco vocamini, quòd tanquam monachi regula quadam contineamini. quinetiam ædificia, quæ & in hac & in reliquis ciuitatibus ſunt, atque à canonicis habent denominationem, argumento ſunt, ſolere olim canonicos vno domicilio contineri, & communi victu vti. verum, cum veſtrum omnium ingenium cogito, & faciles, quos quotidie experior, mores, & ſummam veſtram erga me & humanitatem & obedientiam, facile adducor, vt ſperem, non ita multo negocio, quicquid hactenus mali Dæmonis inuidia diſsidij interceſsit, eſſe tollendum, & eam amicitiam, quam ſuperioribus annis audio inter uos fuiſſe, nunc demum reconciliandam, quod quò fiat facilius, quid à vobis pręſtandum ſit indicabo. Diſcordiarum cauſę iccirco oriri inter homines ſolent, quòd ſententiam quiſque ſuam ob priuatum ſui amorem, quem cæcum quidam poëta meritò appellauit, tueri mordicus conſueuit. hoc itaque poſthac faciendum vobis eſt charißimi fratres, vt quantum hactenus adhibuiſtis ſtudium muniendis ſententijs veſtris, tantum nunc adhibeatis cogitando, ne forte veſtrę vos cogitationes fallant. profectò enim nihil tam facile homini eſt, quàm decipere ſeipſum, quod certè eſt omnium maximè miſerandum. quare induat quiſque veſtrum generoſum illum animum, quem in propheta Iona omnes legiſtis, qui, cum mare intumeſceret, interitúm que omnibus minaretur, intellecta mali cauſa, dixit. tollite me, & mittite in mare & ceſſabit *Ionæ.* 1.
mare à vobis, ſcio enim quòd propter me tempeſtas hęc grandis venit ſuper

nit ſuper vos. neque verò dubitò, eundem illi, qui exemplum hoc fuerit imitatus, glorioſum finem affuturum. Cogitate præterea, quid vos deceat, qui ſal terræ & lumen mundi eſſe debetis, quód que ad vos in primis illud pertineat, quod Paulus ait increpans eos,
1.Cor.6. qui lites & controuerſias inter ſe habebant. iam quidem (inquit) delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? ſed uos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. Videte hominis ſapientiam, & quàm hic locus uos adigat, vt omnem diſſidendi prę textum deponatis. duo tangit, iniuriam & fraudem. iniuria ad honorem pertinet, fraus ad damnum pecuniæ ac facultatum, vtrum velitis in cauſa eſſe, ſiue etiam vtrunque, nihil reliqui eſt, quo vos tueri poſsitis, quin ſit ad excuſandas excuſationes in peccatis. nam ubi de Chriſtiani hominis officio tractatur, humanæ gloriæ & pecuniarum prętextus locum non habet. Per arma (inquit) iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces. armis (inquit) iuſtitiæ ſemper utimur, neque ea deponimus, ſiue dextræ ſiue ſiniſtrę res ſeſe obijciant, neque curamus, modo à uia, quam nos Chriſtus docuit, non recedamus, quid de nobis homines opinentur, neque quid aduerſus nos agant. Sed fingamus aliquid interdum in mutuis con
1.Cor.6. trouerſijs licere. uidete tamen, quid Paulus rurſum dicat. omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. omnia mihi licent, ſed non omnia ędificant. omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem. Quid obſecro tam hominum naturæ eſt conſentaneum,
1.Cor.8. quàm veſci carnibus? & tamen uidete quid Paulus dicat. ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non comedam carnem in ęternum, ne fratrem meum ſcandalizem. & quod de carnibus ait, proculdubio idem de re qualibet feciſſet, ex qua frater offenderetur. Dirigamus curſum noſtrum ad hos clariſsimos ſeptentriones, neque ijs rationibus fidamus, quibus nunc plerique omnes in hac hominum fece, non Chriſtianorum (neque enim tanto cognomine ſunt digni) ſed ethnicorum potius, munitos ſe ſatis ſupér que arbitrati, prodire conſueuerunt. Illud prętęrea apud uos reputate, factum hoc tanquam Lydium lapidem futurum, qui vos & vobis ipſis & mihi, quinam ſitis, oſtendat, quid ve mihi de vobis in poſterum, dé que veſtro profectu poſsim polliceri. hactenus enim verbis duntaxat eſt actum,

actum, at vbi tantum verba verſantur, fit plerunque, vt quò quis ad facta eſt ineptior, eò ſe verbis præſtet glorioſiorem. nunc experiendum erit mihi factis ipſis, quo veſtrum uti ſecurius, in exercendis pro Christo negocijs poſsim. factis, mihi credite, agendum eſt, non enim regnum Dei eſt in ſermone ſed in virtute, & non omnis *Mat. 7.*
(ait Seruator ipſe) qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Pacatos vos in primis inter vos volo, qúod niſi primum fiat, quomodo proponere populo poteſtis Chriſti monita dicentis, pa- *Ioan. 14.*
cem relinquo vobis, pacem meam do uobis? quomodo charitatem profitebimini, quę ſine pace eſſe non poteſt? at charitas diſcipulorum Chriſti index eſt. in hoc enim (inquit) agnoſcent omnes, quòd *Ioan. 13.*
diſcipuli mei eritis, ſi charitatem inter vos habueritis. Ego certè, quod ad me attinet, nunquam quieſcam, donec vos habeam vnanimes, eró que vt aliquis pater, cui duo diſcordes inter ſe filij ſint, is, ſi ueri patris ſungi officio voluerit, dabit operam, vt ea ratione vnum lucretur, ne interim alterum amittat. hoc me Euangelicus il- *Luc. 18.*
le pater docet, à quo cum adoleſcentior filius diſceſsiſſet, ſuám que ſubſtantiæ partem decoxiſſet cum meretricibus, reuertenti tamen uidete quid fecerit. ſolo filij aſpectu commotus eſt, oblitus perditę ſubſtantię, & cum meretricibus conſumptarum facultatum, neque ſimulare potuit ſeueriorem vultum ad horam, vt improba filij facta merebantur, neque tandiu expectare, dum ille accederet, quod modis omnibus æquum erat; ſed ipſe accurrit, ruit in oſcula, iubet proferri ſtolam præcipuam, annulum, calceamenta, occidi vitulum illum ſaginatum, adhiberi ſymphoniam & chorum, tantám que ſacit amoris & gaudij pro recepto perdito filio ſignificationem, quanta maxima fieri potuiſſet pro optimo. interea ſenior filius, qui ſemper obſequens patri fuerat, reuerſus ægrè fert factas tam multas delicias perdito illi filio, atque indignatus paternam domum ingredi recuſat. quid ergo pater? num contentus eſt recepiſſe filium, quem perijſſe fuerat arbitratus? minimè uerò, ſed egreſſus hortatur, rogat. fili (inquiens) tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. *Luc. 15.*
gaudere autem & lætari oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt. Hoc exemplum à mea memoria diſcedere nunquam patiar, donec omnes, omnes inquam (neque enim, ſi vel unus amitteretur, plenum eſſet meum

Rom. 15. gaudium) concordes inter uos uideam, ut tandem unanimes vno ore glorificemus Deum, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

ORATIO VIGESIMA-SEXTA.

MEMINI me ſuperioribus menſibus quo primum die vos chariſsimi fratres hoc ipſo in loco ſum allocutus, dixiſſe, uos eos eſſe milites, quibus ad hanc, quę mihi credita fuit, obeundam prouinciam utendum eſſet, quare omnem per hoſce dies luſtrare exercitum volui, ut ſcirem quantum ipſe mihi de vobis poſſem polliceri, ne forte, vbi caſtra eſſent mouenda, qua parte victoria expectanda eſſet, ab eadem noſtrorum cędes proficiſceretur. & ſanè hac in luſtratione res mihi parum feliciter ceſsit, tam enim parum inſtituta veſtra hæc caſtra reperi, ut mihi dicendum ſit illud comici, ijs ſcilicet patrono opus eſſe, quos defenſores paro. maximum enim eorum, quæ ad munus officij ueſtri pertinent, neglectum intueor, ſummam animarum curæ, quæ vobis credita eſt, incuriam & oſcitantiam, in Diuinis miniſterijs exiguam externi ſaltem hominis compoſitionem, ut ex motibus exterioris hominis facile interiorem agnoſcas.
Eccl. 8. rectè enim Salomon dixit. ſapientia hominis lucet in vultu eius,
Eccl. 13. & alius quidam ſapiens. cor (inquit) hominis immutat faciem illius, ſiue in bono ſiue in malo. fieri enim non poteſt, vt compoſitus animus foras prodeat incompoſitus, vel contra, vt diſſolutus perpetuam ſeruet corporis compoſitionem. ſimulare quidem interdum poteſt, ſed nunquam fit, vt conſtantiam ſeruet. Quare uideo, me in hac rei Chriſtianę inſtauratione, initium à uobis ſumere oportere, qui quantò eſtis cęteris conſpectiores, atque ęditiore in loco collocati, tanto veſtri mores magis eſſe irreprehenſi debent, & cogitandum, minimum quenque errorem, qui in uobis appareat, multum de ueſtra dignitate detrahere, ex quorum uita, uirtutis duntaxat & rectè factorum exempla ab omnibus expectantur, quos ſi uiderint uel parum aberrare, atque de uia deflectere,

mox

mox longè deteriora ſibi licere exiſtimabunt, ſuámque probitatem non ex Diuinis legibus, ſed ex veſtrorum morum contemplatione metientur, qui mores omni ex parte circunſpecti eſſe debent, neq; quicquam, quod vitio verti poſsit, eſt negligendum. memineritis enim, quid ſapientiſſimus quidam vir dicat. amictus corporis, & *Eccl.* 19. riſus dentium, & inceſſus hominis indicant de eo. Itaque omnibus quidem locis, etiam cum domi eſtis, & obſeruatores deſunt, vitę diſciplina ſeruanda eſt, tum quòd vbique vos oculi Domini intuentur, tum vt, cum in hominum conſpectum venitis, & inter eos verſamini, conſtantiores in eadem diſciplina reperiamini, vbi verò ad templum Dei, atque ad ſacra miniſteria, & laudes Deo perſoluendas eſt accedendum, iàm non homines vos, ſed humanis in corporibus angelos exiſtimare debetis, tunc enim inter angelos verſandum vobis eſt. in conſpectu (inquit) angelorum pſallam tibi. *Pſ.* 135. non id agendum, quod vitioſo & corrupto more hactenus eſt factum, vt inter fori nundinas, & pſallendi munus nihil intereſſe videretur, ita nugas interſerere, & minus honeſta (quod ſanè eſt probroſiſsimum) interdum verba proferre non puduerit. eò fit, vt quo in loco honeſtari nomen Dei plurimum ſolet, ac debet, idem eodem ipſo in loco, veſtra culpa malè audiat. cum cernunt homines, vos, quos ſal terræ Dominus appellauit, ita inſulſos effectos, vt digni ſitis, de quibus dicatur, quod eodem ipſo Euangelij loco ſubijcitur. ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? ad nihil valet vltra *Mat.* 5. niſi vt proijciatur foras & conculcetur ab hominibus. Cum ergo conuenitis ad templum Dei, cogitate ad quem locum accedatis, & facite, quod vir quidam ſapiens admonet. ante orationem (in- *Eccl.* 18. quiens) præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. oporteret enim tandiu ſaltem, dum in templo verſamini, mortales omnes ita perdomuiſſe affectus, vt nihil terreni in vobis reliquum habere videremini, omnes quidem, qui ex clero eſtis, ſed in primis ſacerdotes, quibus conficiendi corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti poteſtas eſt data, ij ergo facturi rem Diuinam, dum ſe apparant in ſacrario, arceant à ſe omnem hominum congreſſum, qui illuc impudenter, nugandi tantum gratia ingrediuntur. nam is locus ne ſerijs quidem ſermonibus eo tempore patere debet. Cum verò ab hoc templo (quod aliquoties per annum fit) ad aliud de more cum ſolenni pompa prodeundum eſt, ne con-

fusè & permixtim, ſine grauitate, ſine ordine proficiſcamini, ſed bini, & pro dignitatis vel profeſſionis gradu, alij pręcedant, alij ſubſequantur, neque quiſquam, cum ad templum illud, quò eſt eundum, ventum fuerit, pompam cœtúm que deſerens, aliò peruagetur, donec peracta omni cerimonia, eodem, vnde fueratis profecti, reuertamini. Et quando templum hoc epiſcopali huic domui coniunctum, cathedralis eccleſia appellatur, & quaſi aliarum eccleſiarum mater eſt, hortarer eos, qui rem Diuinam in alijs minoribus templis faciunt, vt, quoties poſſunt, feſtis diebus huc conueniant, niſi ſignificatum mihi eſſet, id poſt meum aduentum factitari cœptum eſſe, quo nomine vobis gratias ago; atque hortor, vt in hoc egregio facto perſeueretis. Et quia dudum dicebamus, externos motus eſſe animi indices, atque adeo nullum, quamuis exiguum negligendum eſſe, illud addam, multam hoſce motus & corporis geſtus ad rem Diuinam, & præſertim cum orandum eſt, afferre vtilitatem. nam, ſi omnibus in rebus agendis, animus conſenſu corporis ac miniſterio vtitur, ridiculum planè eſſet, opinari, in adorando ac venerando Deo id non eſſe neceſſarium. hinc fit, vt pro rerum accidentium varietate, varios etiam motus corpus adhibeat. nam vbi pro accepto beneficio aliquo aguntur gratię, & mentem ad Deum cogitationém que attollimus, illam mentis ſublationem, vultus, oculi, manus ſequuntur. cum conſcij nobis ſcelerum ſumus, oculos deijcimus, pectus tundimus. cum ſupplices petere aliquid volumus, genuum vtimur inflexione. quòd ſi genuum flexiò hanc vim habet, vt humilitatis atque indigentiæ noſtræ nos admoneat, qui abuſus ille eſt, quem in veſtrum quamplurimis cerno, vt vnum duntaxat genu inflectatis? perinde quaſi dimidia tantum veſtri parte deijcere voſmet decreueritis, quod cum in prophanis hominibus, & qui ſacris non ſunt initiati, turpe factu ſit, quantò eſt in vobis turpius, qui totius virtutis exemplar quoddam eſſe debetis? Hæ atque aliæ huius generis obſeruationes, cum nemini veſtrum ſint negligendæ, tum adoleſcentioribus in primis accuratius tenendæ ſunt, quę ita illis proſunt, quemadmodum ſępes tenerioribus plantis ſolent, quæ, dum metus eſt, ne beſtię alicuius morſu corrumpantur, ſepiuntur ſpinis, cum verò in grandiores arbores euaſerint, nihil eiuſmodi cuſtodia eſt opus. ſimillimè grandęuis atque ætate prouectioribus aliqua permittuntur, neque ita ſcrupuloſè cum

ſè cum illis agendum eſt, cum metus non ſit, ne is neglectus illis officiat, ſed in adoleſcentibus exiguum vitium ad grauiores errores feneſtram aperit. His verò adoleſcentibus pręcipuè illud mando, vt verecundi ac modeſti ſint, maioréſque ſuos reuereantur, ac pro parentibus habeant, in quos ſi verbo vel nutu ac vultu, quemadmodum interdum mihi uideor obſeruaſſe, contumaces fieri ſenſero, ea in illos utar animaduerſione, vt grauiter ſe erraſſe facilè queant intelligere. neque hoc reuerentię officium à ſolis adoleſcentioribus pręſtandum eſt, ſed quiſque ueſtrum pro gradu ac dignitate alter alteri decedat. primates uerò ita ab omnibus coli atque honorari volo, & eam illorum haberi rationem, vt vobis hodie ſignificem, me, ſiquid contra meam dignitatem ab aliquo veſtrum fiat, æquo animo laturum, quòd verò contra eos factum fuerit, ſeuerisſimè caſtigaturum. ipſi uerò primates uicisſim benignè ſe erga vos gerent, atque vt fratres amplectentur, recordabuntúr que id, quod à quodam ſapiente eſt dictum. rectorem te poſuerunt, noli extolli, ſed eſto inter eos quaſi unus ex illis. denique una hęc reliqua in vobis ſit concertatio, vt, quemadmodum Paulus docet, honore inuicem præueniatis, & ſubmisſius ſe gerere quiſque conetur. hoc erit iucundisſimum etiam ipſis angelis ſpectaculm, nedum ueſtrę huic ciuitati, quæ cum vos hiſce initijs cernit eſſe inter vos pacatiores, exultat gaudio, quod gaudium ut impleatur, toto uobis pectore eſt incumbendum. quod non admodum multo negocio fiet, ſi ab omni ambitione & faſtu abſtinueritis, quorum radicem omnem vt Seruator Chriſtus è diſcipulorum cordibus eximeret, puerum ſtatuit in medio eorum, ac de primatu certare prohibuit, qui maior eſt (inquiens) in vobis, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nón ne qui recumbit? ego autem in medio veſtri ſum, tanquam qui miniſtrat. Chriſtus Dei filius venit (vt alibi dicit) vt miniſtraret, non ut ſibi miniſtraretur, & audebit quiſpiam ex clero, ſe ad dominationem potius, quàm ad miniſterium electum eſſe ſibi perſuadere? His peractis facilius erit cætera cauere, quę ueſtræ dignitati non conueniunt, ut ſcilicet à crapula & ebrietate, à compotationibus à luxu, ab immodicis ſumptibus, à comeſſationibus caueatis. attendite vobis (ait Dominus) nequando grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate, & curis huius ſeculi, ſubitis

Eccl. 32. *Ro. 12.* *Mat. 20.* *Luc. 22.* *Luc. 21.*

que

Ephe. 5. que vobis ingruat dies ille. & Paulus. nolite inebriari uino, in quo
Ro. 13. eſt luxus, ſed impleamini ſpiritu ſancto. & alibi. non in comeſſa-
Pro. 20. tionibus & ebrietatibus. & Salomon. luxurioſa res uinum, & tumultuoſa ebrietas, quicunque ijs delectatur, non erit ſapiens. & ſanè cum in ueteri lege, ubi ſolę erant umbræ noſtrorum myſteriorum, miniſtris templi uinum, res tam uitæ humanæ accommoda, & quicquid inebriare poſſet, prohiberetur, quid ſub Euangelica ueritate non eſt pręſtandum, ubi officia angelis potius quàm hominibus conſentanea exercentur? In ea ipſa ueteri lege figuratum eſt, quàm perfectos ſacerdotes Euangelicos eſſe oporteat, ubi præcipitur, ut miniſtraturi in templo, omni corporis macula careant. ſic
Leui. 21. enim dicitur. Homo de ſemine tuo per familias ſuas, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius. ſi cęcus fuerit, ſi claudus, aut depreſſum habens naſum, aut improportionata membra, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, uel hernioſus. Numerant autem Hebręi centum & quadraginta maculas, quæ in corpore hominis & membris eius inueniri poſſunt, quę ſingulę ſacerdotem ineptum reddant ad miniſterium altaris. inueniunt octo in capite, in collo duas, in auribus duodecim, in palpebris & ſupercilijs quindecim, in oculo decem & nouem, in naſo ſex, in labijs & ore nouem, in uentre tres, in dorſo tres in membris genitalibus ſexdecim, in manibus & pedibus duodecim, in cruribus quindecim, & in toto corpore quatuor. ex quibus facilè colligitur, oportuiſſe eum, qui templo eſſet inſeruiturus, admiranda prorſus eſſe ſpecie, & quæ omnium in ſe conuertere oculos poſſet. quæ omnia noſtri cauſa proculdubio fuerunt inſtituta, ut nos admoneremur, quàm omnibus numeris abſolutos eſſe oporteat eos, qui ſub Euangelio ſacerdotio fungerentur. quæ ſi cogitaueritis, intelligetis profectò, quàm longè à ſcopo aberrent ij, quorum mores nihil à promiſcuo uulgo differunt, qui conuiuijs ſe immiſcent, ac ſpectaculis, & cœtibus, ubi amatoria cantantur, aut obſcœni motus corporis choreis & ſaltationibus offeruntur, & quanta uos reprehenſione ſitis digni, qui ſuperioribus diebus comœdijs intereſſe non fuiſtis uerecundati, atque adeo quidam ex uobis & actores & auctores fuerunt. quod etſi nunc ob recentem meum in hanc urbem aduentum diſsimulaui, poſthac, mihi cre-

hi credite, non feram. Et uerò quid non abſoluti eſt à uobis præſtandum, qui lux mundi à Chriſto appellamini, cum fidelibus omnibus exactiſsima uita imperetur? uidete enim quid Chriſtianis omnibus Paulus dicat. mortificate membra ueſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus. deponite omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam de ore ueſtro, expoliantes uos ueterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit illum, qui eſt omnia in omnibus Chriſtus. induite uerò uos, ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, uiſcera miſericordię, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam. ſuper omnia autem hęc charitatem habete, quod eſt uinculum perfectionis, & grati eſtote, uerbum Chriſti habitet in uobis abundanter, in omni ſapientia docentes & commonentes uoſmet ipſos in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes & pſallentes in cordibus ueſtris Deo. omne quodcunque facitis in uerbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & patri per ipſum. orationi inſtate, uigilantes in ea in gratiarum actione. ſermo ueſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, ut ſciatis quomodo oporteat uos unicuique reſpondere. omnis autem ſermo malus ex ore ueſtro non procedat, ſed ſiquis bonus ad ędificationem fidei ut det gratiam audientibus, & nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei. modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. De cætero quæcunque ſunt uera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua uirtus, ſi qua laus diſciplinę, hæc cogitatæ. Hęc, atque id genus alia, (nam hęc pro exemplo aliquantò fuſius data opera commemorauimus) ſi omnibus, qui Chriſtum profitentur, facienda proponuntur, certè uos, qui rectæ atque honeſtæ uitæ exemplar propoſiti mundo eſtis, præſtare plus cæteris aliquid debetis, quòd ſi ne iſta quidem preſtatis, uoſmet ipſi iudicate, quæ uos pœnæ apud omnium iudicem Chriſtum maneant. Iubentur Chriſtiani uiri aſsiduis incumbere precationibus, pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus, & pleriq; ueſtrum ab iſtis ipſis prorſus ſunt alieni. ſacra lectio tam à multis ueſtri ordinis ignoratur, ut nemo ferè è vobis ſit, qui ſacra biblia, aut ſaltem nouum apud ſe habeat

Colo. 3.
Col. 4.
Ephe. 4.
Phi. 4.

habeat teſtamentum, qui cum ſolus ſit ſpiritus atque animi cibus, & unicum interioris hominis præſidium ac robur, atque ille à Paulo appellatus gladius ſpiritus, quo in primis utendum eſt aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus, quo pręcipuè carnis uitia coërceantur; ego ſanè non admodum miror, ſi qui ex uobis in eadem uitia delabantur, cum remedia, quibus ea caueri poſsint, negligatis. ex quo errore alius non minus pernicioſus eſt ſecutus, ut creditum à pleriſque ſit, oportere ſacerdotes coniugio copulari, alioqui fore, ut nunquam à ſcortationibus abſtinerent. ſed ridicula ſanè eſt iſta curatio, & quę morbum augere potius, quàm ſanitatem afferre poſsit. nam ad inſtaurandos ſacerdotij collapſos mores, præcipuum illud eſt, & quaſi cardo rerum, ut ſelectione in clericis aut eligendis aut admittendis utamur, neque cuiuis ſpiritui credamus, ſed diligentius diutiúſque probemus, num ex Deo ſint, hinc omne boni mali ue principium, huc exitus referendus. plantatio, quam cœleſtis plantat pater, non eradicatur. hoc niſi fiat, uxorum greges ſi adhibeas, ſcortationes & cętera carnis flagitia prohibere non poteris. nam illud remedium ad eradenda praui cupidinis elementa, admodum eſt imbecillum. ardentior enim fieri ſolet irritata laſciuia, vt interim ſileam, alijſq; relinquam iudicandum, quàm inter quotidianos coniugum amplexus, cœleſtia tractare myſteria, quót ue incommoda ex filiorum nepotúmque gregibus ſecutura ſint. Neque uerò mihi nunc apoſtolorum tempora, uel poſtea raram auem unum aut alterum, qui bus liberorum ſuſceptio impedimento ad purè tractandum ſacerdotium non fuerit, quis obijciat, pręſens rerum ſtatus potius eſt attendendus, quo præcipua & penè ſola eſt cogitatio, qui ſint eccleſiarum reditus, quibus artibus ſe quiſq; ac ſuos locupletet. uerum ſeligite mihi, ut dicebam, eos, qui ab adoleſcentia iugum Domini ferre didicerint, ſacras literas cum Timotheo ab infantia nouerint, quæ poſsint eos inſtruere ad ſalutem, affectum illum in Chriſtum Ieſum toto pectore hauſerint. intelligant, quid ſit, immenſam Dei erga nos charitatem in dato filio fuiſſe declaratam, Chriſtianæ philoſophiæ maieſtatem ſint admirati, & in eam rapti, quam ubi cum cęteris rebus omnibus, uoluptatibus, opibus, honoribus, humanis doctrinis contulerint, omnia ut detrimenta arbitrentur & ſtercora.

Eph. 6.

actum, at vbi tantum verba verſantur, fit plerunque, vt quò quis ad facta eſt ineptior, eò ſe verbis præſtet glorioſiorem. nunc experiendum erit mihi factis ipſis, quo veſtrum uti ſecurius, in exercendis pro Chriſto negocijs poſsim. factis, mihi credite, agendum eſt, non enim regnum Dei eſt in ſermone ſed in virtute. &, non omnis (ait Seruator ipſe) qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. *Mat. 7.* Pacatos vos in primis inter vos volo, quod niſi primum fiat, quomodo proponere populo poteſtis Chriſti monita dicentis, pacem relinquo vobis, pacem meam do uobis? *Ioan. 14.* quomodo charitatem profitebimini, quę ſine pace eſſe non poteſt? at charitas diſcipulorum Chriſti index eſt. in hoc enim (inquit) agnoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eritis, ſi charitatem inter vos habueritis. *Ioan. 13.* Ego certè, quod ad me attinet, nunquam quieſcam, donec vos habeam vnanimes, eró que vt aliquis pater, cui duo diſcordes inter ſe filij ſint. is, ſi ueri patris ſungi officio voluerit, dabit operam, vt ea ratione vnum lucretur, ne interim alterum amittat. hoc me Euangelicus ille pater docet, à quo cum adoleſcentior filius diſceſsiſſet, ſuám que ſubſtantiæ partem decoxiſſet cum meretricibus, reuertenti tamen uidere quid fecerit. ſolo filij aſpectu commotus eſt, oblitus perditę ſubſtantię, & cum meretricibus conſumptarum facultatum, neque ſimulare potuit ſeueriorem vultum ad horam, vt improba filij facta merebantur, neque tandiu expectare, dum ille accederet, quod modis omnibus æquum erat; ſed ipſe accurrit, ruit in oſcula, iubet proferri ſtolam præcipuam, annulum, calceamenta, occidi vitulum illum ſaginatum, adhiberi ſymphoniam & chorum, tantám que facit amoris & gaudij pro recepto perdito filio ſignificationem, quanta maxima fieri potuiſſet pro optimo. *Luc. 18.* interea ſenior filius, qui ſemper obſequens patri fuerat, reuerſus ægrè fert factas tam multas delicias perdito illi filio, atque indignatus paternam domum ingredi recuſat. quid ergo pater? num contentus eſt recepiſſe filium, quem perijſſe fuerat arbitratus? minimè uerò, ſed egreſſus hortatur, rogat. fili (inquiens) tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. gaudere autem & lætari oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt. *Luc. 15.* Hoc exemplum à mea memoria diſcedere nunquam patiar, donec omnes, omnes inquam (neque enim, ſi vel unus amitteretur, plenum eſſet meum

Rom.15. gaudium) concordes inter uos uideam, ut tandem unanimes vno ore glorificemus Deum, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

ORATIO VIGESIMA-SEXTA.

MEMINI me ſuperioribus menſibus quo primum die vos chariſsimi fratres hoc ipſo in loco ſum allocutus, dixiſſe, uos eos eſſe milites, quibus ad hanc, quę mihi credita fuit, obeundam prouinciam utendum eſſet, quare omnem per hoſce dies luſtrare exercitum volui, ut ſcirem quantum ipſe mihi de vobis poſſem polliceri, ne forte, vbi caſtra eſſent mouenda, qua parte victoria expectanda eſſet, ab eadem noſtrorum cędes proficiſceretur. & ſanè hac in luſtratione res mihi parum feliciter ceſsit, tam enim parum inſtituta veſtra hæc caſtra reperi, ut mihi dicendum ſit illud comici, ijs ſcilicet patrono opus eſſe, quos defenſores paro. maximum enim eorum, quæ ad munus officij ueſtri pertinent, neglectum intueor, ſummam animarum curæ, quæ vobis credita eſt, incuriam & oſcitantiam, in Diuinis miniſterijs exiguam externi ſaltem hominis compoſitionem, ut ex motibus exterioris hominis facile interiorem agnoſcas. Eccl. 8. rectè enim Salomon dixit. ſapientia hominis lucet in vultu eius, Eccl.13. & alius quidam ſapiens. cor (inquit) hominis immutat faciem illius, ſiue in bono ſiue in malo. fieri enim non poteſt, vt compoſitus animus foras prodeat incompoſitus, vel contra, vt diſſolutus perpetuam ſeruet corporis compoſitionem. ſimulare quidem interdum poteſt, ſed nunquam fit, vt conſtantiam ſeruet. Quare uideo, me in hac rei Chriſtianę inſtauratione, initium à uobis ſumere oportere, qui quantò eſtis cęteris conſpectiores, atque ędítiore in loco collocati, tanto veſtri mores magis eſſe irreprehenſi debent, & cogitandum, minimum quenque errorem, qui in uobis appareat, multum de ueſtra dignitate detrahere, ex quorum uita, uirtutis duntaxat & rectè factorum exempla ab omnibus expectantur, quos ſi uiderint uel parum aberrare, atque de uia deflectere,

mox

mox longè deteriora ſibi licere exiſtimabunt, ſuám que probitatem non ex Diuinis legibus, ſed ex veſtrorum morum contemplatione metientur, qui mores omni ex parte circunſpecti eſſe debent, neq; quicquam, quod vitio verti poſsit, eſt negligendum. memineritis enim, quid ſapientiſſimus quidam vir dicat. amictus corporis, & riſus dentium, & inceſſus hominis indicant de eo. Itaque omnibus quidem locis, etiam cum domi eſtis, & obſeruatores deſunt, vitę diſciplina ſeruanda eſt, tum quòd vbique vos oculi Domini intuentur, tum vt, cum in hominum conſpectum venitis, & inter eos verſamini, conſtantiores in eadem diſciplina reperiamini, vbi verò ad templum Dei, atque ad ſacra miniſteria, & laudes Deo perſoluendas eſt accedendum, iam non homines vos, ſed humanis in corporibus angelos exiſtimare debetis, tunc enim inter angelos verſandum vobis eſt. in conſpectu (inquit) angelorum pſallam tibi. non id agendum, quod vitioſo & corrupto more hactenus eſt factum, vt inter ſori nundinas, & pſallendi munus nihil intereſſe videretur, ita nugas interſerere, & minus honeſta (quod ſanè eſt probroſiſsimum) interdum verba proferre non puduerit. eò fit, vt quo in loco honeſtari nomen Dei plurimum ſolet, ac debet, idem eodem ipſo in loco veſtra culpa malè audiat. cum cernunt homines, vos, quos ſal terræ Dominus appellauit, ita inſulſos effectos, vt digni ſitis, de quibus dicatur, quod eodem ipſo Euangelij loco ſubijcitur. ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? ad nihil valet vltra niſi vt proijciatur foras & conculcetur ab hominibus. Cum ergo conuenitis ad templum Dei, cogitate ad quem locum accedatis, & facite, quod vir quidam ſapiens admonet. ante orationem (inquiens) præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. oporteret enim tandiu ſaltem, dum in templo verſamini, mortales omnes ita perdomuiſſe affectus, vt nihil terreni in vobis reliquum habere videremini, omnes quidem, qui ex clero eſtis, ſed in primis ſacerdotes, quibus conficiendi corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti poteſtas eſt data. ij ergo facturi rem Diuinam, dum ſe apparant in ſactario, arceant à ſe omnem hominum congreſſum, qui illuc impudenter, nugandi tantum gratia ingrediuntur. nam is locus ne ſerijs quidem ſermonibus eo tempore patere debet. Cum verò ab hoc templo (quod aliquoties per annum fit) ad aliud de more cum ſolenni pompa prodeundum eſt, ne con-

Eccl. 19.

Pſ. 135.

Mat. 5.

Eccl. 18.

fusè & permixtim, ſine grauitate, ſine ordine proficiſcamini, ſed bini, & pro dignitatis vel profeſsionis gradu, alij pręcedant, alij ſubſequantur, neque quiſquam, cum ad templum illud, quò eſt eundum, ventum fuerit, pompam cœtúmque deſerens, aliò peruagetur, donec peracta omni cerimonia, eodem, vnde fueratis profecti, reuertamini. Et quando templum hoc epiſcopali huic domui coniunctum, cathedralis eccleſia appellatur, & quaſi aliarum eccleſiarum mater eſt, hortarer eos, qui rem Diuinam in alijs minoribus templis faciunt, vt, quoties poſſunt, feſtis diebus huc conueniant, niſi ſignificatum mihi eſſet, id poſt meum aduentum factitari cœptum eſſe, quo nomine vobis gratias ago, atque hortor, vt in hoc egregio facto perſeueretis. Et quia dudum dicebamus, externos motus eſſe animi indices, atque adeo nullum, quamuis exiguum negligendum eſſe, illud addam, multam hoſce motus & corporis geſtus ad rem Diuinam, & præſertim cum orandum eſt, afferre vtilitatem. nam, ſi omnibus in rebus agendis, animus conſenſu corporis ac miniſterio vtitur, ridiculum planè eſſet, opinari, in adorando ac venerando Deo id non eſſe neceſſarium. hinc fit, vt pro rerum accidentium varietate, varios etiam motus corpus adhibeat. nam vbi pro accepto beneficio aliquo aguntur gratię, & mentem ad Deum cogitationémque attollimus, illam mentis ſublationem, vultus, oculi, manus ſequuntur. cum conſcij nobis ſcelerum ſumus, oculos deijcimus, pectus tundimus. cum ſupplices petere aliquid volumus, genuum vtimur inflexione. quòd ſi genuum flexio hanc vim habet, vt humilitatis atque indigentiæ noſtræ nos admoneat, qui abuſus ille eſt, quem in veſtrum quamplurimis cerno, vt vnum duntaxat genu inflectatis? perinde quaſi dimidia tantum veſtri parte deijcere voſmet decreueritis, quod cum in prophanis hominibus, & qui ſacris non ſunt initiati, turpe factu ſit, quantò eſt in vobis turpius, qui totius virtutis exemplar quoddam eſſe debetis? Hæ atque aliæ huius generis obſeruationes, cum nemini veſtrum ſint negligendæ, tum adoleſcentioribus in primis accuratius tenendæ ſunt, quę ita illis proſunt, quemadmodum ſepes tenerioribus plantis ſolent, quæ, dum metus eſt, ne beſtię alicuius morſu corrumpantur, ſepiuntur ſpinis, cum verò in grandiores arbores euaſerint, nihil eiuſmodi cuſtodia eſt opus. ſimillimè grandęuis atque ætate prouectioribus aliqua permittuntur, neque ita ſcrupuloſe cum

sè cum illis agendum eſt, cum metus non ſit, ne is neglectus illis officiat, ſed in adoleſcentibus exiguum vitium ad graniores errores feneſtram aperit. His verò adoleſcentibus pręcipuè illud mando, vt verecundi ac modeſti ſint, maioreſque ſuos reuereantur, ac pro parentibus habeant, in quos ſi verbo vel nutu ac vultu, quemadmodum interdum mihi uideor obſeruaſſe, contumaces fieri ſenſero, ea in illos utar animaduerſione, vt grauiter ſe erraſſe facilè queant intelligere. neque hoc reuerentię officium à ſolis adoleſcentioribus pręſtandum eſt, ſed quiſque ueſtrum pro gradu ac dignitate alter alteri decedat. primates uerò ita ab omnibus coli atque honorari volo, & eam illorum haberi rationem, vt vobis hodie ſignificem, me, ſiquid contra meam dignitatem ab aliquo veſtrum fiat, æquo animo laturum, quòd verò contra eos factum fuerit, ſeuериſsimè caſtigaturum. ipſi uerò primates uiciſsim benignè ſe erga vos gerent, atque vt fratres amplectentur, recordabuntúrque id, quod à quodam ſapiente eſt dictum. rectorem te poſuerunt, noli extolli, ſed eſto inter eos quaſi unus ex illis. denique una hęc reliqua in vobis ſit concertatio, vt, quemadmodum Paulus docet, honore inuicem præueniatis, & ſubmiſsius ſe gerere quiſque conetur. hoc erit iucundiſsimum etiam ipſis angelis ſpectaculm, nedum ueſtrę huic ciuitati, quæ cum vos huſce initijs cernit eſſe inter vos pacatiores, exultat gaudio, quod gaudium ut impleatur, toto uobis pectore eſt incumbendum. quod non admodum multo negocio fiet, ſi ab omni ambitione & faſtu abſtinueritis, quorum radicem omnem vt Seruator Chriſtus è diſcipulorum cordibus eximeret, puerum ſtatuit in medio eorum, ac de primatu certare prohibuit, qui maior eſt (inquiens) in vobis, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nónne qui recumbit? ego autem in medio veſtri ſum, tanquam qui miniſtrat. Chriſtus Dei filius venit (vt alibi dicit) vt miniſtraret, non ut ſibi miniſtraretur, & audebit quiſpiam ex clero, ſe ad dominationem potius, quàm ad miniſterium electum eſſe ſibi perſuadere? His peractis facilius erit cætera cauere, quę ueſtræ dignitati non conueniunt, ut ſcilicet à crapula & ebrietate, à compotationibus, à luxu, ab immodicis ſumptibus, à comeſſationibus caueatis. attendite vobis (ait Dominus) nequando grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate, & curis huius ſeculi, ſubitus que

Eccl. 32.
Ro. 12.
Mat. 20.
Luc. 22.
Luc. 21.

Ephe. 5. que vobis ingruat dies ille. & Paulus. nolite inebriari uino, in quo
Ro. 13. eſt luxus, ſed impleamini ſpiritu ſancto. & alibi. non in comeſſa-
Pro. 20. tionibus & ebrietatibus. & Salomon. luxurioſa res uinum, & tumultuoſa ebrietas, quicunque ijs delectatur, non erit ſapiens. & ſanè cum in ueteri lege, ubi ſolę erant umbræ noſtrorum myſteriorum, miniſtris templi uinum, res tam uitæ humanæ accommoda, & quicquid inebriare poſſet, prohiberetur, quid ſub Euangelica ueritate non eſt pręſtandum, ubi officia angelis potius quàm hominibus conſentanea exercentur? In ea ipſa ueteri lege figuratum eſt, quàm perfectos ſacerdotes Euangelicos eſſe oporteat, ubi præcipitur, ut miniſtraturi in templo, omni corporis macula careant. ſic
Leui. 21. enim dicitur. Homo de ſemine tuo per familias ſuas, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius. ſi cęcus fuerit, ſi claudus, aut depreſſum habens naſum, aut improportionata membra, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, uel hernioſus. Numerant autem Hebręi centum & quadraginta maculas, quæ in corpore hominis & membris eius inueniri poſſunt, quę ſingulę ſacerdotem ineptum reddant ad miniſterium altaris. inueniunt octo in capite, in collo duas, in auribus duodecim, in palpebris & ſupercilijs quindecim, in oculo decem & nouem, in naſo ſex, in labijs & ore nouem, in uentre tres, in dorſo tres in membris genitalibus ſexdecim, in manibus & pedibus duodecim, in cruribus quindecim, & in toto corpore quatuor. ex quibus facilè colligitur, oportuiſſe eum, qui templo eſſet inſeruiturus, admiranda prorſus eſſe ſpecie, & quæ omnium in ſe conuertere oculos poſſet. quæ omnia noſtri cauſa proculdubio fuerunt inſtituta, ut nos admoneremur, quàm omnibus numeris abſolutos eſſe oporteat eos, qui ſub Euangelio ſacerdotio fungerentur. quæ ſi cogitaueritis, intelligetis profectò, quàm longè à ſcopo aberrent ij, quorum mores nihil à promiſcuo uulgo differunt, qui conuiuijs ſe immiſcent, ac ſpectaculis, & cœtibus, ubi amatoria cantantur, aut obſcœni motus corporis choreis & ſaltationibus offeruntur, & quanta uos reprehenſione ſitis digni, qui ſuperioribus diebus comœdijs intereſſe non fuiſtis uerecundati, atque adeo quidam ex uobis & actores & auctores fuerunt. quod etſi nunc ob recentem meum in hanc urbem aduentum diſsimulaui, poſthac, mihi cre-

hi credite, non feram. Et uerò quid non abſoluti eſt à uobis præſtandum, qui lux mundi à Chriſto appellamini, cum fidelibus omnibus exactiſsima uita imperetur? uidete enim quid Chriſtianis omnibus Paulus dicat. mortificate membra ueſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus. deponite omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam de ore ueſtro, expoliantes uos ueterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit illum, qui eſt omnia in omnibus Chriſtus. induite uerò uos, ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, uiſcera miſericordię, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam. ſuper omnia autem hęc charitatem habete, quod eſt uinculum perfectionis, & grati eſtote, uerbum Chriſti habitet in uobis abundanter, in omni ſapientia docentes & commonentes uoſmet ipſos in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes & pſallentes in cordibus ueſtris Deo. omne quodcunque facitis in uerbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & patri per ipſum. orationi inſtate, uigilantes in ea in gratiarum actione. ſermo ueſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, ut ſciatis quomodo oporteat uos unicuique reſpondere. omnis autem ſermo malus ex ore ueſtro non procedat, ſed ſiquis bonus ad ędificationem fidei ut det gratiam audientibus, & nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei. modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. De cætero quæcunque ſunt uera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua uirtus, ſi qua laus diſciplinę, hæc cogitatæ. Hęc, atque id genus alia, (nam hęc pro exemplo aliquantò fuſius data opera commemorauimus) ſi omnibus, qui Chriſtum profitentur, facienda proponuntur, certè uos, qui rectæ atque honeſtæ uitæ exemplar propoſiti mundo eſtis, præſtare plus cæteris aliquid debetis, quòd ſi ne iſta quidem preſtatis, uoſmet ipſi iudicate, quæ uos pœnæ apud omnium iudicem Chriſtum maneant. Iubentur Chriſtiani uiri aſsiduis incumbere precationibus, pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus, & pleriq; ueſtrum ab iſtis ipſis prorſus ſunt alieni. ſacra lectio tam à multis ueſtri ordinis ignoratur, ut nemo ferè è vobis ſit, qui ſacra biblia, aut ſaltem nouum apud ſe habeat

Colo. 3.

*Col.*4.

Ephe. 4.

*Phi.*4.

habeat teſtamentum, qui cum ſolus ſit ſpiritus atque animi cibus, & unicum interioris hominis præſidium ac robur, atque ille à Pau-
Eph.6. lo appellatus gladius ſpiritus, quo in primis utendum eſt aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus, quo pręcipuè carnis uitia coërcentur; ego ſanè non admodum miror, ſi qui ex uobis in eadem uitia delabantur, cum remedia, quibus ea caueri poſsint, negligatis. ex quo errore alius non minus pernicioſus eſt ſecutus, ut creditum à pleriſque ſit, oportere ſacerdotes coniugio copulari, alioqui fore, ut nunquam à ſcortationibus abſtinerent. ſed ridicula ſanè eſt iſta curatio, & quę morbum augere potius, quàm ſanitatem afferre poſsit. nam ad inſtaurandos ſacerdotij collapſos mores, præcipuum illud eſt, & quaſi cardo rerum, ut ſelectione in clericis aut eligendis aut admittendis utamur, neque cuiuis ſpiritui credamus, ſed diligentius diutiuſ que probemus, num ex Deo ſint, hinc omne boni mali ue principium, huc exitus referendus. plantatio, quam cœleſtis plantat pater, non eradicatur. hoc niſi fiat, uxorum greges ſi adhibeas, ſcortationes & cętera carnis flagitia prohibere non poteris. nam illud remedium ad eradenda praui cupidinis elementa, admodum eſt imbecillum. ardentior enim fieri ſolet irritata laſciuia, vt interim ſileam, alijſq; relinquam iudicandum, quàm inter quotidianos coniugum amplexus, cœleſtia tractare myſteria, quót ue incommoda ex filiorum nepotúm que gregibus ſecutura ſint. Neque uerò mihi nunc apoſtolorum tempora, uel poſtea raram auem unum aut alterum, qui bus liberorum ſuſceptio impedimento ad purè tractandum ſacerdotium non fuerit, quis obijciat, pręſens rerum ſtatus potius eſt attendendus, quo præcipua & penè ſola eſt cogitatio, qui ſint eccleſiarum reditus, quibus artibus ſe quiſq; ac ſuos locupletet. uerum ſeligite mihi, ut dicebam, eos, qui ab adoleſcentia iugum Domini ferre didicerint, ſacras literas cum Timotheo ab infantia nouerint, quæ poſsint eos inſtruere ad ſalutem, affectum illum in Chriſtum Ieſum toto pectore hauſerint. intelligant, quid ſit, immenſam Dei erga nos charitatem in dato filio fuiſſe declaratam, Chriſtianæ philoſophiæ maieſtatem ſint admirati, & in eam rapti, quam ubi cum cęteris rebus omnibus, uoluptatibus, opibus, honoribus, humanis doctrinis contulerint, omnia ut detrimenta arbitrentur & ſtercora.

cora. ſciant obtemperare maioribus, abundare item & penuriam pati. qui cibum in pondere, ſomnum in menſura capiant. quorum delitiæ ſobrietas ſit & parſimonia. qui corpus caſtigare cum Paulo, ſeruituti ſubijcere, laſciuientéſque appetitionum ac libidinum motus, fame, ſiti, vigilijs, perdomare docti ſint. qui iam obturauerint aureis ſuas, ne audiant ſanguinem, & clauſerint oculos ſuos, ne videant malum, & ſenſus omnes compoſuerint, vt eorum in pace ſit habitatio. qui denique non ea, quæ videntur, ſed quæ non videntur, cogitare, ſapere, quærere ament, vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens. Hos ſi ad vaſorum Dei cuſtodiam, & cœleſtium myſteriorum diſpenſationem admoueris, non erit magnopere metuendum, ne, aut ſi cœlibatum vouerint, eos voti pœniteat, aut ſi non uouerint, vxoris contubernium quærant. Neque me nunc quiſquam putet hominem finxiſſe, qui inueniri nuſquam poſsit. habuit ſemper, & nihilominus habiturus eſt Chriſtianus orbis has opes, neq; deſpero & hodie, ſi quis etiam Helias ſupereſſe vnum ſe vociferaretur, ſeptem millia virorum reperienda, quæ 3. *Reg.*
ad Baal imaginem genua ſua non curuauerunt. At verò dum hæc 19.
colluuies, & iſtę vndique collectæ ſordes perdurant, hominum, qui illotis manibus & pedibus ſine vllo iudicio ingrediuntur, aut, rectius dicam, inuadunt ſancta, quid ſynceri, quid ſani ſperandum eſt? quid ab eo expectes, cuius ab ipſa pueritia mens prauis opinionibus imbuta ſit? qui adoleſcentiam impudicè exegerit, & varijs ſceleribus ſeſe contaminauerit? qui omnia pręter vnum Chriſtum norit? qui, cum ſacris initiari cogitat, nihil niſi vel ambitionem vel opes meditetur? cui quid ſit, credi ſibi eas animas, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ne in mentem quidem unquam venerit? ab ijs auſpicijs quid portendi aliud poteſt, quàm quòd toto huius generis electionum tempore perſpectum eſt? Libuit in hac parte aliquantiſper exſpatiari aduerſus eos, qui, vt ait propheta, inclinant *Pſ.* 140.
os ſuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum, me nulla quidem in vobis vitia, grauiora præſertim & apertiora toleraturum, hanc verò vel ſcortationis, vel adulterij, atque eiuſmodi criminum notam vlturum eſſe ſeuerisſimè. neque expectetis, dum quempiam ſeorſum admoneam, niſi tunc, cum ob tale facinus (quod tamen benigniſsimus prohibeat Deus, ne id ſit neceſſarium) in eum, qui peccauerit, manus

 inijcien-

inijciantur. Et quoniam ſignificatum mihi eſt, quoſdam veſtrum noctu per vrbem vagari, admoneo vos, me prætori huius vrbis mandaturum, vt quemcunque poſt certam noctis horam per vrbem vagari deprehenderit, illum capiat, conijciát que in carcerem. Videbor fortaſſe alicui veſtrum ſeuerior in hac oratione, quàm expectauiſſetis, ſed hunc morem docuit me Diuinus Paulus, qui admonendo & corripiendo acrior videri non recuſabat, ne factis ſeueritatem exercere cogeretur. quare in eam partem hęc mea verba vos accepturos confido, vt & honoris & vtilitatis veſtrę cauſa dicta fuiſſe intelligatis. Nunc verò, cum finienda oratio eſt, ad adoleſcentiores clericos ſermo mihi eſt conuertendus, ií que admonendi, vt præter ea, quæ ſuperius ad eos dicta ſunt, meminerint, non eſſe illis imitandum vitioſum illum morem, qui eccleſiam Chriſti in primis euertit, dum ij, qui ſacris initiari poſtulant, tam ignari ſunt, quod ſit officij ſui munus, vt interrogati, quamobrem velint in clerum aſcribi, reſpondere aliud plerunque neſciant, quàm quòd ad
Mar. 11. eccleſiaſticum aliquod beneficium aſpirant. ita domus Dei verè ne
Luc. 19. gociationis domus, atque adeo ſpelunca latronum effecta eſt. Vos
Exo. 3. ergo ne ita illotis pedibus introite in hęc ſancta. ſi enim Moſes ad ſpectaculum ardentis rubi acceſſurus, iuſſus eſt calceamenta pedum ſoluere, quantò magis vos, cum ad tanta myſteria eſtis intromittendi, mortales ac terrenos affectus omneis oportet exuere? quare ni-
Ro. 12. hil cogitandum vobis aliud eſt in hoc negocio, quàm vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationalem cultum veſtrum, & ne accommodetis vos ad figuram huius ſeculi, ſed transformamini per renouationem mentis veſtræ, quę verba etſi à Paulo fidelibus omnibus dicta ſunt, ad vos tamen in primis pertinent, unum ſit ſtudium ueſtrum, totos uos offerre Deo, & illius obſequio uoſmet accommodare, cætera ipſe proſpi-
Luc. 12. ciet. nam, ſi uolatilia cœli curat & paſcit, multò profecto magis uos
Pſal. 22. illi curæ eſtis, vt poſsitis ſecuri dicere. Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Acceſit uos Deus (ſi tamen illum duntaxat uocantem, neque humanas aliquas appetitiones ſequimini) in partem & ſortem ſuam, id enim cleri uocabulum ſignat, & metuendum eſt, nequid uobis deſit, aut anxiè diſquirendum, quo pacto fructibus eccleſię nutriamini? hoc ethnicorum eſſet, non Chriſtianorum, multò uerò minus eorum, qui

ita

ita pręparantur, ut inter Chriſtianos, aliorum duces aliquando conſtituantur. Hoc iacto fundamento totius fidei & ſpei ueſtrę in Deú, illud etiam conſequetur, ut beneficia eccleſiaſtica, quę in ueſtras manus Deo uolente peruenerint, ita à uobis adminiſtrentur, ut poſsitis cum Paulo dicere, ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. nulla carnis cogitatio perſuadere uobis poterit, ut eccleſię fructus ad luxum aut humanam ambitionem inſumatis, & quod eſt uſibus pauperum accommodandum, in domeſticorum & conſanguineorum hæreditatem transferatur. quod qui faciunt, prętexant ſibi quaſcunque uelint diſpenſationes, non uideo, quibus poſsint rationibus cauſam ſuam tueri apud iudicem Chriſtum. Nolite errare (ait Paulus) Deus non irridetur. Date prętérea operam, ut eos in literarum ſtudia progreſſus faciatis, ut in Diuinis lectionibus uerſari quotidie, & ea in ipſis conficere ſpatia poſsitis, quę ueſtri ordinis hominibus ſunt conſentanea, alioqui ne expectet quiſquam ueſtrum, ſe ad ſacros ordines eſſe à me promouendum, qui ea, quæ leget ſaltem in ſanctorum Euangeliorum contextu, non ſit idoneus intelligere. nam hoc inuiſendarum parochiarum tempore neminem ferè ſacerdotem reperi, qui ea, quę legeret, ſciret interpretari. quę ſanè eorum epiſcoporum pręcipua culpa fuit, qui illos conſecrarunt, in quem errorem ne & ipſe delabar, ſedulo operam dabo. Denique ſcire uos omnes ſenes cum iunioribus uolo, neminem mihi charum fore, niſi ſolos illos, qui in uirtutem & recta atque honeſta facta aſsiduè incubuerint, & eos fuerint imitati, de quibus propheta ait. ibunt de uirtute in uirtutem, ut tandem aliquando omnes conſequamur, ut uideamus Deum Deorum in Sion. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

1. Cor. 4.

Gala. 6.

Pſal. 83.

ORATIO VIGESIMA SEPTIMA.

CVM generale concilium, quod Tridenti primum inchoatum fuit, nunc Bononiam tranſlatum, celebretur, neque mihi quemadmodum optaſſem, & Paulus ipſe tertius Pont. Max. uoluiſſet, per aliquot impedimenta, quæ & eidem Paulo, & ipſis concilij patribus ſignificaui, licitum ſit, ei concilio in præſentia intereſſe, aut potius ad illud, ubi antequam huc proficiſcerer, aderam, reuerti, dedi operam, ut, quod generalis concilij patres tempus impendunt inſtaurando Chriſtiano orbi, ego interea idem tempus reſtituendis huius ciuitatis, & diœceſeos meæ Fulginatis moribus impenderem. quare in primis, ut uetuſtiſsima ac ſanctiſsima patrum inſtituta, iam diu obſoleta in uſum reuocarem, per hos menſes inuiſi hanc diœceſim. quo peracto negocio, illud, quod ijdem præcipiunt, non neglexi, ut ſcilicet quotannis ſynodus haberetur, quę nimirum aptiſſima ad tollenda uitia & collapſos mores inſtaurandos eſt uia. uos ergo uenerandi fratres hanc ob cauſam, quemadmodum ſuperioribus diebus fuiſtis admoniti, uoluimus, ut hodie huc omnes ex tota diœceſi conueniretis, arbitrati non eſſe ſatis, quod bis per hoſce menſes totum huius ciuitatis clerum hoc in loco fuerimus allocuti, neque enim, quæ extra ciuitatem eſt pars diœceſeos, minima eſt, aut contemnenda; ſed eò ſtudioſius curanda, quòd epiſcopi ſui copiam habere non tam facile, quàm ij, qui in urbe habitant, poteſt. Verum, quod primum admonendi eſtis, illud eſt, me in hac uiſitatione, non eos uos repeririſſe, qui eſſe deberetis, paſtores uidelicet ac doctores, ut pleroſq; ueſtrum negociatores potius quàm ſacerdotes deprehenderim, & tantum abeſſe ut curetis pacatum habere inter ſe gregem ueſtrum, ut uos ipſi cum eodem grege lites & iurgia ac ſimultates exerceatis. qui enim fieri poſſet, ut, ſi uos ueſtro officio ſtrenuè fungeremini, tot lites, tot implacabiles iræ reperirentur, tot homines, qui uniuerſalem eccleſiæ Chriſti morem contemnunt, ſemel uidelicet per ſingulos annos confitendi coram ſacerdote peccata ſua, & accipiendi ſacratiſsimi corporis Chriſti? ue-

ſtra hęc, ueſtra inquam potiſsima incuria accidunt, quibus charior interdum equus aut canis eſt, & curatur ſtudioſius, quàm illę animę, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Quare obſecro uos per Dominum Ieſum, vt tandem aliquando paterna uiſcera induatis, vóſque paſtores ac patres eorum, qui ueſtræ curæ crediti ſunt, eſſe recordemini. Paſcite (ait Apoſtolus Petrus) quantum in vobis eſt, 1.*Pet*.5. gregem Chriſti, curam illius agentes non coactè, ſed uolentes, non turpiter affectantes lucrum, ſed propenſo animo. Mementote, uos eos eſſe, quibus dictum eſt, uos eſtis ſal terræ, quòd ſi ſal infatuatus *Mat*.5. fuerit, qua alia re ſalietur? uobis item dictum eſt, uos eſtis lux mundi. ſi hæc à uobis cogitarentur, non tam uós ipſi deijceretis, atque ad humiles ac terrenas occupationes demitteretis, à quibus ſi obruamini, quo pacto alios erigere eritis idonei? qui ſibi nequam eſt (ait *Eccl*.14. quidam ſapiens) cui erit bonus? ſi labor eſt, íſque non exiguus, ſuæ unius curæ incumbere, quantos eſſe oportet eos, qui regendis alijs præficiuntur? oporteret ſanè nos tantum uirtute cæteris antecellere, quantum primus Hebræorum rex Saul corporis mole reliquos ſuperabat. altior enim erat, ut teſtatur ſacra hiſtoria, uniuerſo populo ab humero & ſupra. at ne hoc quidem ſatis eſt, opus 1.*Re*.10. enim eſſet, ut tantum ſacerdos diſtaret à populo, quantum ouium paſtor ab ipſis ouibus, hoc eſt, ratione præditum animal ab iis, quę ratione carent. quod cum aſſequi nemo noſtrum poſsit, ſaltem id demus operam, ut uires, quas habemus, omnes in id opus impendamus, neque eas minuamus, dum in alias res, minimé que ad hoc negocium pertinentes inſumimus. nemo militans implicat ſe 2.*Ti*.2. uitæ negocijs, (ait Paulus) ut ei, qui ſe in militiam delegit, placeat. quod ſi in corporea hac militia tantum ſtudium adhibetur, ut nihil aliud, quàm res militares tractentur, quid in ſpiritali non eſt prę ſtandum, ubi non temporaria hæc ſed ęterna ſalus agitur? & tamen uideo in pleriſq; ueſtrum tam ſupinam negligentiam, ut multa temporaria negocia huic tantæ rei anteponatis, multí que ex uobis negociatores potius ſint, quàm ſacerdotes. nam, ut unum tantum pro exemplo commemorem, cum quis in parochum ſe locat, cum parochi officio, etiam agrorum locationem, quas uos cottimas appellatis, ſimul accipit. ex qua re, præter animi perturbationem, quæ maximo ad ea tractanda, quæ ad ſpiritum pertinent, eſſe ſolet impedimento, illud præterea accedit, ut lites contentionéſque cum

paro-

parochianis, hoc eſt, cum ueſtris ouibus habeatis, &, qui pacis au-
ctores eſſe deberetis, ipſi diſcordiarum cauſas excitetis, hoc profe-
ctò non eſt eſſe paſtorem, ſed mercenarium atque adeo lupum po-
tius. Quamobrem mutate, mihi credite, hanc mentem & hos mo
res, & primum ipſi uos componite, ne, cum uerba facere ad popu-
Luc. 4. lum oportet, dicatur uobis. medice cura teipſum. ſermo, inceſſus,
cultus, compoſitionem interioris hominis prę ſe ferant, neque cor-
ruptos huius ætatis mores attendatis, ſed potius obſeruate, quid
ueteres patres de ueſtris moribus & uita conſtituerint, uoluerunt
enim, ut ſcurrilia loquentes acerrimè corriperentur, tantum abeſt,
ut paterentur quenquam turpia atque obſcœna loqui. uoluerunt,
ut clericus iurans, ſi perſiſteret in uitio, excommunicaretur. quid
ſi deprehenſus fuiſſet quiſpiam blaſphemus, ut nunc inuenire exi-
guum negocium eſt, quid facturos fuiſſe cenſetis? hunc à clero o-
mnino ſubmouiſſent, atque exquiſitis pœnis caſtigauiſſent. man-
darunt, ne clericus ſolus cum fœmina loqueretur. domi uerò, qui
præter auiam, matrem, ſororem, hoc eſt, mulieres minimè ſuſpe-
ctas, habuiſſet, à communione alienus haberetur. præcipiebant,
ne clerici tabernas intrarent, ut ſpectacula fugerent, non celebra-
rent conuiuia nuptiarum, horis illicitis non ambularent. obſerua-
bant eorum inceſſum, ueſtes, calceamenta, deambulationes, bre-
uiter minima quæque. neque ſanè iniuria. cum enim ordo ueſter
iccirco conſtituatur, ut rectè uiuendi regula cęteris ſit, ubi quid
uitioſum in uobis deprehenditur, id accidit, quod in ædificijs uſu
ueniret, ſi regula, qua ædificatores utuntur, obliqua eſſet. nam
obliquum ædificium neceſſario ſequeretur. A uobis ergo eſt in-
choandum, & is uiuendi modus ſtatuendus, ut eccleſia Chriſti per
uos ędificetur, non ut deſtruatur. quòd ſiquis ex uobis (nam qui-
dam ueſtrum non ſatis bene audiunt) cogitat priſtinos mores ſer-
uare, hunc moneo, ut à Fulginate diœceſi recedat. fieri enim uix
poterit, ut, quamuis aſtutè celare uitia ſua curet, non tandem ali-
quando in caſſes incidat. nam eos exploratores conſtituemus, ut
euadere ſit difficile. reliquos uerò, quibus rectę atque honeſtę ui-
tæ adhęrere animus eſt, precor, per miſerationes Dei, ut hæc mea
monita eo animo amplectantur, quo à me proferuntur, atque offi-
cio ſuo ſtrenuè fungantur. curate in primis, quod in primis à uo-
bis Chriſtus poſtulat, ut uidelicet factis primũ, deinde prędicatione
uerbi

uerbi Dei paſcatis gregem Domini. in hoc toti incumbite, ſemper quidem, ſed feſtis præcipuè diebus, qui dies iccirco inſtituti ſunt, ut in eis populus Diuinis rebus operam det, qui niſi à vobis inſtruatur illis ipſis diebus, quo ſe pacto exerceat, quid facere rudes atque imperiti homines ſcient? docendi ergo aſsiduè ſunt, rogandi, adhortandi, monendi, corripiendi. prędica uerbum (inquit Paulus) inſta opportunè, importunè, argue, increpa, exhortare, cum omni lenitate & doctrina. Pręcipua uerò in prædicatione ueſtra cura ſit, inſerere in hominum animis amorem Dei, & fiduciam in eum, oſtendere quantæ illi ſimus curæ, quanti nos faciat, quanta pro genere noſtro egerit. qui proprio (inquit Paulus) filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia cum illo nobis eſt donaturus? longè maiore nos charitate proſequitur, quàm quæuis amantiſsima mater filium ſuum. uidete enim, quid ipſe dicat. nunquid poteſt mater obliuiſci infantem ſuum, ut non miſereatur filii uteri ſui? quòd ſi illę oblitæ fuerint, ego tui non obliuiſcar. Hæc atque huius generis alia identidem proponite, & eandem incudem frequenter tundite. nam hæc pręcipua uia eſt, qua homines à malefactis reuocentur, ne eum offendant, cui ſe tantum debere, à quo omnia, quęcunque habent, animam, corpus, opes, liberos, incolumitatem, uitam habere intelligunt. ex hac cogitatione etiam ad mutuum inter ſe amorem animabuntur, cum audient, nihil gratius ipſi tanto benefactori Deo fieri ab hominibus poſſe, quàm ſi inter ſe dilexerint. hoc peracto omnia eritis aſſecuti. in his enim duobus mandatis (ait Dominus) uniuerſa lex pendet, & prophetæ. Hęc à me breuiter, ne officio meo deeſſem, adhortandi ueſtri, atque ad optima quæque animandi gratia ſint dicta. reliquum eſt, ut conſtitutiones, quę mihi faciendæ neceſſariò uiſę ſunt, tum cleri, tum populi cauſa uobis hic per notarium recitentur.

2. Ti. 4.

Rom. 8.

Eſai. 49.

CON-

CONSTITVTIONES ATQVE ADMONITIONES factæ in ſynodo Fulgineæ habita, die X I I I I. menſis Nouembris. M D X L V I I.

IN nomine ſanctiſsimę atque indiuiduæ trinitatis patris & filii & ſpiritus ſancti. Iſidorus Clarius Dei & apoſtolicę ſedis gratia Epiſcopus Fulginas, clero & populo eiuſdem Fulginatis diœceſeos ſalutem & perpetuam fœlicitatem. Cupientes epiſcopalis uigilantię debito pro uiribus ſatisfacere, inuiſimus hoc anno diœceſim hanc noſtram Fulginatem, in qua, ut eſt hiſce miſeris temporibus conſentaneum, multa reperimus corrigenda, atque ad priſtinam eccleſiæ Chriſti regulam reformanda, è quibus ea, quę magis neceſſaria ſunt, exiguis his capitibus complecti curauimus.

Caput primum.

ATQVE illud in primis, quod multorum, ne dicam omnium malorum in eccleſia Chriſti cauſa eſt, caueatur, nè temere ac ſine iudicio ſacerdotes recipiantur, præſertim ad curam animarum. nam in hac uiſitatione deprehendimus maximam in eis ignorantiam, ut nonnulli non ſolum nihil eorum intelligant, quæ legunt, uerum ne rectè quidem legere ſciant, ut interim taceamus parum laudatam in aliquibus uitam. Quare mandamus, ne poſthac quiſquam cuiuſcunque gradus, ſtatus, conditionis, audeat ullum ſacerdotem in capellanum aut parochum accipere, niſi prius per nos, uel uicarium noſtrum de literatura, & uitæ probitate ſit diligenter examinatus, & licentiam à nobis acceperit, nec quiſquam ſacerdos ullo modo ſe admitti patiatur, ſine noſtra, ut ſupra dictum eſt, examinatione & licentia. Quicunque præceptum hoc noſtrum fuerit tranſgreſſus, & quotieſcunque id egerit, excommunicationis, & uigintiquinque præterea aureorum, noſtro arbitrio in uſus pauperum diſtribuendorum, pœna illi ſit. Hoc mandatum etſi ſuperioribus diebus promulgatum à nobis fuit, tamen ut ſeruetur diligentius, hic curauimus inſerendum.

Caput ſecundum.

DEprehendimus etiam illud prophetę, paruuli petierunt panem,& non erat, qui frangeret eis, nunc maximè dici poſſe,ſed illud mali adiectum eſt, quòd ita ſublatus eſt mos ille prędicandi uerbi Dei, ut pleriſque in locis ſi loqui ſacerdos uelit, & uerba ad populum facere, audire iam recuſent, ut rem ignotam, & nihil illis longius uideatur,quàm vt peracta re Diuina inde diſcedant. Qui autem fieri poteſt, vt populi Chriſtianos mores habeant, qui nunquam toto anno audiant leges Chriſti? ob hanc enim cauſam admonemur, vt omnibus locis omnibúſque temporibus meditemur in lege Domini. Quare mandamus, ut parochi poſthac ſaltem feſtis diebus uerbum Dei populo annuntient, qui ſi tam neceſſario muneri defuerint, iuſtis in eos pœnis animaduertemus, noſtro arbitrio imponendis, atque, vt ſupra dictum eſt, diſtribuendis. Tre.4.

Caput tertium.

IN miſſæ quoque celebratione obſeruauimus quoſdam in canone miſſæ poſt uerba conſecrationis tam corporis quàm ſanguinis Domini, quædam alia uerba interſerere ſuo arbitrio, quod valde temerarium eſt, & dum ſe ſtudere putant pietati, ſacratiſsimum illum verborum ordinem contextúm que corrumpunt. idem faciunt in fine miſſæ, vt pro principio Euangelij ſecundum Ioannem, quod ſanctiſsimè & magno conſilio inſtitutum eſt,ut dicatur quotidie, aliud Euangelium breuitatis cauſa legant. Caueant ergo, ut nihil mutent, neque addant,neque minuant præter ordinem, qui à ſancta Romana eccleſia traditus eſt.

Caput quartum.

VT etiam corruptis moribus occurratur,pręcipimus & prohibemus, omnibus & ſingulis ſacerdotibus eiuſdem ciuitatis & diœceſeos, aut in ipſa habitantibus, ne audeant vllo modo blaſphemare, maledicere, aut inhoneſtè appellare nomen Dei, & Chriſti eius, aliorúm que ſanctorum, ſub pœna carceris & ſcutorum ſex aureorum, noſtro arbitrio, vt ſupra dictum eſt, ap-

plicandorum, quicunque & quotieſcunque id egerit. fides autem adhibebitur accuſatori iuranti, & vni teſti fide digno, dabitúr que illi pars quarta pœnę, ſecretúm que tenebitur.

Caput quintum.

SIgnificatur etiam omnibus & ſingulis, caſtigationem ſeuerisſimam adhibendam eſſe in eos, qui auſi fuerint aliquo modo tenere concubinas, & committere adulteria, ſtupra, & alios actus fornicarios, & eorum accuſatoribus dabitur bona pars pœnę, in quam tranſgreſſores inciderint, & ſecretum tenebitur.

Caput ſextum.

EXpreſſe etiam prohibemus omnibus & ſingulis ſacerdotibus, & alijs in ſacris ordinibus conſtitutis, ne vllo modo audeant ludere ludo alearum, aliorúm que ludorum, qui prohibentur, ſub pœna ſcutorum aureorum quatuor, ut ſupra dictum eſt, applicandorum, quicunque & quotieſcunque tranſgreſſus fuerit, atque in hoc caſu fides adhibebitur accuſatori iuranti cum uno teſte fide digno, & quarta pars pœnæ eidem accuſatori dabitur, ſecretúm que tenebitur.

Caput ſeptimum.

VEterum quoque conciliorum exemplis admoniti prohibemus, ne quiſquam ex clero iurgijs & conuicijs, & quouis genere illicitę altercationis cum aliquo cótendat, quod qui fecerint, pro delicti & perſonæ qualitate, noſtro arbitrio caſtigabuntur.

Caput octauum.

OBſeruauimus etiam in viſitationibus paſsim hunc errorem irrepſiſſe, ut, qui aliquid offerunt ad altare, velint ſua no-
Mat.6. mina edici. hoc quid aliud eſt, quàm tuba canere ante ſe, & accipere mercedem ſuam? quemadmodum Dominus in Euangelio admonet, quòd ſiquis exiſtimat non prodeſſe animabus vel defunctorum vel uiuorum, niſi offerentium nomina exprimantur, ut pro eis fiat precatio, eſſet hæc ſuperſtitio non ferenda. Quare poſthac ſacerdotes dicant quidem oblationes eſſe factas, petánt q;, vt pro

vt pro eis oretur, ſiue viuis ſiue mortuis, pro quibus facta oblatio eſt, ſed eorum, qui obtulerunt, non exprimant nomina, quia tam multi plerunque ſunt, vt tempus illud, quod prædicando verbo Dei erat impendendum, exprimendis ijs nominibus ſuperuacuè impendatur.

Caput nonum.

PRohibemus etiam & præcipimus omnibus & ſingulis dictæ diœceſeos, & in ea habitantibus tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, cuiuſcunque gradus & conditionis ſint, ne audeant pro ſepultura cuiuſcunque, qui in eorum eccleſijs ſepeliendus ſit, vllam pecuniæ quantitatem poſtulare, aut mercedem aliam, quia ſimoniacum eſt, nec omnino licet, ſed liberè permittant ſepulturam, ſub pœna, vltra legales pœnas, noſtro arbitrio imponenda, atque, ut ſupra dictum eſt, applicanda, tenebuntúr que ad reſtitutionem pretij, quod accepiſſent.

Caput decimum.

ATque vt confuſio tollatur, quam in aliquibus parochijs reperimus, dum neſcitur, qui in paſchate confeſsi ſint, & communicauerint, volumus, vt quicunque alij, quàm parocho ſuo, de eiuſdem tamen parochi licentia, confeſsi fuerint, chirographum à confeſſario ſuo accipiant in teſtimonium, & parocho ſuo deferant, alioqui pro non confeſsis habebuntur, & cenſuris eccleſiaſticis contra eos agetur. neque quiſquam ſine licentia ſui parochi extra parochiam ſuam communicet. decet enim, & vnuſquiſque uultum ſui pecoris agnoſcat, ne ſint tanquam oues non habentes paſtorem. Declaramus quoque, quòd in prædictis caſibus procedemus per accuſationes, inquiſitiones, & quouis alio meliori modo, reſeruantes nobis auctoritatem moderandi in quibus videbitur caſibus. Audiſtis venerandi fratres, quæ à nobis, tum veſtræ, tum populi vtilitatis gratia ſunt conſtituta. quæ ergo ad uos pertinent, ea vobis cordi ſint; reliqua in veſtris parochijs legite, ne quis prætexere poſsit ignorantiam. Reliquum illud eſt, vt me veſtris apud Deum quotidianis precationibus iuuetis, ut tantum onus, quod imbecillis humeris meis im-

poſitum eſt, vobis adiuuantibus facilius feram. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO VIGESIMA-OCTAVA.

FACILE mihi ſuperiore anno perſuaſiſſem Reuerendi fratres, non admodum hoc anno repetita ſynodo opus futurum fuiſſe, uerum in ipſa viſitatione animaduerti, hanc ueſtri conuocationem eſſe omnino neceſſariam ex ijs cauſis, quas à me eſtis hodie audituri. Primum enim uideo tam exiguam habitam rationem eorum, quæ in priore ſynodo conſtitueramus, vt pleroſque veſtrum deprehenderim inter viſitandum, nondum deſcripta habere capita conſtitutionum, quę in eadem ſynodo fuerunt factę, tantum abeſt, vt eas populum admonuerint, docuerint que ſeruandas, qui error originem habet ab ea re, quę omnium reliquorum errorum eſt cauſa, neglectus videlicet ſalutis animarum. Non meminiſtis, vobis
Mat. 5. dictum eſſe à Seruatore Chriſto, vos eſtis ſal terræ, &, vos eſtis lux mundi, vt & veſtra ſapientia condiatur, quicquid eſt in ſubiectis veſtris inſipidum, & veſtræ cum vitæ, tum doctrinæ lumine, tenebræ à fidelium cordibus expellantur. non meminiſtis, vos eſſe paſtores, aut, ſi hoc ſcitis, maior paſcendi veſtri cura vobis eſt, quàm gregis Chriſti, nec illę prophetarum minæ veſtras aureis circunſo-
Eze. 34. nant. vę paſtoribus Iſraël, qui paſcunt ſemet ipſos. tam multa vobis ſępius cum priuatim tum publicè dixi, quàm ſit neceſſaria verbi Dei prędicatio, vt ſaltem ſingulis Dominicis diebus ſpiritualis alicuius cibi alimento grex Chriſti reficiatur, & tamen nimis frigidè video rem tantam tam que neceſſariam tractari, quę res ſi accuratius fieret, neque tanta laboraretur fame verbi Dei, non eſſet in populis illa in moribus ac vita peruerſitas. addam & aliud. uos ipſi maiore victus copia frueremini. cum enim populi vos verè eſſe paſtores agnoſcerent, quod hactenus veſtra culpa non potuerunt, longè

longè maiorem ueſtri curam ſuſciperent, inciperéntque vobis aſſici vehementius, quod facile intelligere poteſtis ex ijs, quæ agi iam cœpta ſunt. qui enim ex vobis cœperunt paſtorem agere, mox oues vocem eorum agnouerunt, ut facilè perſpiciatur, eam populorum à charitate in ſuos ſacerdotes auerſionem, ab hoc vno profectam, quòd vos nunquam, vt verè paſtores eis prębuiſtis, atque iccirco, quod paſsi eſtis hactenus, uos ipſi vobis acccerſiuiſtis. nam quod ait Paulus, presbyteri duplici honore digni ſunt, maximè qui laborant in uerbo & doctrina, id ſubiecti nullo docente præſtarent, inuitante illos ipſos labore paſtoris ac cura. Neque verò mihi nunc objiciatis ignorantiam, quę quamuis ingens ſit, quemadmodum ſuo loco oſtendemus, non tamen ad uos excuſandos idonea eſt. nemo enim tam rudis eſt, vt, modo afficiatur ſuo gregi, non inueniat ſemper, quod die Dominico ſit dicturus, ſi quotidie vel dimidiam horę partem cogitet, quid dictu ſit neceſſarium. ſi enim in temporarijs negocijs nemo veſtrum tam infans eſt, qui non eloquens euadat, ob vnam nimirum cauſam, quòd cordi illi ſunt, multò certe maior à ſpiritu Dei verborum copia ſuppeditaretur, ſi ex animo negocium Euangelicum tractaretis. neque verò exiſtimetis minus ad uos pertinere hoc paſcendi munus, quàm ad epiſcopum. videte enim quo vos loco Paulus ponat, qui de epiſcopis uerba faciens, cum dixiſſet, quales eos eſſe oporteat, & quę facere, & à quibus abſtinere, prætermiſſo gradu presbyterorum ad diaconos tranſijt, oſtendens per hoc, non multum inter utrunque intereſſe, cum ęquè & ipſi ſuſceperint docendi munus, & eccleſiæ pręfecturam, & quę de epiſcopis dixerat, eadem & presbyteris conueniant. ſola uerò electione, & ordinum collatione epiſcopi presbyteris antecellunt. Cogitaui tamen, dum ueſtra hæc vel deſuetudo uel inertia perdurat, iuuare uos, dato concionatore, qui totam diœceſim per totum annum concionando circueat, quem ut adiutorem ueſtri laboris in hiſce initijs accipietis, non ut ſub hoc prætęxtu euadatis inertiores. Quod uerò ad ignorantiam pertinet, ea monſtroſa profectò eſt in maxima ueſtri parte, eáque in rebus maxime neceſſarijs, ut in ſacramentali abſolutione, ut quoſcunque interrogaui ſuper hac re, omnes pręter ünum aut alterum, illam ignorauiſſe deprehenſi ſint, & quidam eam tantum partem, quę ad excommunicationem pertinet, pronuntiantes, illam à peccatis abſolutionem prętermit-

1. Ti. 5.

2. Ti. 3.

termitterent. In miſſę item celebratione tam multa peccantur, ut, ſi uelim ea numerare, tędio ſitis afficiendi, ſed breuitatis gratia man dabo cuipiam ex ijs, quos peritiores agnoſco, qui uos hæc doceat. Et hæc quidem, atque eius generis plura iccirco eueniunt, quia aua ritię ſtudio toti addicti eſtis & lucro, adde & gulæ. nam audio pleroſque ueſtrum, cum ad nouendialia atque eiuſmodi officia accer ſuntur, plura requirere cibaria, neque ijs contentos eſſe, quæ ij, qui uos hoſpitio accipiunt, offerunt liberaliter, aut, ſi is dies ſit, in quo ieiunium obſeruetur, non uerentur ijs cibis ueſci, qui per eiuſcemodi dies prohibentur. prętereа incompoſitè degunt, & moribus ac ſermonibus quiduis aliud, pręter illud, quod profitentur, referunt, & qui ſua pręſentia ędificationi eſſe ſuis hoſpitibus debuerant, & ſignum aliquod religionis prębere, ſunt illis potius offendiculo. Accedit alius error, nam, dum cupitis eodem die pluribus in locis intereſſe maioris lucri gratia, accidit interdum, ut, cum omnes alijs locis rem Diuinam fecerint, deeſſet qui miſſam celebraret. iungunt ſe prætetea ſacerdotibus ij, qui ſunt inferioris ordinis clerici, & fruſtra oneri ſunt ijs, qui uos hoſpitio ſuſcipiunt, quod ut poſthac caueatur, uolui admonere. Eiuſdem auaritiæ ſtudio, cum mortuorum exequię fiunt, plures eunt, quàm accerſantur, & plus ęquo mortui domum grauant. Scio poſſe pleroſque ueſtrum excuſare inopiam, quòd ij, quorum uices gerunt, nimis tenuè ac exile ſtipendium prębent. quare huic rei proſpiciemus, ſtatuemúſque quid hac in parte cuique ſit agendum, re enim uera res eſt abſurdiſsima, ut qui nihil agunt, prouentus habeant, ij uerò qui pro eis toto anno defatigantur, continua laborent egeſtate. At inquient, exiguus etiam noſter fructus eſt, illud exiguum totum da, aut tu exerce officium tuum, quod teneris, ſi Geennę ignem euadere uis. ſatis enim puto, me aliâs uobis oſtendiſſe, diſpenſationes illas ueſtras, & in reſidentia non facienda, & in beneficijs, quę incompatibilia uocantur, atque in cęteris eiuſmodi abuſibus, qui pręter ſedis apoſtolicæ intentionem proculdubio irrepſerunt, maxima ex parte eſſe non diſpenſationes, ſed diſsipationes, neque tutam ueſtram efficere poſſe conſcientiam. nemo tibi (ait quidam uir ſanctiſsimus) de diſpenſatione apoſtolica blandiatur, cuius conſcientiam Diuina ſententia tenet alligatam. Sed ut reuertamur ad id, quod dicebamus de exequijs, alius eſt in ciuitate abuſus, ut omnes,

quot-

quotquot poſſunt, lucri nimirum ſpe, accurrant ad eas, rei uerò Diuinæ feſtis diebus intereſſe recuſent, quod certè nullo modo ferendum eſt. quare id uelim archidiacono ſit curæ, ut quicunque feſtis ſaltem diebus chorum pſallentium non frequentant, nullum ſentiant in exequijs emolumentum. Et, quia chori facta mentio eſt, doleo uehementer, tam exiguam atque adeo tam nullam potius reuerentiam ſanctiſsimo loco illi haberi, non intelligitis, uos ibi miniſterio fungi angelorum, & in conſpectu Dei & angelorum eius *Pſ.* 137. pſallere? quo animo poteſtis eo tempore nugis indulgere, & uerba interdum proferre indigna uobis, nedum ſancti illius loci ueneratione? hoc ego quidem cum hactenus minus diſsimulauerim, ultra non feram, & grauioribus conſtitutis poenis, eos, qui præceptum hoc meum contempſerint, caſtigabo. in pſallendi item officio eſtis negligentiſsimi, ut interea de tota corporis compoſitione taceam, cui etiam utrique rei remedium adhibebimus. Reliquos uerò in erroribus abuſus quis enumeret? primum plerique ueſtrum ita temere iurant, ut per ſingula penè uerba nomen Dei & ſanctorum interſerere non uereantur. hoc quàm à periurio parum diſtet, ueſtrum ipſorum ſit iudicium, in quod periurium uix fieri poteſt, ut illa crebro iurandi facilitas non trahat. non meminiſtis, à Seruatore Chriſto nos moneri, ut omnino à quouis iurandi modo abſtineamus? ſed ſermo ueſter (inquit) ſit, eſt eſt, non non. & *Mat.* 5. hoc malum omnino tollendum eſt, quare decreui, eos, qui hac in parte peccauerint, eadem aut non admodum diuerſa pœna afficere, quę in ſuperioris anni ſynodo aduerſus blaſphemos p̄olata à nobis fuit. Prohibueramus item ſuperiore anno ludos, qui clericos non decent, ſed audio uos nunc ſpectare ludentes, quod à priore uitio aut nihil aut perparum differt. ſciat ergo quiſque ueſtrum, quicunque ſpectator ludentium eſſe uoluerit, illum eadem, qua ludentes ipſi, pœna eſſe afficiendum. Non pudet, tempus, quod ad tollendam ueſtram tantam literarum ignorationem fuerat impendendum, tam ſceleratè diſperdere? quid dicam de ueſtitu cultúque corporis? ut à planta pedis uſque ad uerticem nihil uideatur ineſſe ſanitatis, & plerunque acciderit, ut aliqui è ſacerdotali ordine me adierint, quos clericos eſſe non agnoſcebam. huic etiam parti cauimus in iis conſtitutionibus, quas non ita multò poſt eſtis audituri. Audio uerò nonnullos poſt occaſum ſolis clericali ueſti-

tu depoſito, alium inducere, qui quam pœnam expectent, tum demum intelligent, cum à me deprehenſi caſtigabuntur. alij uerò prę ſertim iuniores, uel inter ſe, uel etiam cum alijs è populo urbem perambulant, feneſtras circunluſtrantes, qui & ipſi in eodem, ſi idem agere perſeuerauerint, cum ſuperioribus ordine collocabuntur. Illud etiam magnam mihi admirationem parit, iuniores clericos tam à diſciplina eſſe alienos, ut nihil minus, quàm ſe clericos eſſe, & ad tractanda Diuina myſteria formandos intelligant. quotidianis luſibus operam dant, &, cum magiſtrum habeant, qui gratis eos doceat, illum contemnunt. plures iam menſes archidiaconus meo iuſſu ſcripturæ ſacrę lectionem inſtituit, ad quam omnes certatim accurrere debueratis, & tamen tantum uos munus minimè agnoſcere uideo, & quod ueſtris etiam ſumptibus quærere debueratis, hoc gratis oblatum reſpuitis. niſi enim ſacris literis, quibus ab infantia aſſueſcere debent ueſtri ſimiles, in hac ſaltem ætate operam detis, cui futuri eſtis uſui? hæc nemo ueſtrum cogitat, ſed tantum ad eccleſiaſticos gradus curſu concitatiſsimo quiſque properat. ut quid? nempe ut lucri aliquid ex eccleſiaſticis negociis facere incipiat. ita res eccleſiaſticæ nihil aliud factę ſunt, quàm nundinæ ac negociationes, & dum tam monſtroſi abuſus perdurant, nulla inſtaurandæ Chriſtianę rei ſpes reliqua eſſe poteſt. uerum veſtræ huic ſocordiæ occurram neceſſe eſt, & diligenter caueam, ne quenquam ad ſacros ordines promoueam, qui primum uitam probatiſsimam non prę ſtet, ut uerè uideatur, non opum & pecuniarum parandarum gratia, ſed tantum ut Dei ſe miniſterio dedicet, uelle in clerum admitti, deinde eam literarum peritiam habeat, quæ his gradibus eſt neceſſaria. Et hęc quidem, quæ ad ueſtros mores pertinent, quàm potui breuiſsime complexus ſum, ut uos, quæ iudicaui magis eſſe obſeruatu neceſſaria, admonerem. reſtat, ut quædam alia commemorem, quę ſcire omnino uos oportet, & in quibus ignorantes interdum erratis. Audio quoſdam ſecreta illa, quę in miſſa tantum ſunt dicenda, legere, cum mulieres doloribus partus uexantur. quo id more? quo exemplo? qua ſanctorum patrum auctoritate? non pudet, uos in rebus tanti momenti tam eſſe ſupinos? idem error eſt quorundam, qui chriſmate ungi poſtulant comitiali morbo laborantes nam hoc ſanè maximum crimen eſt, uti uel ſacramentis uel rebus ſacramentalibus alio

alio modo quàm fuerunt inſtituta. Et, quia chriſmatis facta mentio eſt, adhibete curam, vt vaſa, in quibus ſacrum chriſma accipitis ac tenetis, uitrea non ſint, ne caſu aliquo frangantur, & chriſma pereat. Et quoniam in his uiſitationibus comperimus quoſdam, qui hactenus neque exhomologeſim anniuerſariam peccatorum feciſſent, neque Domini noſtri corpus de more accepiſſent, quibus certos dies præfixeramus, quicunq; ueſtrum in ſuis parochijs aliquem huius generis habet, antequàm ex urbe hac diſcedat, nos adeat. nam caſtigandi omnino ij ſunt, neque ultra ferendi, ne eorum morbus ſua contagione alios inficiat. Nunc tempus eſt, conſtitutiones uobis proponere, quæ cum ob ueſtram tum ob populi utilitatem à nobis ſunt factæ. Legat notarius.

CONSTITVTIONES ET ADMONITIONES
factæ in ſynodo Fulgineæ habita, die XXII. menſis Octobris. anno Domini MDXLVIII.

IN nomine ſanctiſsimę & indiuiduæ Trinitatis patris & filij & ſpiritus ſancti. Iſidorus Clarius, Dei & apoſtolicę ſedis gratia epiſcopus Fulginas, clero & populo eiuſdem Fulginatis diœceſeos ſalutem & perpetuam felicitatem. Cum in hac huius anni uiſitatione quædam deprehenderimus, quę uel minus ſuperiore anno fuerunt obſeruata, uel ad tempus diſsimulanda iudicabamus, ea nunc in hac ſacra ſynodo uos paucis hiſce capitibus admonere curauimus.

Caput primum.

MAgnam deprehendimus in ueſtitu clericorum licentiam. ut plerunque nihil à prophanis differant, ne dicam eos ſuperent. quocirca ne poſthac quiſquam excuſationem non factæ aut præuiæ monitionis prætexat, hac noſtra ſynodali conſtitutione omnes, quotquot ſunt in noſtra diœceſi conſtituti, clericos, qui habitu minus decenti utuntur, monemus, ut infra tres menſes, quorum ſingulos pro ſingulis dilationibus, tertium uerò uti peremptorium terminum præfigimus, habitum, qui clericos deceat, reaſſumant, alioquin ipſo facto, nulla poſthac alia monitione expectanda, in cenſuras ac pœnas conſtitutionum cano-

 nicarum

nicarum, ſiue etiam noſtro arbitrio, prout expedire uiſum fuerit, ponendarum, incurſuri.

Caput ſecundum.

VIdimus etiam eos, qui eccleſias aliis regendas committunt, ita interdum omnem penè prouentum emungere, ut reſiduum, quod detur ei, qui regendę eccleſiæ prępoſitus eſt, nimis tenue ac exile ſit, ut cibum uicatim diſcurrentes emendicare cogantur, & toti in hoc occupati curam negligant animarum. quare admonemus patronos parochiarum, ut per totum hoc ſequentium duorum menſium ſpatium tantam portionem iſtis aſsignent, ut congruam ſuſtentationem habere poſsint. quod niſi fecerint, nos auctoritate nobis à ſacris canonibus, & præſertim à Tridentino concilio conceſſa, uſuros eſſe ſignificamus?

Caput tertium.

ARmorum delatio non milites Chriſti, hoc eſt, clericos decet. arma enim militiæ noſtrę (ait Paulus) non carnalia ſunt. nemo ergo poſthac ferre arma audeat, tam defendendi, quàm offendendi gratia, ſub pœna, ſi hoc interdiu fiat, decem ſcutorum aureorum, ſi noctu, dupli, noſtro arbitrio in pios vſus diſtribuendorum, quicunque ex clero & quotieſcunque id fecerit. fides autem habebitur accuſatori iuranti, & vni teſti fide digno, & dabitur ei quarta pars pœnæ, ſecretúm que tenebitur.

2. Cor. 10.

Caput quartum.

EXperimur, ex clandeſtinis matrimonijs abſurda oriri quàmplurima, quæ matrimonia ita ſemper ab eccleſia damnata fuerunt, vt inueniatur, à ſanctis apoſtolis eorúm que ſucceſſoribus traditum, illa non eſſe coniugia. quare mandamus, vt ab ijs abſtineatur, ſub pœna excommunicationis, in quam uolumus huius præcepti contemptores ipſo facto incurriſſe.

Caput quintum.

ACcedentibus ad ſponſas pluſquam tertiò ante confirmatum per verba de pręſenti matrimonium, pœna excommunicationis ab anteceſſoribus noſtris fuit appoſita, ſed cernimus

nimus eam, nulla habita tantæ pœnæ conſideratione, tranſiliri. quare iudicauimus etiam pecuniariam eſſe addendam, vigintiquinque videlicet ſcutorum aureorum, vt ſupra dictum eſt, diſtribuendorum, quicunque & quotieſcunque tranſgreſſus fuerit. fides autem habebitur accuſatori iuranti, & vni teſti fide digno, & dabitur ei quarta pars pœnæ, ſecretumque tenebitur.

Caput ſextum.

ADdentes ſexto capiti conſtitutionum, quæ in ſuperiori ſynodo factæ fuerunt, declaramus, in eandem pœnam eos incidere, qui ludentibus interſuerint ſpectatores, quam contra ipſos ludentes tunc protulimus.

Caput ſeptimum.

OBſeruauimus, multos dies feſtos præter eos, qui à ſancta Romana eccleſia antiquitus inſtituti ſunt, in eccleſiam irrepſiſſe, quorum multitudo id effecit mali, ut ne illi quidem, qui celeberrimi eſſe debent, præſertim Dominici, cuſtodiantur, & præterea multi, qui ſibi quotidiano labore victum quęritant, damnum non exiguum patiantur, dum per huiuſcemodi dies ocioſi eſſe coguntur. quare ſuper hac re ſedem apoſtolicam conſuluimus, & ſanctiſsimi Domini noſtri Pauli viuæ vocis oraculo facultatem accepimus huius erroris corrigendi. Statuimus ergo, vt præter eos dies, qui notiſsimi ſunt, & ab vniuerſali eccleſia antiquitus obſeruati, & diem ſancti epiſcopi ac martyris noſtri Feliciani, reliqui dies ſint liberi cuique ad opus exercendum, & ea agenda, quę parando victui ſunt neceſſaria. Explicatiorem verò horum dierum enumerationem parochis dabimus, qui eam populum doceant.

Declaramus quoque, quòd in prędictis caſibus procedetur per accuſationes, inquiſitiones, & quouis alio meliori modo, reſeruantes nobis auctoritatem moderandi in quibus videbitur caſibus.

Et hæc quidem hactenus, quę cum omnia obſeruatu digna ſint, illud tamen, quod reſtat dicendum, quæſo vt tota mente atque omni animo percipiatis. Video nos, qui lucem præferre aliis debueramus, in rectè factis à viris ac mulieribus ſuperari. iam enim non virorum tantum, ſed mulierum etiam ſocietates quędam fiunt, quę

certatim factis Chriſtiano homine dignis operam dant, nos verò inertes atque infructiferi degimus. quòd ſiquis veſtrum commoueri interdum incipit, atque ad aliquid agendum incitari, cum non inueniat è cœtu veſtro, quibus adiungatur, vel quos ipſe ſibi adiungat, in eorum, quos dudum dixi, ſocietatem ſeſe interſerit, & qui è clero ſunt, laicorum inſtitutis, vt aliquid melioris vitæ ſibi comparent, ſubijciuntur. quod quamuis ita mihi abſurdum viſum fuerit, vt cogitarem, eos, ne id agerent, prohibere, hoc enim in maximam cleri ignominiam redundare, abſtinui tamen, cum illi ipſi, qui id agunt, ſignificauerint mihi, ſe non exiguam iacturam facturos, ſi ab eorum cœtu diſceſsiſſent. O' dedecus. ita non reperiri
Mat. 18. aliquot inter uos, de quibus dicere Dominus poſsit, vbi fuerint duo uel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. quo autem pacto congregare alios poteritis, cùm ſitis ipſi diſsipati? quo modo alios ad rectè facta adhortari, ipſi omnibus rectis & honeſtis factis deſtituti? Vos in primis eſtis, quibus idem Dominus dixit,
Mat. 5. luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. & tamen nullam cernunt homines lucem à nobis proficiſci. atque vtinam non eſſemus interdum tenebræ, qui lux eſſe debueramus. Optarem ergo, vt huic proferendæ luci initium aliquod præberemus, atque hi anniuerſarij conuentus fructum ferre aliquando inciperent. hoc autem initium non poteſt ab vlla re alia aptius inſtitui, quàm ab ea, quæ cœlum fidelibus conciliare idonea eſt, hoc eſt, ab eleemoſyna, quod hoc præſertim anno fieri opportuniſsimum eſt, quo annonę charitas quotidie videtur increſcere. hoc enim dandę eleemoſynę propriè tempus eſt. nam in alimentorum copia minus eſt neceſſarium. cum verò ipſi minus habentes, hoc pręſtamus, plenum efficitur, ac Deo acceptiſsimum ſacrificium. hanc enim ob cauſam laudauit Paulus eccleſias Macedonię, quòd profunda paupertas illorum abundauerit in diuitias ſimplicitatis ipſorum. Quare obſecro vos chariſsimi fratres per Dominum Ieſum, qui, cum diues eſſet, propter vos pauper factus eſt, vt vos illius paupertate ditaremini, vt
Soph. 3. vno conſenſu, vel, vt ait ſcriptura, humero vno in hoc incumbatis, & quiſque veſtrum pro facultate, atq; adeo aliquantò amplius, quàm veſtra videatur uobis facultas poſſe, in medium afferat ſuam tritici portionem, quo munere leuior fiat pauperum Chriſti inopia.

nullus excuſationis prætextus tam pio recuſando muneri idoneus poterit reperiri. quid enim? inopiam proponetis? occurrat vobis Sareptana mulier, & Euangelica uidua, quarum altera ex pugillo farinę, quę ſuperfuerat, prius ſubcineritium panem Elię fecit, quàm ſibi ac filio, altera duo minuta ęra, hoc eſt totum victum ſuum miſit in gazophylatium. Anni anguſtias excuſabitis? at ob hanc iſtam cauſam poſtulo vt manum in his rerum anguſtijs porrigatis. quid ergo? dicetis fortaſſe, vnumquenque ſeorſum eleemoſynam præſtaturum? ſed ne hoc quidem communi huic muneri ęquari dignitate ac fructu poterit. maior enim ad gloriam Dei acceſsio fiet, veſtra hac in communi facta oblatione ex dimidio, quàm ſi priuatim fiat ex duplo. maior item fructus accreſcet. nam hoc exemplo ciuitas tota animabitur ad multò maiora præſtanda quàm hactenus fecerit, & bonorum omnium, quę hinc proficiſcentur, veſtra vobis portio reſeruabitur. Quid de ciuitate loquor? tota medius fidius hęc prouincia, & præſertim uicinarum ciuitatum cleri, in odorem horum unguentorum current, & Fulginas clerus hac perpetua, & immortali gloria honeſtabitur, quòd primus tanti boni ac tam admirandi exempli auctor fuerit. Vrbs ipſa Roma profectò hunc huius facti rumorem exaudiet, & Paulus ipſe pont. max. ad benignè huic clero faciendum animabitur. Ne quæſo in tanto rerum cardine ceſſetis, né ve tam felicem occaſionem prætereatis. ut in nobis honorificetur Deus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORA-

ORATIO VIGESIMA NONA.

OPORTERE quidem ſingulis annis à me ſynodum cogi, & uos Reuerendi fratres huc conuenire, nihil eſſe cuiquam mirum debet, cum patrum decreta id iubeant, à quibus recedere non eſt tutum, uerum tam parũ ex tanto meo ſtudio tantiſq; laboribus profici, hoc non exigua dignum eſt admiratione. tertius iam hic annus eſt, & Euangelicam hanc ficulneam penè ſine ullo fructu eſſe reperio. proverbium eſt, neminem repente ſummum fieri, ſed in tanto interuallo uel mediocrem non euaſiſſe, pudendum omnino eſt. & profectò nihil mihi longius uidetur, quàm ut ueniant dies, quibus ſola gratulationis uerba ex hoc loco proferenda mihi ſint. uerum dum in hoc rerum ſtatu degimus, cogor ea dicere, quę mihi quidem dictu moleſta ſunt, uobis autem audituris futura ſunt ſalutaria, ſi eo, quo à me dicuntur, animo accipiantur. Ego ex quo tempore uobis epiſcopus datus ſum, in primis animum adieci, ut cleri mores inſtaurarentur, qui mihi regendis aliis adiumento eſſe poſſent, qui etiam, niſi ipſi primum rectè inſtituti eſſent, prodeſſe alijs nequirent. ſed uideor mihi dicere quod Iudeis Seruator Chriſtus obiecit, cum dixit. cui ſimiles dicam homines generationis huius? ſimiles ſunt pueris ſedentibus in foro & loquentibus inuicem, & dicentibus, cantauimus uobis tibijs, & non ſaltaſtis, lamentati ſumus uobis, & non planxiſtis. nullum enim non lapidem moui, vt tanquam lucernę ſuper candelabrum poſitę luceretis in domo Dei. publicè ac priuatim laboraui arguendo, obſecrando, increpando, & quamuis nonnihil omnino ſit factum, illud tamen ita exiguum eſt, ut uix appareat, ſed prioris adhuc uitæ conſuetudine ſuffocetur. & ſanè miror, cum iam ſatis conſtet, me, cum optem clerum omnem eſſe honeſtiſsimum, nemini tamen fauere decreuiſſe, niſi qui mores clero dignos induerint, & præterea eos ſeueriſsimè caſtigaturum, qui recta ingredi uia neglexerint, pleroſque ueſtrum nec præmiorum ſpe, nec pœnarum metu à ueteri uia reuocari. & quamuis omnes ad honeſtę uitæ inſtitutum inuitauerim, cum tamen

Adag. *Luc. 7.*

tamen ſcirem, eos, qui iam callum obduxerunt, minus facilè formari poſſe, ſpem habebam, fore, ut adoleſcentiores clerici non ita magno cum labore ad meliorem frugem perducerentur. quare certum eis magiſtrum meis ſumptibus præparaueram, uiuendi ordinem tradideram, & ecce paucos poſt dies audio omnes ab illis inſtitutis receſsiſſe, &, quod me magis excruciauit, à quibuſdam è ſacerdotibus fuiſſe auocatos, atque ad ioca & luſus tractos. Inſtitueram præterea ſcripturæ ſacrę lectionem, ut omnes è clero haberent, unde proferrent noua & uetera. expectabam ut tantum bonum ueſtrum agnoſceretis, at eandem ſtupiditatem etiam in hac parte reperi. quod ſi præcipere uolo, ut ad eam lectionem accedatis, iniuria fit tanto muneri, pro quo immenſas agere gratias debueratis, & tamen tantus contemptus caſtigandus eſt. quare mandabo, ut iis, qui hac in re fuerint negligentiores, aliqua certa pars quotidianarum diſtributionum auferatur. Me miſerum, quid reliquum eſt, quod ab hoc cœtu expectem boni, quando ij, qui ſpes mihi erant gregis, à recto propoſito auelluntur. interea miror, quid adoleſcentiores hi clerici cogitent. nam inopes omnes ſunt, intelligere præterea poſſunt, nolle me ijs fauere, qui eiuſmodi uitam ſibi inſtituerunt. quid igitur reſtat, niſi ut, ſi ſtipites omnino non ſunt, uel è clero recedant, qui nondum ſacris ſunt initiati, uel reſipiſcant aliquando, quod ſanè opto ac precor. uos uerò ſacerdotes moneo, ut non ſolum iuniores non auocetis à recta uia, uerum etiam & uos in eam ingrediamini, ut tandem habere incipiam tanti laboris adiutores. non pudet è tanto ſacerdotum numero uix ullos reperiri, quibus ad egregium ullum opus utar, ut neceſſe habeam prophanis hominibus uti ad omnia pietatis opera exercenda, quę per eccleſiaſticorum manus eſſent in primis adminiſtranda? non agnoſcitis, hoc in ingens ueſtrum dedecus redundare? atque utinam, ſi ornamento eccleſię eſſe non uultis, non ſaltem notam ueſtro ordini inureretis. nam propter uos nomen Dei malè audit, dum ſępiſsimè ſcandala à uobis oriuntur, & alii ſeſe inuicem percutiunt palam, atque adeo in ipſo templo, alii accuſantur, illicitis ludis operam dare, alii mercaturis ac negociationibus, atque adeo publicanorum artibus, alii ſcorta nutrire, alii blaſphemiis atque obſcœnis uerbis eſſe infames. neminem cerno ſcire, quid ſit bene tempus conterere, & horas bene collocare. totus dies nugis ac iocis impenditur,

penditur, & audio ſcholam nugarum ſingulis penè diebus in templo ante ſacrarium haberi, quam ſi poſt hanc admonitionem deprehendero, eam adhibebo caſtigationem, quæ epiſcopum decet. iam ego nihil ſanè miror, pleroſque omnes ueſtri ordinis tanta inſcitia laborare, ut uix reperiatur, qui integre ſciat legere. nam rectè intelligere ſacerdotem, quę legit, hæc ętate pro miraculo eſt. atque huius erroris hęc præcipua aut potius ſola cauſa eſt, quòd ocio uti neſcitis. ſolum enim tempus illud, quod nunc conſumitis, idoneum eſt ad ſummam eruditionem comparandam. Quouſque non agnoſcetis maximam hanc ueſtram dignitatem? quę cum ſumma ſit, ueſtris tamen deprauatis moribus ſplendorem omnem ſuum amiſit. non çernitis, quàm ſitis toti populo contemptui, id que veſtram ſolum ob culpam? non erubeſcitis ſacerdotes tota die huc illúc que uagari, & fieri opprobrium hominum & abiectionem plebis? O' pudórem. ſacerdotes, à quibus requititur, ut doceant legem, legem prorſus ignorant, &, quod ait Ieremias, ſacerdotes non dixerunt, ubi eſt Dominus, & tenentes legem neſcierunt me. Non'ne hic ordo iccirco inſtitutus eſt, ut eſſetis tanquam Dei oracula in populo, qui à nobis regendus ac dirigendus in uia Dei ſit? quam uiam ſi uos ignoratis, quo pacto illam aliis commonſtrabitis? ſi cęci fueritis cæcorum duces, quid reſtat, niſi ut utriq; in foueam decidatis? quę uerò rectę uię documenta expectare à uobis populus poteſt, cum audio pleroſque veſtrum auctoritatibus ſanctorum abuti, atque adeo falsò eis aſcribere, quę ueſtris erroribus prætexere conamini? circumfertis enim ſententiam quandam, quam Auguſtini eſſe dicitis, quòd ſcilicet ſi non caſtè, ſaltem cautè agendum ſit, cum quid minus ſit honeſtè. & non ueremini tantam notam tanto uiro inurere, quem vultis ſcelera permittere, modo occultè fiant. neque præterea intelligitis, vos veſtros ipſorum pudendos mores his uerbis prodere. Hęc & huius generis plura cum ipſe mecum reputo, uideo in Chriſtiano orbe nullum eſſe hominum genus, cui maius impendeat ſalutis periculum, quàm ſit veſter ordo, quod adeo ſic cognoſcite. primum uideo pleroſque omnes in clerum aſcribi nullam aliam ob cauſam, niſi ob eccleſiaſticas facultates, nam Dei cogitatio nulla intercedit, cui fundamento reliquam ſtructuram reſpondere eſt conſentaneum, atque adeo potius neceſſarium. quare cum eccleſiaſticis beneficiis inhietis,

Hier. 2. (margin)

inhietis, multa ſimoniacè habentur, in quam ſimoniam quàm ſæpe incidatis uel ex hoc uno colligite, ex penſionibus uidelicet, cum pontificii iuris periti ſimoniam eſſe affirment, ſi quis cum eo paciſcatur, à quo accipit beneficium, ut aliquam portionem retineat ex fructibus beneficii. & hoc unum quidem ad perdendas animas ſatis eſt. cum uerò accedunt alia non minus periculoſa, quid ſupereſt ſpei? ut cum beneficia, quę multarum animarum curam coniunctam habent, ultrò expetuntur ſolius lucri appetitu. deinde poſt adeptum beneficium, nulla aut certè quàm minima ſalutis animarum cura habetur, ſed pręcipuum aut ſolum potius ſtudium eſt, quo pacto plurimi ex eo fructus percipiantur, tum ex agris tum ex altari (quemadmodum appellatis) viuo ac mortuo, hoc eſt, lucro, quod tam pro viuis quàm pro mortuis percipitur. interea patroni, qui vel eas facultates poſsident, vt non neceſſe habeant reſidere, vel plura habent beneficia, quàm vt queant omnibus facere ſatis, conducunt exiguo pretio mercenarium, qui & ipſe plus curat, quo pacto uictum quęritet ac paſcatur, quam paſcat. patroni verò, perinde quaſi ſatis conſcientiæ ſuæ fecerint, nihil præterea de ipſis locatis parochijs cogitant. qui ſi interrogarentur, quid agerent, ſi tot haberent ouium greges, quot hominum habent, cogerentur proculdubio reſpondere, quod eis pudorem afferret. ſi enim oues eſſent, qui homines ſunt, quotidianam illis curam impenderent, non contenti illa mercenariorum cura, quam in regendis hominibus ſufficere arbitrantur. Sed hoc loco reſpondent, mercenarios, quos ponunt, eſſe magis idoneos, quàm ipſi ſint. at hoc ſi ita eſt, dandus eſt ipſis mercenarijs eccleſiaſticus fructus, vt paſtores ſint, non mercenarij. & nequis me putet rem iniuſtam proponere, ſic mecum cogitate. ſiquis veſtrum mille oues haberet, illiſque præfeciſſet quempiam, dato quadraginta nummorum aureorum ſtipendio, & is pręficeret alium idoneum ęque, atque ipſe eſſet, aut plus etiam, ſed cum dimidio tantum ſtipendio, hunc vos proculdubio tanquam fraudulentum criminaremini, & ea illi obijceretis, quæ dudum ego vobis obijciebam. at vos eadem vtimini fraudę in Chriſtum, & eam intelligere recuſatis. ita verum eſt, quod ait Dominus, filios huius ſeculi, prudentiores filijs lucis in generatione ſua eſſe. Quid? quòd non contenti, ſeipſos in tam ingens barathrum præcipitauiſſe, alios etiam præcipita- *Luc. 16.*

Ff re ſtu-

re ſtudent, qua tamen in re maius ſibi parant adhuc præcipitium: curant enim ſummopere, ne eccleſieſtica beneficia, quæ ſemel in ſuas domos omnibus artibus traxerunt, ab ipſis domibus vltra diſcedant, ſed veluti paterna ſit hęreditas, & Chriſti patrimonium nihil ab eo differat, quod à parentibus relictum eſt. quare vbi nepotem ſeptennem habent (neque enim citra hanc ętatem per leges canonicas licet, alioqui vbi primum nati eſſent, hoc ageretur) cum in clerum aſcribi faciunt, & iam tum, quęcunque poſſunt beneficia in eos conferunt, hac tamen adhibita cautela, vt per eorum mortem tanquam poſtliminio reuertantur. neque vnquam cogitant, quàm pudendum atque adeo ſacrilegum ſit, res tanti ponderis puerorum fidei committere, & illi ętati, de qua nemo, qui mentem habeat, tutò quicquam ſibi queat polliceri. & tamen in tam apertis errori-
Pſ. 140. bus, & qui nullam admittunt excuſationem, niſi ad excuſandas excuſationes in peccatis, neminem video neque probum (ſi qui tamen in hoc gradu probi eſſe poſſunt) neque improbum vllo unquam ſcrupulo teneri. Sed veniamus ad reliqua eccleſiaſtica munera, & primum videamus, quæ rei Diuinę cura ſit, ſiue cum miſſæ ſacrificium agitur, ſiue cum laudes quotidianę Deo perſoluuntur. & errores quidem, qui in miſſa fiunt, curaui in ſuperiori ſynodo, vt ab archidiacono doceremini. ſed cerno vos eadem vſos neligentia, qua cęteris omnibus in rebus ſoletis. in perſoluendis verò Deo pſalmorum laudibus, prò ſupreme Deus, quàm nulla vobis in ea re eſt religio. nam uel ſedentes, id que incompoſitiſsimè, uel in aliorum cœtu colloquentes, vel in via, vt cum prętereuntibus interea nugari aliquid liceat, Diuinum opus peragitis. neque vnquam venit in mentem, uos eo tempore cum Deo loqui, cuius nomen etiam Dæmones perhorreſcunt, & uos tanquam in ludo cum eo agitis, & longè minore cum reuerentia, quàm ſi cum minimo aliquo è ciuibus loqueremini. & hæc quidem cum extra templum Diuinis officijs operam datis. in templo verò ex veſtra pſallendi ratione facilè declaratis, vos ex eorum eſſe numero, de quibus
Eſai. 29. per Eſaiam dicitur, populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. nam ita pſallitis feſtinanter, ita confusè pręter illud inſtitutum, quod à me ſuperiore anno accepiſtis, vt apertiſsimum ſit, vos non ea cogitare, quę pſallitis. Quid? quòd plerique veſtrum ne labijs quidem Deum honorant? cum enim eccleſia

Chriſti

Chriſti à ſcripturis ſacris edocta decreuerit, vt ſepties in die laudes Pſ. 118.
Deo dicantur, venerandi hi canonici vix veſpertinis laudibus interſunt, atque in ipſis ne pſallere quidem dignantur, ſed ijs, quos choriſtas uocant, munus hoc tanquam ſe minus dignum relinquunt. In tam perditis moribus miror, ſi cuiuſquam eiuſmodi hominum conſcientia perſuadere ſibi poteſt, ſperare ſe poſſe cœlum. Quid dicam de templi veſtibus & linteaminibus? cernas omnia lacera, ſordida, fœda, atque in primis ea, in quibus ſacratiſsimum Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus conficitur, & iccirco corporalia appellantur. apud quoſdam enim ſacerdotes ea tam conſpurcata reperi, vt neminem veſtrum certo ſciam, non dico mappas, quibus in prandio ac cœna vti ſoletis, ſed perizomata tam ſordida ferre poſſe. & ij ſacerdotes ſe Chriſti audent profiteri. ego ſanè hęc cogitans vix apud me ſum, dum video res tam abſurdas, tam pietati contrarias, & quas ethnici etiam ipſi perhorreſcerent, à uobis ne cogitari quidem. & hęc omnia ab eodem & vno fonte, cuius ſupra fecimus mentionem proficiſcuntur, quòd ſcilicet pecuniæ tantum gratia in clerum aſciſci vultis, à quo ita plerique mente atque animo alieni ſunt, vt ne radere quidem caput curent, quod præcipuum eſt clericorum ſignum, ex quo & pars illa abraſa denominatur, vt clerica appelletur. quod cum pleroſque ſingillatim admonuerim, nunc omnes ſimul admoneo, pollicebórque, me, ſiquis poſthac in hac parte peccauerit, ſeueriſsima vſurum animaduerſione. ex hoc eodem fonte naſcuntur reliqui neglectus in adminiſtrandis eccleſię ſacramentis, qui tot ſunt, vt ſtellas cœli numerare facilius liceat, præſertim vbi nulla lucri ſpes eſt. tunc enim uos omnino alienos præbetis. quid enim tam veſtro ordini eſt conſentaneum, quàm mortuos tradere ſepulturę? & tamen ubi quis moritur tam inops, vt nihil habeat, quod impendere ad obſequium funeris poſsit, non reperiuntur è clero, qui gratis munus ſepulturæ præbere velint, vt neceſſe mihi fuerit eligere è populo quoſdam, qui id agerent, & neminem veſtrum adhuc reperi, qui vel pudore permoueretur, ne tanta clero inuratur ignominia. ſed reperti potius ſunt, qui eos reprehenderent, qui à me ad illud opus poſiti eſſent, vt qui lucrum illis impedirent. eodem auaritiæ vitio fit, vt, cum anniuerſaria aliqua fiunt ſacrificia pro mortuis, idem ſacerdos eodem die duobus, &, ſi poſsit, pluribus etiam locis intereſſe feſtinet, nihil cu-

rans ſemiplenum opus relinquere, modo ſui lucelli ſpe non priuetur. Et hæc quidem ſatis ſint ad reddendam rationem, cur vereor veſtrum ordinem in maiori verſari iacturę ſalutis periculo, quàm cæteros cuiuſuis conditionis homines, quę ſicut neceſſario ac non ſine dolore, vtilitatis duntaxat veſtræ gratia dicta à me ſunt, ſic ea vt in optimam partem, quemadmodum certè debetis, accipiatis, moneo ac precor. nunc ea, quæ reſtant, perſequamur. Viſum mihi fuit, hoc anno iuſtis de cauſis non inuiſere diœceſim ita accuratè, vti ſuperioribus annis factum à me fuit. Sed curaui tamen ſcire, quo pacto ſe parochię haberent. itaque mandaui ſingulis veſtrum, præfixo etiam tempore, vt me cum aliquot viris è parochijs veſtris adirent, quod cum à multis ſit factum, defuerunt tamen aliquot, ſolita negligentiæ culpa, qui pœnis aliquibus omnino ſunt expergeſaciendi, ſed nollem vos expectare caſtigationes, à quibus intelligere iam poteſtis, me eſſe quàm alieniſsimum. ſed video interea vos abuti mea patientia, & verum eſſe illud prouerbium. inuitat culpam, qui peccatum pręterit. & quando viſitationum facta mentio eſt, admonendi illud eſtis, etſi duobus hiſce ſuperioribus annis, dum nimium uobis faueo, paſſus ſum parochias ſumptum facere in ſuſcipiendo epiſcopo, illum tamen ſumptum ad vos non ad parochias pertinere. quanquam experti ipſi eſtis, me ſedulo ſemper dediſſe operam, vt ſumptus ex mea viſitatione quàm minimi fierent. quare illud exiguum date operam poſthac vt vos prębeatis. Doleo etiam, vos admodum eſſe inertes ac pigros ad mihi ſignificandum, qui in Paſchate non communicauerint. quod ſiqui forte adhuc in hoc peccato ſunt, eos mihi ante, quàm ex hac vrbe diſcedatis, ſignificatote. & quando hoc anno ipſa experientia, quam rerum magiſtram rectè appellant, deprehendimus, caſtigationes tum excommunicationum, tum carceris, multos ab errore reuocauiſſe, iubeo, vt ſequenti anno, quicunque in Paſchate per totam octauam non communicauerit, ſequenti Dominico die, nullo prorogato ſpatio excommunicentur, niſi aliqua tam euidens cauſa emerſerit, qua conſulendus ſit epiſcopus, quid facto ſit opus. hoc enim cum multis iam parochijs ſim interminatus, ſpero fore, vt multũ vtilitatis afferat. Illud quoque obſeruaui pernicioſiſsimum. cum enim ſingulæ parochię certum diem habeant Diuo alicui dicatum, quo die illuc ex tota diœceſi conuenitur, totus ille dies in tripudijs & ludis,

Adag.

&ludis, quorum blaſphemiæ comites ſunt, inſumitur, vt nullam in eo partem Chriſtus habeat, aut Diuus ille, cui eſt dicatus, ſed totus Diabolo addictus eſſe uideatur. quare iubeo, vt quiſque veſtrum per octo dies ante, quàm feſtus ille dies celebretur, me adeat, & ego præfecto urbis mandabo, vt præconis voce admoneat, quid ea in re ſit agendum. quod præceptum meum ſiquis veſtrum neglexerit (malo enim dicere, quàm contempſerit) digna illum ego pœna mulctabo. Verum, ne tota hæc mea oratio omni ex parte triſtitiam ſecum habeat, læta in eius fine mihi dicenda ſunt, quæ iccirco ad hunc locum reſeruaui, vt, ſiquid moleſtiæ ueſtris animis ex ſuperioribus verbis reſedit, illud ſequenti oratione totum abſtergatur. Meminiſtis, me ſuperiore ſynodo adhortatum fuiſſe uos ad opus, quod initio naſcentis eccleſię ab ipſis apoſtolis fuit inſtitutum, ut ſcilicet in medium poneretis aliquid vel tritici vel pecuniarum, vt pauperum, quorum ingentem numerum deſcriptum habeo, neceſsitatibus ſubueniatur, & veſtro exemplo prouocata ciuitas, liberalius & ipſa impenderet, & ſanè ſpes minimè me fruſtrata eſt mea. nam paucos dies ante natalem Seruatoris Chriſti diem, cum populum ad idem opus adhortarer, dixiſſém que, quid à clero eſſet factum, tanta acceſsit à populo oblatio tum tritici tum pecuniarum, quantam uix ſomniare quiſquam potuiſſet. quare primum gratias ago Deo opt. max. per cuius ſpiritum factum eſt, vt rem tam ſalutiferam aggrederemini, deinde uobis gratulor, quicunque tanti fuiſtis participes boni, & gratias etiam ago, qui epiſcopi veſtri conſilijs obtemperaueritis. quibus non exigua à Deo merces eſt expectanda, qui tanquam anteſignani fueritis tam pręclari negocii, neque dubito, fore, ut non ſolum in futura uita merces vobis reddenda ſit, ſed in hac ipſa etiam, quod iam intelligere quidam veſtrum cœperunt, quemadmodum ab eiſdem audiui. doleo tamen eos, qui inuitati ad has nuptias, non fuerunt digni qui admitterentur. qui, cum non minus, atque adeo plus, quàm aliorum plurimi, præſtare id poſſent, recuſauerunt, alij quidem excuſantes non quidem legitimas excuſationes, ſed dicentes tamen, rogo te, *Luc.* 14.
habe me excuſatum, alij eum imitati, qui vxorem duxerat, ne rogauerunt quidem, vt excuſatio admitteretur. verum, cum dicat Pau *1. Cor.*
lus, charitatem omnia ſperare, non deſpero, fore, ut ij hoc anno 13.
errorem agnoſcant, & emendent, neque hi ſolum, verum etiam

qui

qui detrahere negocio ſunt auſi, & qui præterea arbitrati ſunt, epiſcopum ſui commodi gratia hæc tentauiſſe. verum quod ad me attinet, teſtes locupletes hic ex hoc clero habeo, quàm ſyncerè tractata res à me ſit, quos & ſequentibus omnibus annis ſemper adhibebo. omnes itaque rurſus inuito, ijs verò, qui ſuperiore anno iam cœperunt, nullos video neceſſe eſſe ſtimulos adhibere, ſed ſperandum eſt, eos fore paratos & inſtructos per ſe. tantum admoneo, vt, qui harum nuptiarum eſſe participes volunt, ſignificent mihi, quàm poſſunt ocyſsimè, quid conferre in eleemoſynam decreuerint, vt, cum adhortandus fuerit populus, veſtrum illi proponere exemplum poſsim. neque quiſquam excuſet anni penuriam, quin potius ob hanc ipſam cauſam quiſq; accedat animoſior. nam, cum vilis annona eſt, non tã eſt neceſſaria eleemoſyna. &, quando exempla permouere magis conſueuerunt, quàm verba, ego, quamuis ęs alienum hoc anno conflandum mihi eſt, tantam tritici tamen ſummam apponam, quantam ſi omnes ſimul æquaueritis, ſatis hoc anno à vobis eſſe factum exiſtimabo. Obſecro uos per Dominum Ieſum, vt agnoſcatis, quanti ſint hæc fundamenta, quę nunc iaciuntur, vt, ſi nunc generosè egeritis, non ex eo tantum, quod præſtatis, ſed multo magis ex fructu, qui ſecuturis temporibus quotannis percipietur, mercedem ſitis habituri, quę cogitatio vehementer animare vos debet, vt toto pectore huic negocio incumbatis. nam poſteritas omnis tam ſalutare opus veſtræ pietati acceptum referet. Et hæc quidem de eleemoſyna, quæ ad clerum pertinet. nunc quid à vobis in veſtris parochijs ſit faciendum, paucis expediam. quem morem cum ſequentibus ſemper annis ſeruari cupiam, tum hoc anno, quem nihilo mitiorem, quàm fuit ſuperior, futurum cerno, eſt neceſſarius. Primum ergo in his calendis Nouembris eligat quiſque ex ſua parochia viros, qui diebus Dominicis per domos quęrant eleemoſynam, quam poſtea ſacerdos cum ſanctesijs tribuat indigentibus. deinde menſe Decembri, Dominica prima Aduentus, ſignificate parochijs veſtris idem, quod epiſcopus in ciuitate eſt facturus vt ſcilicet admoneatur populus, vt quiſque pro voluntatis tamen arbitrio pręparet, quæ naſcituro Chriſto offerat, pręſertim ex tritico, & quod fuerit coactum, reſeruetur ſub pluribus teſtibus, & ſuo tempore per vos atque eoſdem ſanctesios pro egentium neceſsitate diſtribuatur. Hoc huius anni inſtitutum, ſi rem accurate tractaueritis,

ritis, nihil dubitandum eſt, diutius eſſe duraturum, modo ipſi vobis atque officio veſtro deeſſe nolitis. multa enim pietatis opera exercerent populi, ſi eis identidem à vobis proponerentur, quare diligentius quæſo poſthac veſtra munera exercete, vt omnes tanquam fideles diſpenſatores demum ęterna à Chriſto præmia conſequamur, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

CONSTITVTIONES ET ADMONITIONES
factæ in ſynodo Fulginea habita, die XIIII. menſis Octobris. anno Domini MDXLIX.

Caput primum.

INVENIMVS abuſum quendam in hac diœceſi perniciosum. cum enim locanda eſt uiro aliqua mulier, per aliquot antę menſes, quàm ſolennes fiant nuptiæ, contrahunt ſponſalia per annuli immiſsionem, neque uerba addunt, quibus matrimonium eccleſiæ more contrahitur. quòd ſi, quemadmodum ſæpe accidit, diſsidium aliquod intercedat, mox res uenit in controuerſiam, dum alii contendunt fuiſſe matrimonium annuli immiſsione confirmatum, alij negant. quare, ut hæ turbæ tollantur, & rei tanti periculi caueatur, pręcipimus, ut ſub excommunicationis pœna, & decem ducatorum aureorum, nemo poſthac annulum immittat, niſi etiam addantur uerba, quibus apertè ſignificetur, peractam eſſe contracti matrimonij ceremoniam.

Caput ſecundum.

AD tollendam omnem controuerſiæ materiam, quæ facile ex quadam non multum rationabili conſuetudine, diuerſimodè tamen obſeruata, exoriri poſſet ſuper eo, quòd quarta, quæ parochiali eccleſiæ ex mortuariis debetur, quando alibi ſepultura eligitur, inordinatè ſoluebatur, & quandoque plus ex minori ſumma, quàm ex maiori pro tali quarta percipiebatur, quod quidem tanquam irrationabile tollendum duximus, declarantes poſthac, quod in quolibet caſu quarta ſolum ſolui debeat, & non ultra.

Caput

Caput tertium.

COmperimus etiam, quòd ex cereis & aliis, quæ cum funere portantur, quibuſdam confraternitatibus, quæ cum eo accedere ſolent, quædam portio datur, non ſine graui præiudicio aliarum eccleſiarum, in quibus defunctorum corpora ſepeliuntur. quod quidem iudicauimus in melius reformandum, decernentes poſthac, ut id, quod prius eiſdem ſic dari conſueuit, detur, & ſoluatur in futurum per hæredes defunctorum, & non ex cereis, qui cum funere apportantur. excipimus confraternitatem ſanctiſsimi corporis Chriſti, cui nihil cenſeatur ex hoc imminutum.

Caput quartum.

VOlumus etiam, nihil ex prædictis mortuariis ſoluendum eſſe alicui eccleſiæ, præter quàm parochiali ipſius defuncti, pro campanis pulſatis in morte alicuius, ſed id quod hactenus ſolui ſeu dari ſolitum fuit, in futurum detur ac ſoluatur per defunctorum hæredes.

ORATIO TRIGESIMA.

NEscio quod dicendi initium uobis uenerandi fratres, & huic ſanctæ ſynodo in ſpiritu Dei congregatæ hodie faciam. ſi enim à gratulatione, quod mihi
Eſa. 40. ſanè eſſet optatiſsimum, exordiri uelim, & loqui ad cor Ieruſalem, ut ſcripturæ ſacræ uerbis utar, cum nulla, aut certè perquàm exigua id præſtandi, per uos mihi relinquatur occaſio, uereor, ne dignus fiam, qui reprehendar, & cui aſſentationis, à qua me ſemper optaui eſſe quàm alieniſsimum, nota inuratur, illúdque aduerſus me recitetur, quod dictum eſt ab
Eſa. 3. Eſaia. popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & uiam greſſuum tuorum diſsipant. ſin ad reprehenſiones, quibus hactenus uti neceſſarium mihi fuit, me recipio, uereor rurſus, ne faſtidio uobis ſim. quamuis etiam feſſus ſum increpando. ne dicam ferendo, quod tamen Deus per eundem Eſaiam dicit, quòd ſi patimini,

patimini, & illud addam, quod eodem capite dicitur. ſuper quo *Eſa.* 1.
percutiam uos ultra, addentes præuaricationem? nam uerborum
increpationes uerbera quędam ſunt, quæ cum adhibita iam à me
toties fuerint, neque quicquam profecerim, piget me interdum,
rem mihi moleſtiſsimam fruſtra repetere. uerum, quando pręcipi
tur prophetæ, clama, ne ceſſes, & Paulus iubet, ut non ſolum op- *Eſa.* 58.
portunè, uerum etiam importunè arguamus, non recuſo grauiſsi 2. *Ti.* 4.
mum hoc dicendi onus. ueſtrum interea erit, meminiſſe quod ait
Salomon, meliora ſcilicet eſſe uulnera amici, quàm fraudulenta ini *Pro.* 27.
mici oſcula. nam quòd amico ſemper erga uos animo omnia & fe-
cerim & faciam, uoſmet ipſos, ueſtrás que conſcientias teſtes ap-
pello, qui noſtis, quanta ſemper lenitate uſus fuerim tum etiam,
cum ſeueriorem in uos eſſe me oportuerat. ex qua re ſpero illud ſe
cuturum, quod idem Salomon ait. qui corripit hominem, gra- *Pro.* 28.
tiam poſtea inueniet apud eum magis, quàm ille, qui per linguæ
blandimenta decipit. Primum igitur illud repetam, in quo totius
eccleſiaſtici negocij ſumma uerſatur. cerno quidem (ne omni ex
parte grauis dicendo ſim) aliquos ueſtrum iam cœpiſſe aliquanti-
ſper patris ac paſtoris officio fungi, & diebus ſaltem Dominicis uer
bum Dei credito ſibi gregi annuntiare, ſed obſeruaui tamen in pro
ximis huius anni uiſitationibus, multos ueſtrum huic tam neceſſa
rio muneri deeſſe, & pati Chriſti gregem ſame laborare. quod cum
diutius ferre tum damnoſum populis, tum mihi etiam turpe ſit,
video oportere pœnis cogere eos, qui charitatis affectu & ſtudio in
Chriſtum hactenus commoueri noluerunt. nouerint ergo ij, qui
ſingulis ſaltem diebus Dominicis Euangelica documenta & ſaluta-
ria monita prębere populo recuſauerint, ſe ab eo officio amouen-
dos, cui enim vſui ſunt canes muti, quemadmodum propheta ait, *Eſa.* 56.
non valentes latrare? & illud Seruatoris de ficulnea, vt quid etiam *Luc.* 13.
terram occupat? & quidem, cum nemo, præſertim tam ſępe admo
nitus, excuſationem tanti erroris vllam habeat, minus tamen mi-
rum eſt, ſi ij, qui ex factis ſuis videntur parum Deum timere, &
minus homines reuereri, alieni ab hoc officio ſunt, at verò cum in-
tueor eos etiam, quos alioqui pro certo habeo proponere Deum an
te conſpectum ſuum, tam craſsè in hac parte peccare, nihil cogita-
re aliud poſſum, quàm quòd Deus tradiderit nos in reprobam men
tem, cum tam parum, atque adeo tam nihil potius curemus rem,

Rom.8. quam tanti Deus fecit, vt pro eius ſalute filio ſuo unigenito non pepercerit, ſed tradiderit eum in mortem, & eam crucis. hæc tanta ſupinitas memet extra me eſſe cogit. neque vero excuſare quenquam veſtrum debet inſcitia aut dicendi infantia. primum enim res; de quibus verba populo facienda ſunt, cum ad vitam & mores componendos pertineant, obuiæ cuique eſſe poſſunt, & eccleſia ipſa quotidie ſuggerit, quę copioſè ſufficere poſsint, ſi proponantur. deinde vbi nugis danda opera eſt, neminem neque verborum inopem, neque infantem video, ſed tantam ſuppetere cuique verborum copiam, ſine vlla etiam prę meditatione, vt de mane vſque ad veſperam loqui idoneus ſit, idque nulla ſubiecta ſententia neque ſcientia. ubi verò docendus populus eſt, ad quod præſtandum, totius hebdomadæ tempus habet ſacerdos, quo præmeditari poſsit, quæ dicat, quàm habere poterit excuſationem? ſed reuera inertia atque ſocordia in cauſa eſt, qua fit, vt nunquam, quod ad officium veſtrum pertinet, cogitetis. totis diebus ocioſi huc illùc que vagamini, nullas ſeligitis horas ad ſtudia, ad ſanctas meditationes, ad precationes, quæ propriæ ſacerdotum eſſe debent. & cum ocio, quo abundare ſoletis, uti neſciatis, ſed iocis & riſibus incumbatis,

Tre. 3. hinc ſequitur, vt facti ſitis in deriſum omni populo (vt aliquid cum Ieremia & ego defleam) canticum eorum tota die. nullum enim hominum genus eſt, quod vilius æſtimetur, quàm ſacerdotalis ordo, quem tamen primas inter Chriſtianos tenere oportuerat, atque id totum veſtro vitio accidit, qui nullam dignitatis veſtrę rationem habetis. vt non ciues ſolum, verum ruſtici etiam nihil inter uos ac reliquum vulgus diſtinguant. nam ego hiſce oculis vidi ſedentes ruſticos, & eorum parochum ſtare, ac cum illis fabulari diutius. hunc autem contemptum nimia parit familiaritas. ſi enim eo duntaxat tempore, & ijs horis à populo conſpiceremini, cum officij veſtri ratio poſtulat, Diuinis penè honoribus honeſtaremini, eleemoſynę etiam vobis augerentur, cum vos verè patres ac paſtores agnoſcerent. nunc verò veſtro vitio contraria omnia reportatis. O dedecus, ò ignominiam. tanta dignitas, quę & ipſis angelis ſummæ eſt venerationi, nunc vt lutum platearum ęſtimatur. quid verò mirum, ſi nihil dignum vobis prę ſtatis, cum deprehenderim eos, quibus cura regendarum animarum credita eſt, nullum librum habere, quo occupentur, niſi duos illos, quibus & ſacrificium miſſæ peragi-

peragitur, & quotidianę laudes Deo perſoluuntur, quos vulgo appellatis miſſale & breuiarium? mitto nunc quærere, quo pacto nullis vnquam honeſtis ſtudijs occupati, munus regendarum animarum rectè aſſequi quiſquam veſtrum poſsit. vnum illud vellem cogitaretis, quo pacto vitam, quæ Chriſtianum hominem decet, agere poſsitis, cum in tam inutili ocio tempus conteratis. an neſcitis, cum eiuſmodi ocio ſolere vitia omnia coniuncta eſſe? vt rectè quidam ſapiens dixerit, multam malitiam docuit ocioſitas. neque verò aliud in cauſa eſſe arbitror, cur multi veſtri ordinis malè plerunque audiant, quàm quòd nimio ocio abundatis. Hoc ſanè totum malum veſtrum eſt, quòd nunquam venit vobis in mentem, ad quid clerus factus ſit, vt videlicet ſal terræ ſit, ac lumen mundi. cum verò lumen, quod in eccleſia eſſe debet, tenebrę factum eſt, ne miremur, tam ingentes tenebras Chriſtianò orbi offuſas eſſe. quomodo enim, exempli gratia, auaritiam ab aliorum animis auferetis, cum nulla, quàm quę in clero eſt, monſtroſior inueniatur? quomodo ad pacificationem ac reconciliationem gregem vobis creditum perducetis, cum experiar, uos neſcire illa vti, cum ad vos pertinet? nam ſuperioribus diebus cum audiſſem, inter duos ſacerdotes verba quędam interceſsiſſe, quę alienum à mutua dilectione animum declararent, cernerém que eum, cuius cauſa erat iniquior, ſine vlla reconciliatione rem facere Diuinam, accerſito propoſui rem ipſam ſub aliorum perſona, rogauí que, quid in hac cauſa ipſe conſuleret ſubiectis ſibi, qui ad euchariſtiam accipiendam accedere vellent, reſpondit, ſe non permiſſurum fuiſſe, vt participes eſſent corporis Domini Ieſu, niſi plena reconciliatio præceſsiſſet. cur ergo, inquam, id ipſe non pręſtitiſti, qui in eodem vitio deprehenſus es? hic conuerſus mox fuit ad excuſandas excuſationes in peccatis. & eiuſmodi quidem res ſæpe inter vos accidunt, & eas pro nihilo putatis, vt qui arbitremini, maiorem vos cum Chriſto, quàm reliquum hominum genus, habere familiaritatem. neque meminiſtis, quod à ſapiente quodam dictum eſt. ab immundo quid mundabitur? Immenſa profectò eſt benignitas tua atque longanimitas Domine Ieſu, qui nos tam ſordidos, tàm que profanos miniſtro feras, vt res, quibus vix cœlum dignum eſt, tam impurè tractemus. huius autem mali cauſa eſt, quòd ſacerdotes plerique omnes ad offerendum Euchariſtię ſanctæ ſacrificium accedunt ob lucrum, quod

Mat.5. *Pſ. 140.* *Eccl.29.*

inde faciunt. cuius rei indicium apertiſsimum eſt, quòd & in reliquis ante ſacerdotium ordinibus ſemel duntaxat in anno cœleſtiũ myſteriorum fieri participes conſueuerunt, & poſt adeptum ſacerdotium non facile inuenias, qui frequentius, niſi cum lucelli ſpes eſt, rem faciat Diuinam. Ponite quęſo tandem aliquando finem veſtrę huic ſacerdotali auaritiæ, quæ à populo uehementer obſerua tur, atque accuratè, vt, cum ad funeralia acceditis, vos numerent, neque quenquam deeſſe deprehendant, cum verò per dies feſtos cernunt pſallentium in choro tam exiguum numerum, intelligunt, vos nullam Diuini cultus habere rationem, ſed ad temporaria duntaxat lucra ac pecunias inhiare. In ijs etiam funeralibus ob eandem auaritiam, tot exigendi modos, tot artes excogitatis, vt fiſci potius exactoribus, quàm Chriſti miniſtris ſimiles iudicemini. vereor verò fore, neque ita multò poſt, vt populus his peruerſis veſtris moribus permotus, aliquando à vobis accerſendis abſtineat. Et hęc quidem generatim veſtrę vtilitatis gratia ſint dicta. nunc particulatim quædam admonebimus, atque illud in primis, quod plurimi, ſi quicquam aliud, eſt faciendum. quemadmodum enim nihil pace & charitate melius, ſic nihil eſt pernicioſius odio atque diſſidijs. quare velim primum, quod dudum attigi, vt vos pacati inter vos vera charitate coniungamini. nam rectè quidam è patribus dixit. nunquam infirmus ſuſtentat infirmum. nec tolerare poterit, nec curare languentem is, qui ſimiliter ęgrotat, ſed ille medelam tribuit imbecillo, qui imbecillitati ipſe non ſubiacet. deinde operam detis, vt ij, qui veſtris ſubiecti parochijs ſunt, in pace degant, quòd ſi inter aliquos forte diſsidia aliqua intercedunt, quando terra noſtra ſpinas & tribulos frequentius ferre conſueuit, mox ad pacem eos cogite. quod facilius facietis, ſi in neutram partem inclinare videamini, ſed ęquos erga omnes vos præbueritis. quod dum quidam veſtrum non faciunt, ſed incautè atque imprudenter vni magis quàm alteri fauent, nunquam ſuas parochias pacatas habent. & quoniam interdum fit, vt clandeſtina odia nutriantur, quæ ſacerdos ignorat, præcipite parochianis veſtris, vt vobis annuntient. quod ſi ſuperioribus annis factum eſſet, is, qui dudum tam miſerè interfectus fuit, fortaſſe viueret. neque defatigari oportet, ſed opportunè, importunè inſtandum eſt, nunc precibus, nunc minis, & miſcenda temporibus tempora. quòd ſi obſtinatiores ſunt, renuntia-

nuntiate epiſcopo, qui & ipſe ſuam adhibebit auctoritatem. Illud etiam obſeruate, vt, quoties in aliquos à me profertur excommunicatio, admoneatis reliquos, vt ab eorum commercio abſtineant, alioqui in excommunicationem caſuri, & meo etiam nomine ipſis excommunicatis comminemini, ſi verſari cum alijs, præter eos, quos leges canonicæ excipiunt, auſi fuerint, me in eos ſeuerißima caſtigatione animaduerſurum. Cerno præterea, eas parochias, quæ extra ciuitatem ſunt, alere infantes ſuos ſine vlla cura, & multos tamen eſſe, qui literas diſcerent, ſi haberent, à quibus docerentur. nunc verò paruuli petunt panem, & non eſt, qui frangat eis. *Tre.* 4.
cerno autem, parochiarum ſacerdotes maximam diei partem ocioſos eſſe, quare velim, vt eos doceatis, & aliquas horas vtiliter eis docendis, impendatis. duo enim hinc fient bona, vt & vos bene collocetis horas, & parochiani ipſi vobis magis afficiantur. Scitis etiam omnes, me tertium ab hinc annum, ne clero, quemadmodum & ſanctorum conciliorum leges volunt, ſacra lectio deeſſet, ſtatuiſſe pſalmorum lectionem, vt quę maximè eſſet eccleſiaſticis viris neceſſaria, quod quidem negocium Dei benignitate pulchrè procedit. ſed cum videam, ad eam lectionem, quæ ſolius cleri gratia fuerat inſtituta, multò maiorem populi partem accedere, quàm eorum, qui ex clero ſunt, video penè illud impleri in vobis, quod Dominus Iudęis dixit. auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. verum, quando ſuperioribus annis acriter *Mat.* 21.
contra inertes è clero inuectus fui, neque quicquam tamen profectum eſt meis verbis, video ad caſtigationem iam eſſe ueniendum. nam ingens iniuria verbo Dei fit. quare iubeo, vt omnes è clero ad hanc lectionem accedant, quod qui facere recuſauerint, pecuniaria pœna in eos animaduertam. ſed vnum hic accidit, quod notatu dignum eſt. nam, qui peritiores ex vobis ſunt, ij (quòd ſanè ſummæ illis eſt laudi) aſsidui ad audiendam ſacram lectionem accedunt, qui verò magis egent, refugiunt, contra ſcilicet, atque in pręebenda eleemoſyna, ad quàm vos ſuperioribus ſynodis inuitaueram, accidit. nam ditiores minus, atque adeo plerique nihil attulerunt, qui verò ipſi indigent, fuerunt liberaliores, & profunda eorum paupertas (quod de eccleſijs Macedonię Paulus ait) abundauit 2. *Cor.* 8.
in diuitias ſimplicitatis ipſorum. Verum, quando huius eleemoſynæ facta mentio eſt, ſatis ſuperioribus ſynodis de ea dictum fuit,
tantum

tantum illud hortabor, vt, qui hactenus tanti boni participes fuerunt, pergant alacriter, qui verò inertius ſe geſſerunt, reſipiſcant, prȩſertim quibus ſuppetunt facultates, vereantúr que, ne Deus tanta eorum tenacitate indignatus, vitam etiam cum facultatibus auferat. Quȩ etiam ſuperiore ſynodo de pauperum cura inſtituimus, ea vobis curæ ſint, quemadmodum & inter viſitandum parochias admonuimus. Neque prætermittęndum eſt, vt, quod ſuperiore quadrageſima admoniti à me fuiſtis, quotannis præſtetis, vt videlicet triduo ante Dominicam palmarum publica precatio fiat per omnes parochias noſtrȩ diœceſeos, quemadmodum & hic in ciuitate fit, cuius ordinem cum iam edocti ſitis, nihil neceſſe eſt, hic eundem repetere. Reliquum eſt, vt conſtitutiones, quæ ſuperioribus addendæ hoc anno viſȩ ſunt, iam vobis legendas proponamus.

CONSTITVTIONES ET ADMONITIONES
factæ in ſynodo Fulgineæ habita, die x v. menſis Octobris. anno Domini M D L.

Caput primum.

PRębendati ſeu beneficiati, & conſtituti in ſacris ordinibus interſint ſemper diurnis & nocturnis officijs, cum in beneficijs reſidentiam faciunt, nec recedant ab officio, donec compleatur, niſi ex iuſta cauſa. nec intermiſceant alia colloquia, aut uagentur de ſede in ſedem, ſed bene intenti omni cum reuerentia ſe habeant atque manſuetudine, & non feſtinanter pſallant, ſed conuenienti mora & pauſa adhibita. cum verò proceſſiones fiunt, bini eant eo ordine, quem alias ſtatuimus, nec recedant, niſi peracta re Diuina, idem faciant in funeralibus.

Caput ſecundum.

CLerici negociatores, ſiqui deprehenſi fuerint, præter pœnas à iure impoſitas, pro ſcandali qualitate, noſtro etiam arbitrio punientur.

Caput

Caput tertium.

DEprehendimus quoſdam ſacerdotes, dum baptizant, pollice duntaxat intincto aqua tangere infantis verticem, neque intelligunt, quid velit baptizandi vocabulum, quod ſignificat immergere uel lauare: quare deinceps abluendo aqua, de more eccleſię, non tangendo ſolum aqua, baptizent.

Caput quartum.

COrpus Domini honorificè cuſtodiatur in Pyxide munda & decenti, & unà cum oleo ſancto ſub claui diligenter reponatur in aliquo loco condecenti, ſpecialiter ad hoc conſtituto. quòd ſi quę parochiæ ſunt, quæ non teneant corpus Domini, hoc, quod diximus, faciant de oleo ſancto, & hoc maximè, ne ad ueneficia poſsint auferri. ſi autem propter inertiam uel negligentiam ſacerdotis, ad cuius cuſtodiam hæc pertinent, aliquid mali acciderit, ſi publicum fuerit delictum, nouerit ſe ſtatim ab officio ſuſpenſum per tempus, ad arbitrium noſtrum determinandum. multò uerò magis ſiquid ex ſacris eiuſmodi rebus ad alium uſum impenderint, quàm ab eccleſia inſtitutum.

Caput quintum.

OMnes etiam parochię teneant oleum ſanctum pro extrema unctione, ob repentinos caſus ęgrotantium, ut omnibus muniti ſacramentis migrent ad Dominum.

Caput ſextum.

COrpus Domini cum calice & tabernaculo, coopertum pulchro uelamine, ſacerdos indutus cotta & ſtola, ambabus manibus ante pectus ferat ad infirmum, & referat cum reuerentia maxima, ſemper miniſtro pręcedente, tintinnabulum pulſando, & cum lumine in lanterna.

Caput ſeptimum.

STatuimus quoque & ordinamus, ut eccleſię mundæ ſeruentur, maximè circa altare, & quod ab ipſis eccleſijs remoueantur arcilia, & quęcunque alia repoſitoria grani, uel cuiuſcunque

que bladi ſeu leguminum, & uegetes uini, & quæcunque alia ſupellectilia infra menſem.

Caput octauum.

ADmonemus omnes & ſingulos ſacerdotes, ut ad nos remittant omnes & ſingulos, qui commiſerunt peccata grauiora, ut ſunt hęreſes, homicidia, ſacrilegia, periuria in præiudicium tertii, & falſa teſtimonia, falſificationis inſtrumentorum, inceſtus uſque ad quartum gradum, incendia, ueneficia, maximè de corpore Chriſti, ſiue de Chriſmate, uel de oleo ſancto, ſacrilegia, ſiue diuinationes, & incantationes, & facturas, quæ arte Dæmonum & per eorum inuocationem committuntur, necnon uota fracta, quę facta fuerunt cum deliberatione, oppreſsiones puerorum, & illos, quorum infantes ſine baptiſmate per eorum negligentiam deceſſerunt, commutationes uotorum, ac diſpenſationes bonorum incertorum, & coëuntes cum brutis animalibus, ac infames, & publicos blaſphematores, & uſurarios.

Caput nonum.

ITem ſtatuimus, ut nulli concedatur eccleſiaſtica ſepultura, niſi prius de confeſsione & abſolutione uel uita eius certum teſtimonium habeatur, maxime à ſacerdote, uel ſigna pœnitentię habuiſſe perhibeatur.

Caput decimum.

PRęcipimus rectoribus eccleſiarum, ut faciant inuentaria de omnibus rebus eccleſiarum, mobilibus & immobilibus, ut eccleſiarum res occultari non ualeant, uel perire. qui autem res aliquas omiſerit, & in inuentario conſcribi non fecerit per malitiam, ſeu negligentiam, noſtro arbitrio punietur. ad quod inuentarium componendum, tempus trium menſium omnibus duximus pręfigendum. in ipſo autem inuentario ponantur tam res, quas eccleſię poſsident, quàm illę, quæ ab aliis poſsidentur, & quale ius poſſeſſores habere dicuntur.

Caput

Caput undecimum.

COnſiderantes etiam, quòd in ciuitate & diœceſi noſtra aliqui interdum religioſi apoſtatę, ſub prętextu diuerſarum diſpenſationum & licentiarum, ſubreptitiarum tamen & inualidarum, in diuerſis eccleſijs nobis ſubiectis, officium exercent ſacerdotale, & plerunque curam habent animarum, dum ſemper ſunt in apoſtaſiæ uitio, ac continuo peccato mortali, in graue ſcandalum & periculum animarum nobis commiſſarum, quod diutius ſine magno ſcrupulo conſcientiæ noſtrę ferre non poſſumus; Ideo huic morbo congruam medelam adhibere uolentes, ſtatuimus & firmamus, ut nullus cuiuſcunque religionis profeſſus, ſub prætextu cuiuſuis licentiæ uel diſpenſationis, audeat uel præſumat poſt tempus infra præfixum, in aliquibus eccleſijs nobis ſubiectis, aliquo modo, ſeu quouis quæſito colore, miſſas aut alia Diuina officia celebrare. & rectores ſiue capellani dictarum eccleſiarum non debeant, nec poſſint eum admittere uel recipere ſine noſtra expreſſa licentia in ſcriptis concedenda. cum uelimus prius dictas licentias ſiue diſpenſationes bene ac diligenter uidere, ac etiam de moribus & idoneitate talium religioſorum plenè inquirere. & ſtatuimus trium menſium ſpatium, infra quod commodè quiſque ſibi prouidere poſſit & debeat, ad huius noſtri ſtatuti obſeruantiam. contra facientes autem uolumus pœnam excommunicationis & carceris incurrere.

Caput duodecimum.

NVllus clericus nobis ſubiectus, cuiuſcunque ordinis ſeu ſtatus exiſtat, extra ſuam eccleſiam ſeu beneficium ultra tres dies abeſſe, manere, aut uagari poſsit ſine noſtra ſpeciali licentia, niſi fuerit in itinere pro ipſa eccleſia tractus ad litem, uel aliqua infirmitate grauatus, pro qua oporteret ipſum habere recurſum ad medicum, uel aliqua iuſta cauſa ſubeſſet, quam nobis relinquimus diſcernendam.

Caput tertiumdecimum.

ITem quoties aliquis ſacerdos diſcedere uult à parochia ſibi ad tempus commiſſa, admoneat ſaltem per menſem ante diſceſ-

ſum ſuos parochianos, ut ſibi de alio prouideant, ut hoc interuallo opportunè prouideri parochiis poſsit.

Caput quartumdecimum.

ET quia animarum cura debet præcedere meritò corporalem, moneant publicè in eorum eccleſijs quemcunque, ut cui contigerit infirmari, prius medicum animę ad ſe uocet, deinde medicum corporalem, qui ſimiliter teneatur & debeat monere infirmum, ut prius animæ ſuæ remedia quærat & prouideat, deinde ad corporis remedia adminiſtranda ſe conferat, ſciturus quiſque negligens in hoc, quòd Deo rationem ſit redditurus, ultra pœnam per nos temporaliter infligendam.

Caput quintumdecimum.

SAcerdotes parochi legant ea capitula noſtrarum ſynodorum, quę ad populum pertinent, ſaltem bis ſingulis annis. quòd ſi eorum negligentia populus tranſgreſſus fuerit, ipſi pro peccati qualitate punientur.

Caput ſextumdecimum.

CVm deprehenderimus, multos è ciuibus per forum tam eccleſiæ contiguum deambulare eo tempore, quo ſacra concio habetur, & uerbum Dei annuntiatur, pręcipimus & prohibemus, nequis poſthac rem facere audeat tam deteſtandam ſub pœna excommunicationis.

Caput decimumſeptimum.

CVm non ſolum à crimine, ſed etiam à criminis ſuſpicione cauendum ſit, iccirco hac præſenti conſtitutione prohibendum duximus, ut nullus è clero audeat in futurum fœminas, de quibus ſuſpicio eſſe poſsit, ſecum retinere, aut aliter colloquium uel conſortium aliquod cum ſuſpectis mulieribus habere, aut ad illarum domos tam per diem quàm per noctem, quouis quęſito colore, accedere, nec illas ad ſuas domos accedentes admittere, ſub pœna carceris, & aliis pecuniariis pœnis noſtro arbitrio imponendis.

Caput

Caput decimumoctauum.

QVoniam ſuperioribus ſynodis, cum ludus clericis prohiberetur, damnatos tantum ludos nominauimus, nunc, cum experti ſimus, pleroſque ijs etiam ludis, qui licere putatur, cum proximorum ſcandalo abuti, præcipimus & prohibemus, ne quis ex clero ludum ullum exerceat, alioqui pro erroris qualitate noſtro arbitrio punietur. Laici uerò, qui ludis utuntur chartarum, taxillorum, & alijs damnatis ab eccleſia, eidem pœnæ ſubiacebũt, multò uerò magis ſi publicè id faciant, tunc enim pœna eis duplicabitur. fides autem habebitur accuſatori iuranti, & uni teſtimonio fide digno, ſecretúm que tenebitur.

Volentes & declarantes expreſſe, quòd in omnibus & ſingulis ſupradictis conſtitutionibus, quando contigerit per aliquem contraueniri, pœna imponetur ad noſtrum arbitrium, etiam ubi alia pœna ſpecialiter eſſet ſtatuta.

Reſeruantes nobis auctoritatem & poteſtatem corrigendi, declarandi, addendi, & minuendi, & ſententias ac pœnas aggrauandi, prout nobis placuerit, & uiſum fuerit expedire.

Audiſtis noſtras huius ſynodi conſtitutiones, in quibus prima mihi neceſſario poſita eſt, cum uos, præſertim canonicos ſuperioribus ſynodis tam acriter reprehenderim ob multa, quæ in re Diuina facienda, & laudibus Deo perſoluendis quotidie peccatis, neque ulla uel minima correctio inde ſecuta eſt. non pudet, uos canonicos nunquam pręſtare, quod regius propheta legitur præſtitiſſe? ipſe enim de ſe ait. media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuę. quare iubeo, ut poſthac omnes, niſi quos legitimo impedimento excuſandos ipſe iudicabo, ad matutinas horas conueniant, íd que quotidie, nam quod hactenus factum eſt, ut alternis hebdomadibus canonicas laudes Deo perſoluatis, mihi non placet, neque feram, niſi oſtendatis, quo iure id à uobis fiat. neque ſatis eſt, quod uos putatis, ut quatuor ſacerdotes, quos pro uobis ad hoc munus officij conſtituiſtis, præſtent, quod à uobis præſtandum eſt. primum enim ſi per uicarios faciendum eſt, ij numerum ueſtrum ęquare debent, deinde uicarios adhiberi non licet, cum ipſi per uos id præſtare poteſtis. hęc autem niſi præſtiteritis, dignis pœnis in uos animaduertam. ſed non à uobis expectandum

Pſ. 118

dum eſt, dum uos ea facere cogam, quæ uolentes pręſtare debetis, ſi mercedem à Domino aſſequi uultis, quod ut præſtetis obſecro uos per Dominum Ieſum, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMA-PRIMA.

SYNODVS, quam ſuperiore Dominico die ſignificaui uobis, à me poſtero die eſſe faciendam, Diuina iuuante gratia, peracta fuit. in qua cum tractata quædam fuerint, quæ ad emendandos populi mores pertinent, ea uobis hodie declaranda eſſe, nequis ignorationem errori prętexat, neceſſario iudicauimus. quorum primum eſt, pręceptum à nobis fuiſſe ſacerdotibus, nequem eccleſiaſticæ ſepulturæ tradant, niſi prius de peccatorum exhomologeſi, & abſolutione, uel uita eius certum teſtimonium habeatur, maximè à ſacerdote, uel ſigna pœnitentię habuiſſe perhibeatur. hæc qui non *Hier.22.* pręſtiterit ſepultura aſini (quemadmodum ſcriptura ait) ſepelietur. cuius rei exemplum iam accidiſſe, ſcire poteſtis, & quæ in illum animaduerſio facta eſt, eadem in omnes ſine ulla perſonarum acceptione fiet. quare caueat ſibi unuſquiſque, meminerít que ſępe repentinas mortes accidere hominibus, quod & dudum accidit, & ſalutis ueſtræ curam incipite tandem aliquando accuratius habere. Et quia plerunque medici corporum in cauſa ſunt, cur ęgroti minus parati ſæpe moriantur, dum is, qui ægrotat, periculum, in quo uerſatur, ignorat, & medicus admonere illum ueretur. præcepimus & medicis ipſis, ut ægrotos moneant, ut prius animæ ſuæ remedia quærant, deinde ad corporis remedia ſe conferant, ſciturus quiſque negligens in hoc, ſe Deo rationem tanti erroris redditurum, præter pœnam, quæ à nobis illis infligetur. Et ſanè hoc ingenti medicis probro eſt, qui ea tam parum, atque adeo tam nihil curent, quæ in tanto tot pontificum, & honeſtiſsimorum præſulum conuentu fuerunt conſtituta. nam decretum hoc iam olim fuit

ſuit in maximo concilio ac celeberrimo ſub Innocentio tertio, in quo concilio ſuerunt Ieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus patriarchæ, metropolitani ſeptuaginta, epiſcopi quadringenti duo decim, abbates & priores octingenti, præter imperatorum ac regum legatos. in hoc ergo tam celebri concilio diſtrictè pręcipitur medicis corporum, ut prius proſpiciant animæ infirmi, quàm corpori, alioqui arceantur ab ingreſſu templi. quare uelim, ut tam pernicioſus error corrigatur. Neque uerò minus miror hominum ſtupiditatem, qui, cum ſciant, etiam ſanis mortem omnibus horis impendere, cum ægrotare incipiunt, tam animosè uitam ſibi polliceantur. præterea tam ſupini ſunt, ut non intelligant, morborum cauſam eſſe peccata, quorum ablationem pręſentiſsimum eſſe remedium ad tollendos morbos, ſanitatémque reſtituendam. ita miſeri mortales prodeſſe ſibi nunquam ſciunt, ſed ad perniciem ſemper ſuam proni ſunt. Alium quoque errorem emendare curauimus. cum enim ſorum cum hoc templo coniunctum ſit, ingens prædicationi uerbi Dei iniuria fit, cum multi è ciuibus, quo tempore ſacra habetur concio, per forum deambulant. quare ſignifico omnibus, me excommunicationis pœna in eos animaduerſurum, qui poſthac rem facere tam deteſtandam fuerint auſi. Videat nunc Senatus, quantò eſſet melius epiſcopi ueſtri monitis conſiliis que obtemperare. ſi enim, quemadmodum admoniti à me ſuperioribus diebus fueratis, temporaria indicta pœna cauiſſetis, ut hic error auferretur, non uentum eſſet ad excommunicationem, quæ omnium pœnarum eſt maxima, vt capitali pœnę coæquetur. idem ipſum multis aliis in rebus vſu venit, vt neglectis paſtoris veſtri pręceptis, multa peccetis. quod vitium ſi auſerri debeat, oportet, vt aliquando in ſenatu veſtro decernatis, num epiſcopus hic veſter is vir ſit, cui tutò credere vos poſsitis. ſi non eſt, mittite poſt eum legationem, dicentes, nolumus hunc regnare ſuper nos. *Luc. 19.* quanquam non multo hic opus eſſet labore. nam profiteor hic hodie, teſte hoc honeſtiſsimo cœtu, me epiſcopatu ceſſurum, vbi primum mihi virum propoſueritis, de quo tutus eſſe poſsim, fore, vt egregiè ſuo munere fungatur. ſin hic, quem nunc habetis, ſorte dignus eſt, cui tutò obtemperetis, & quem Dei conſilio agere omnia exiſtimetis, ſtatuite ſemel illi obedire, licet aliqua imperaret, quæ factu difficilia, aut minimè poſsibilia

bilia vobis videantur. Hoc magnum fortaſſe aliquibus exiſtimabitur. ſed rem dicam, quæ multò vobis maior videnda eſt. ſi epiſcopus veſter, aliqua vobis mandet, quę veſtro quidem iudicio non ſatis æqua videantur, ipſe tamen affirmet, ſe non ſine Dei conſilio illa pręcipere, credendum illi & obediendum eſt. quæ mea ſententia ne paradoxum quid alicui veſtrum eſſe videatur, eam ſcripturæ teſtimonio aſtruam. Quis veſtrum, hominem percuti, eúmque prophetam, rem eſſe nephariam non iudicet? & tamen videte, quid
3.*Re*.20. olim acciderit. vir quidam de filijs prophetarum dixit ad ſocium ſuum in ſermone Domini. percute me. at ille noluit percutere, cui ait. quia noluiſti audire vocem Domini, cum recedes à me, percutiet te leo. cúmque paululum receſsiſſet ab eo, inuenit eum leo, atque percuſsit. ſed & alterum inueniens virum, dixit ad eum. percute me. qui percuſsit eum, & vulnerauit. cernitis rem admirandam, eum videlicet, qui percuſsit prophetam, commendatum propter obedientiam, eum verò, qui percutere recuſauit, quaſi facinus abhorrentem, caſtigatum propterea, quòd obedire noluerit? ſed eo reuertamur, vnde digreſsi ſumus. Quod verò ſeueram hanc pœnam ſtatuimus ijs, qui, quo tempore verbum Dei tractatur, per forum deambulant, nequis rem factam exiſtimet, quæ nullo nitatur exemplo; ſcire vos velim, fuiſſe olim, cum Chriſtiani mores nondum erant ita prolapſi, morem in eccleſia, vt ciues, qui diebus Dominicis in templum non conuenirent, caſtigarentur, & quicunque ante peractam concionem diſceſsiſſet, excommunicaretur. at ij, qui ſacræ concionis tempore per forum ambulant, vtrunque peccant. nam neque in eccleſiam conueniunt, & deterius faciunt, nihil de verbo Dei audientes, quam ij, qui poſtea, quàm partem concionis audiuerint, diſcedunt. Verum, quando etiam aliqui, præſertim iuuentus, nulla habita Diuini honoris ratione, facile à concione diſcedunt, mandabo poſthac, vt eadem hora, qua in hunc locum aſcendo, portæ templi claudantur, vt impleatur, quod ſcriptum eſt: foras canes. nam ij ex eorum numero ſunt, de quibus ſu
Mat.7. perioribus diebus audiſtis Dominum dicentem. ne detis ſanctum canibus, neque proijciatis margaritas ante porcos. Volui etiam alij errori occurrere. nam etſi ſublatus eſt ille mos, qui ante me epiſcopum in hac vrbe erat, vt feſtis diebus vix paſsim menſis ludentium plenę eſſent, reliquias tamen, quæ ſuperſunt, tollere decreui.

quare

quare ſtatui, vt, quicunque alea, & taxillis, & alijs ab eccleſia prohibitis ludendi generibus ludere reperti fuerint, pecuniaria pœna plectantur. quod ſi hoc palam fecerint, pœna eis duplicetur. ſed hac in re illud magis doleo, quòd ij, qui epiſcopi adiutores eſſe debuerant, ad tollendas hoſce abuſus, illi ipſi auctores horum malorum ſunt. nam ſuperioribus diebus, cum exercitij gratia prodiſſem domo, reperi cœtum hominum in via, ſpectantium ludentes, & qui ludebant, ſenes erant. quod vbi conſpexi, ferre non potui, ſed propius accedens, & pecuniam & taxillos illis abſtuli. O perditum ſeculum. ſenes, qui optimis exemplis iuuentutem formare debuerant, ipſi contrariam viam illis commonſtrant. hoc multò deterius eſt, quàm quod ſæpe de vobis conqueſtus ſum, quòd videlicet me ſolum relinquatis in ijs, quæ ad emendandos ciuitatis mores pertinent. neque enim ſolum ceſſatis, ſed facta contraria meis inſtitutionibus introducitis. Mandaui pręterea in ſynodo cuſtodibus ſacrarij, vt neminem è populo ingredi ſacrarium patiantur, toto eo tempore, quo ſacerdotes ſe ad rem Diuinam faciendam prę parant. cerno enim rem nimis abſurdam, ciues cum ſacerdotibus nugari, dum ijdem ſacerdotes ſacras induunt veſtes, & accingunt ſe ad illud peragendum ſacrificium, quod ipſis etiam angelis eſt admirationi. Heu quàm miſerè peſſum it res Chriſtiana. ſacerdotium, cuius dignitatem cœleſtes illę mentes reuerentur, apud ipſos Chriſtianos ita viluit, vt nihil vilius nunc ſacerdotibus habeatur. dicite obſecro mihi, nónne vtimini ſacerdotibus, tanquam interceſſoribus pro vobis apud Deum? quàm verò gratam cenſetis futuram eorum interceſsionem, cum poſt nugas & inania colloquia, mox ad rem Diuinam faciendam, ſine ulla animi compoſitione ſe conferunt? rem dicam horroris plenam, quę in hac urbe ante me epiſcopum accidit, induerat ſe ſacerdos veſtibus ſacris, & calicem manu tenebat, iturus ad ſacrificium celebrandum, & ante quàm prodiret è ſacrario, paciſcitur cum quodam ciue, qui in ſacrario erat, ſe, vbi primum rem Diuinam feciſſet, nummum aureum cum eo taxillis luſurum. & hæc mala ex veſtra nimia cum ſacerdotibus conſuetudine eueniunt. quos ſi, vt æquum eſſet, veneraremini, ipſi quoque dignitatem ſuam agnoſcerent, ſeſé que colligerent, eſſént que aptiſsimi pro peccatis veſtris apud omnipotentem Dominum interceſſores. Sed difficile erit, ſacerdotes habere ad hoc

hoc officij munus præſtandum aptos tandiu, dum hic abuſus perdurat, quod ij, qui in clerum aſribi quęrunt, non hoc faciunt ſtudio incumbendi Diuinis rebus ac ſeruiendi Deo, ſed ob vnam hanc cauſam, vt eccleſiaſticis beneficijs ditentur, qui tantum ab eo abſunt, vt officio ſuo fungi velint, vt plerunque eccleſiaſticis vti veſtibus recuſent, perinde quaſi pudeat eos videri eccleſiaſticos. cum tamen interea eccleſiaſticis fructibus delitientur, atque adeo luxurient. quòd ſi eccleſiaſticum cultum circunferunt, onera omnia ita refugiunt, vt ad laudandum Deum, quod ſummæ voluptati eſſe deberet, non niſi coacti conuenire velint. Et prima quidem huius mali culpa in parentes reijcienda eſt, quos video tam rabidè ac furenter ſancta inuadere, vt manifeſtiſsimam prębeant ſignificationem, ſe nihil aliud, quàm Chriſti patrimonium expetere. qui quanto in ſalutis periculo verſentur, mecum quęſo ſic cogitent. Si verum eſt, quod pontificij iuris periti volunt, quicunque eccleſiaſticum beneficium habét, canonicas horas pſallere quotidie tenentur, ídque ſub lætalis peccati pœna. at plerunque ij, quibus beneficia eccleſiaſtica collata ſunt, ne legere quidem, aut vix ſciunt, vt vel ob infantiam vel imperitiam pręſtare nequeant, quod debent. totum verò horum malorum crimen in parentes in primis reijcitur, qui hęc curauerunt, & tamen catholicos ſe viros profitentur. exhomologeſim peccatorum quotannis, & ſæpius interdum per annum faciunt, atque ad euchariſtię myſteria accedunt, & regnum cœlorum ſibi pollicentur, cum tamen in tam multis lætalibus criminibus ſemper viuant, ín que illis demum moriantur. O' ſtupiditatem, ò Cimmerias tenebras. cernitis quàm ſit verũ, quod ſępe dixi vobis, vereri me, ne maxima veſtri pars, cum cœlum tangere digito ſe credet, in Geennę incendijs poſtremo reperiatur. ſed reſpondent mihi ciues mei, cum iſta interdum apud illos doleo, ſe ob paupertatem beneficia iſta attentare. ergo ſpoliandus Chriſtus eſt, vt viuatis, aut potius vt deliciosè viuatis? hoccine eſt hominum eorum, qui Chriſtum profitentur? an non præſtaret, ſiquid Chriſtiani pectoris eſſet in vobis, nudos vagóſque mendicare, quàm tam aliena à Chri-
Mat.6. ſti legibus aggredi? pręterea, nonne meminiſtis, Chriſtum pollicitum fuiſſe ijs, qui regnum Dei, & iuſtitiam eius quærerent, fore, vt hæc omnia pro quibus tam anxij ſunt, adijcientur? ſi Chriſtum veritatem eſſe creditis, vereri poteſtis, ne, quicquid pollicitus eſt, præſtet?

prę{ſ}tet? quòd ſi fidere illi vir Chriſtianus debet, deſinite tandem aliquando tam ſcelerata, támque à Chriſto aliena conari. Docebo autem vos, quo pacto filios veſtros, cum veſtra & totius ciuitatis vtilitate eccleſiaſticos faciatis. primum ſinite, vt filij ipſi veſtri à Dei ſpiritu moueantur, & appetitus hic ſeruiendi Deo ex eorum animo proficiſcatur, ſine vlla eccleſiaſticorum fructuum contemplatione. deinde cum ſynceram hanc eorum mentem fueritis intuiti, ducite hos ad epiſcopum, & eos illi offerte, vt eos regat pro arbitrio, & doceat, qua via ſit illis ingrediendum. epiſcopus verò pro vitę merito erga vnumquenque ſe, vt pater, geret, ac ſuo tempore eccleſiaſticis beneficijs honeſtabit. ij verò, vt qui ab epiſcopo inſtructi rectam viam fuerint, & quo pacto eccleſiaſtici fructus ſint diſtribuendi, eiſdem fructibus non abutentur, quemadmodum nunc fit, neque dabunt operam, vt paterna domus fiat ex humili potens, ſed eam relinquent in eo ſtatu, in quo prius fuerat, quàm eccleſiaſtica beneficia adipiſcerentur. quòd ſi fortè parentibus victus & cul tus defuerit, eos ita alent, vt nutriri pauperes ſolent. ſin ſorores habuerint viris locandas, omni prorſus dote deſtitutas, locabunt tanquam pauperes, neque, ſi earum conditio decem nummis aureis contenta eſt, centum adiicient, vt ditioribus atque honoratioribus locentur. hęc ſi fierent, & filios haberetis probos ac diuites etiam. nam virtutem ac probitatem opes ſequi ſolent. & Chriſti eccleſia eſſet honeſtata, & populus à bonis veriſque paſtoribus regeretur, conſequeretúrque animarum ſalus. nunc verò in tanta rerum confuſione, animarum quidem, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ſalutis nulla eſt cura, ſolæ autem pecunię, ſolæ facultates eccleſiaſticæ quæruntur. &, cum leges canonicę vnum & eundem plura beneficia habere prohibeant, ea per diſpenſationem aſſequuntur, neque cogitant, quod & pontificij iuris periti aſſerunt, eas eſſe non diſpenſationes, ſed diſsipationes, quæ non eccleſię contemplatione vtilitatis, ſed priuati commodi gratia fiunt, neque conſcientiam eorum, qui ea tenent, tutam vnquam eſſe apud Deum, quando hac in re non ſolum humana, verum etiam Diuina iura violantur, dum Chriſti patrimonium miſerè diſperditur, & ex deprauata cleri vita, populus quoque deterior in dies fit, & vniuerſus eccleſię ſtatus confunditur. Hæc cum intelligatis ciues mei, mutate mentem mihi credite, & Chriſtianos mores induere incipite, vt & hanc vitam,

tam, ceſſantibus his tumultibus, qui nunc ob intemperanteis hos affectus maximè vigent, tranquilliorem agamus, & illam aſſequamur ſempiternam. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMA-SECVNDA.

DICO enim vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſęorum, non poteſtis ingredi in regnum cœlorum. Dixerat Dominus magnum eum vocandum, quicunque feciſſet pariter & docuiſſet, nunc faciendi modum docet, qui modus à Scribis & Phariſæis fuerat corruptus, quod ita eſſe accipiendum, verba ipſa ſignificant. neque enim dixit, niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm iuſtitia legis, non intrabitis in regnum cœlorum, alioqui videretur ſibi contrarius, cum alibi ei reſponderit, qui præcepta legis enumerauerat. hoc fac, & viues. ſed dixit, plus quàm iu-
Mat. 19. ſtitia Scribarum & Phariſæorum, qui neglecta vi legis, literæ adhę-
Mar. 10. rebant, & ſuis moribus conſentaneas interpretationes adhibebant.
Luc. 18. quod alibi in hoc ipſo Euangelio facilè diſcere poteſtis, vbi repre-
Mat. 23. hendit eos Dominus, quòd clauderent regnum cœlorum hominibus, & nec ipſi intrarent, nec alios ſinerent intrare, quòd duces cæci eſſent, quos ita auaritię morbus excæcauerat, vt docere auderent, ſiquis iuraſſet per templum, nihil eſſe, qui verò iuraſſet per aurum templi, eum eſſe debitorem. &, quicunque iuraſſet per altare, nihil eſſe, quicunque autem iuraſſet per donum, quod eſt ſuper illud, hunc debere. perinde quaſi maius quid eſſet aurum quàm templum, quod ſanctificat aurum, & donum quod in altari offertur, maius eſſet, quàm altare, quod ſanctificat donum. quod quidem monſtroſum videri vobis poteſt, ſed multò monſtroſiora ſunt, quę nunc ij, qui Scribarum ac Phariſæorum locum tenent, facere deprehenduntur. nihil enim vel templum vel altare curant, ſed tantum

tum auri donorúmque, quæ in templo ac altaribus offeruntur, ſtudioſi ſunt, atque in hoc penè ſolo ſunt vigilantiſsimi, vt omnes auferantur occaſiones, quibus impediri lucrum eorum poſsit, quæ res ſupremum malorum illis exiſtimatur. Nunc eccleſiaſticis beneficijs ita paſsim homines abutuntur, tanquam inter ea & paternam hæreditatem nihil interſit, niſi quòd ex bonorum eccleſię acceſsione, lautius ſplendidiúſque viuendi, & augendę filiarum vel ſororum dotis accipiunt occaſionem, atque id tam ſecurè faciunt, vt nullo ſe conſcientiæ ſcrupulo teneri exiſtiment. Sed quando omnibus loquimur, declarandum eſt, quid hęc duo verba Scribæ & Phariſæi ſignificent. video enim hęc à pleriſque omnibus ignorari, præſertim nomen Scribarum, cum videantur à ſcribendi officio nomen accepiſſe. ſed non ita eſt, verum ſic appellantur à ſacrę ſcripturæ intelligentia vel profeſsione. cum enim quælibet facultas ſuam habeat appellationem, à qua ij denominationem habent, qui illam profitentur, vt Grammatica, à quo Grammatici, à Dialectica Dialectici, à Philoſophia Philoſophi; ſic Diuina lex ob excellentiam quandam Scriptura appellatur, quamuis reliquę etiam facultates ſcriptis conſtent. ab hoc ergo ſcripturæ vocabulo, quicunq; in eam incumbebant, eámque profitebantur, Scribæ appellabantur. Phariſæi verò Hebręa vox eſt, à verbo פרש profecta, quod diuiſionem & interruptionem ſignificat, videntúrque ita appellati, quòd vitę inſtituto à communi aliorum conſuetudine diſiungerentur. quæ res effecit, vt ſe aliquid plus eſſe quàm cæteri, ſibi perſuaderent, atque iccirco alios aſpernarentur. ex horum numero erat ille, cuius Seruator meminit, qui precaturus Deum dicebat. gratias tibi ago Deus, quòd non ſum ſicut cæteri hominum, iniuſti, raptores, adulteri, veluti hic publicanus. ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſsideo. Ij ergo phariſęi ęquè atque Scribę ſcientiam legis profitebantur, erántque aliorum magiſtri, quamuis quæ alios docebant, ipſi non facerent. quare admonebat turbas Dominus, cum de illis loqueretur, & dicebat. ſuper cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſęi. quę ergo dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere. & illi quidem hoc ſaltem pręſtabant, vt docerent populum recta, tametſi ipſi minimè illa ſeruarent. at noſtri, qui Scribarum ac Phariſæorum locum habent, non ſolum non faciunt, ſed ne docent quidem quæ ſint facienda. quę res efficit, vt vix perſua-

Luc. 18.

Mat. 23.

dere mihi ipſe poſsim, eos in Chriſtum credere, alioqui quo pacto vel intentatas à Deo Geennę minas non expaueſcerent? ſed opinor id illis accidere, quod pleriſque veſtrum etiam vſu venit, qui dum
Tit. 1. ſatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, opinione tantum credunt, hoc eſt, ſibi perſuadent ſe credere, ſed eorum facta contrarium arguunt. Hæc præfatus Dominus, admonitiſque diſcipulis, oportere in Diuina præcepta accuratius incumbere, quàm à Scribis & Phariſęis fieret, iam docere incipit, apertiúſque declarare quid velit. ait enim. Audiſtis, quòd dictum ſit antiquis, non occides, qui autem occiderit, obnoxius erit iudicio. at ego dico vobis, quòd quiſquis iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, obnoxius erit iudicio. quicunque verò dixerit fratri ſuo Raca, obnoxius erit concilio, qui autem dixerit fatue, obnoxius erit Geennę ignis. Voluntas quidem legis erat, intimas etiam cogitationes perpurgare, ſed quemadmodum in ijs, quę ad fidei dogmata pertinebant, ita ſe attemperauit hominum capacitati, vt ea non apertè prodiderit, ſed inuolucris quibuſdam obtecta dederit, quibus progreſſu temporis lux aliqua à prophetis adderetur, ac demum per aduentum Chriſti explicarentur; ſic in ijs, quę ad mores ac vitam ſpectabant, contenta pro hominum ętatis illius captu, exteriora facta amputare, vt cędes, adulteria, furta, interiorum cogitationum purificationem illis tractandam relinquebat, qui huius legis futuri fuiſſent interpretes. Videntur ergo hi Scribę ac Phariſæi, qui huius legis interpretandę munus habebant, nullam interioris hominis purgandi curam
Mat. 5. habuiſſe, atque ob eam cauſam dixiſſe Dominum, oportere eos, qui regnum cœlorum aſſequi cuperent, maiora præſtare quam Scribę & Phariſæi, qui non ad regnum cœlorum formabant homines, ſed ſicut omnia faciebant, vt viderentur ab hominibus, ſic,
Mat. 10. cum diſcipulus non ſit ſuper magiſtrum, quemadmodum ait Dominus, eorum auditores poterant exiſtimare, ſatis eſſe ad iuſtitiam legis implendam, ſi ab illis factis abſtinerent, quæ hominum teſtimonio reuinci poſſunt, quod ſatis quidem erat, ſi ciuilis tantum inter alios uitæ conſuetudo conſideretur, non enim caſtigabantur, qui nihil in externo opere iniquum egiſſent. uerum ante æterni iudicis tribunal, qui non facta ſolum externa, ſed interio-
Pſal. 7. res etiam animi motus obſeruat, ſcrutans enim corda (inquit) & renes Deus, illa non erunt ſatis. Cum ergo nos Dominus ad regnum

gnum formare vellet, hanc corrigit partem, & ait. audiſtis quòd di ctum ſit. à quo? à Deo per Moſen. at ipſe erat Deus. uerum ſi dixiſſet, à me, non fuiſſet in bonam partem acceptum, cum illius non dum agnita eſſet Diuinitas. ſi dixiſſet à Deo, uiſus fuiſſet ſe excluſiſſe. media ergo ingreſſus eſt uia. & ait. audiſtis quòd dictum ſit. quibus? non dixit, Hebræis, ſed ueteribus, ut intelligerent, uetera eſſe abolenda, noua que introducenda, quod enim ueteraſcit & antiquatur, prope interitum eſt. quid ergo dictum eſt? non occides. qui autem occiderit, obnoxius erit iudicio. In lege Moſis mã datum fuit, ut, cum non uno modo hominis interfectio fiat, ſed interdum data opera, interdum caſu & ab inuito quis interficiatur, quicunque hominem interfeciſſet, ad unam urbium, quę huic ne gocio fuiſſent deputatæ, confugeret, neque à quopiam poſſet lædi, donec ſtaret in conſpectu multitudinis, & cauſa illius iudicaretur. atque hoc eſt, quod dicit Dominus. qui occiderit, obnoxius erit iudicio, hoc eſt, dignus erit, qui in iudicium uocetur, redditurus rationem, quam ob cauſam aut quo pacto illum occiderit. & hæc quidem ueteribus. quid uerò Dominus nobis? ego autem dico uobis (inquit) quòd quicunque iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, obnoxius erit iudicio. Cernitis legis Euangelicæ exactam correctionem? quæ enim pœna in lege eſt homicidis decreta, eadem in Euangelio ei intentatur, qui tantummodo iraſcatur fratri ſuo ſine cauſa. & rectè quidem additum eſt, ſine cauſa. nam motibus animi à natura nobis inſitis uti cum cauſa, hoc eſt, cum ratione, uirtus eſt, atque interdum non uti uitium. quid enim aliud uirtus eſt, ut rectè uir quidam eruditione & ſanctitate pręſtans dixit, quàm moderatæ ac ratione gubernatæ affectiones? ſicubi ergo indignatione opus fuerit aduerſus inertem, qui ſubiectus nobis ſit, eſto ratione temperata indignatio. etenim gladijs utuntur quidem & homicidæ, utuntur & medici. at illi quandoquidem ex ira & crudelitate arma contrectant, indecentiſsimè agunt, dum eos interficiunt, qui eiuſdem generis ac naturę ſunt. hi uerò quia ratione adducuntur, ut gladio utantur, maximam præterea afferunt utilitatem. nam periclitantes ſeruant. ſic qui cum ratione ſcit indignari, maximè illi prodeſt, aduerſus quem uſus fuerit indignatione, dum inertiam aut uitium corrigit. qui uerò à perturbatione iræ occupatur, nihil ſanum aut rectum efficit. cum ergo audis, licere interdum iraſci, non

Exo.20. *Deu.5.* *Exo.21.*

non eum iraſcendi morem accipias, quo paſsim homines utuntur, dum perturbata ratione ferri ſe extra prefixos ab ea terminos ſinūt. ſed ille naturæ calor permittitur, quo iuuemur ad ſalubres proximo cuique increpationes caſtigationés que adhibendas, quando experti ſumus tranquillum illi ſermonem non profuiſſe. Vtendum eſt ergo indignatione tanquam bene educato cane, qui tantum cum neceſſe eſt, hoc eſt, aduerſus fures atque hoſtes allatret, quod niſi faciat, officio minimè fungatur ſuo. nam ſi penitus auellerentur affectus, ratio ſegnior atque hebetior fieret, non aliter quàm gubernator uentorum flatu deſtitutus. Quòd uerò etiam eos, quibus manſuetudo curæ eſt, deceat opportuna indignatio, hinc patet. etenim Moſes, qui teſtimonium habuit manſuetudinis ſuper omnes homines, tempore inuitante indignatus eſt, tum quidem cum uitulum fabricati ſunt, tum uerò cum maculati & polluti ſunt coram Beelphegor. cenſetis enim eum potuiſſe non incaleſcere, cum diceret, ſiquis eſt Domini, iungatur mihi, ponat uir gladium ſu-
Exo.32. per femur ſuum, ite & redite à porta uſq; ad portam per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem & amicum & proximum ſuum? fieri ergo poteſt, ut, qui manſuetus eſt, & cum ratione incaleſcat, neque tamen manſuetudinis uirtus corrumpatur. at immotum manere, uel, uti decet, non indignari, inertia naturæ non manſuetudo uocari debet. neque enim illa Stoicorum (ut ſic dicam) inſenſibilitas probata eſt, qui uolunt ſapientem nullo affectu animi commoueri debere. quid enim intereſt, motu animi ſublato, non dico inter pecudem & hominem, ſed inter hominem & ſaxum aut truncum, aut quiduis generis eiuſdem? ita ij, qui ſapientię ſibi nomen uſurpabant, dum ſapientem effingere uellent, non ſolum ſapientiam illi, uerum etiam ſenſum penè abſtulerunt. At Chriſtus Dei ſapientia, qui hominem formauit, idem quid
Heb.4. homini conueniret non ignorans, ipſe factus homo, & per omnia ſimilis noſtri effectus abſque peccato, non recuſauit humanos affe
Ioan.11. ctus, eis que, ubi opus erat, uſus fuit. ut cum in Lazari hiſtoria tur
Mar.3. bauit ſeipſum, & lacrymatus eſt. & apud Marcum ita legitur. cum
Mar.11. circunſpexiſſet eos cum iracundia, dolens ſuper cæcitate cordis eorum. in eundem modum cum eiecit è templo ementes & uenden
Luc.19. tes, credibile eſt, illum etiam uultu præ ſe iuſtam indignationem tuliſſe. Sed uidendum adhuc eſt. quo pacto illud, ſine cauſa, ſit

acci-

accipiendum. quod tum demum intelligetur, cum agnitum fuerit, quando quis cum cauſa iraſci dici poſsit. & huius quidem rei exemplum non aliunde aptius, quàm à ſcripturis ſanctis accipi poteſt, in quibus primum Deo ira ſępe attribuitur, qui tamen nullis *Deu*.1.3. humanis affectibus eſt obnoxius. ſed hoc propterea fit, ut, dum 4. more noſtro de eo fit ſermo, ſimus ad eius facta & gubernationem ac curam noſtri intelligendam capaciores. cum ergo dicitur, Deum iratum eſſe, & Deum uelle iram ſuam effundere, ſemper uitia atque peccata in cauſa ſunt. ſic Seruator Chriſtus in aſſumpta natura noſtra cum indignationem exercuit, ob eadem peccata hoc fecit, atque ut patris ſui gloriam tueretur. auferte (inquit cum flagello eſt *Ioan*.2 1. uſus) iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negocia *Exo*.3 2. tionis. eodem pacto Moſes cędem illam, cuius dudum meminimus, fecit ob populi peccatum in fabricato uitulo, nec tamen in illa ira charitatem in illos abiecit. quod apertiſsimè ſignificauit, cum poſt circiter tria millia hominum interfecta, precatus eſt in hunc modum. Obſecro, peccauit populus peccatum maximum, fecerúntque ſibi Deos aureos. aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti. Hæc una uia eſt, ut iraſci cum cauſa quis poſsit, cum ſceleribus iraſcimur, & quoties Diuinę gloriæ detrahi uidemus. ſed cum alicui ob priuata incommoda ſuccenſemus, hoc ſemper ſine cauſa facimus. at hunc unum miſeri iraſcendi modum agnoſcimus, ſuccenſemúſque proximo cuique non ob iniuriam irrogatam Deo, quod ne in mentem quidem uenire patimur, ſed propterea quòd nos ab eo fuiſſe læſos exiſtimamus, quamuis plerunque accidat, ut ne læſi quidem ſimus, ſed id nobis duntaxat ita eſſe videatur. Qui ergo iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, obnoxius erit iudicio, quæ pœna in lege erat homicidæ. atque hęc quidem ira accipienda eſt, quę in animo duntaxat ſit orta, neque dum ſe foras prodiderit. quod ex ijs, quæ ſequuntur, ſatis apertum eſt. nam ſequitur. qui autem dixerit Raca, obnoxius erit concilio. Raca vox Hebręa quidem eſt, quę apud Hebręos ſic ſcribitur רקה, & ſignificat genam, hoc eſt, partem illam faciei, quæ carnę uacua eſt. vnde רק, vacuum, ſed fortaſſe hoc loco nihil aliud ſignificat, quàm animi motum iam ſe oſtendentem, citra tamen manifeſtam contumeliam, vel certè non plenè expreſſam, vt ſiquis vacuum quempiam appellaret, neque tamen adderet, mente vel ratio-

modi habita ratione, tum demum, aut potius tunc ſolum agnoſci te uos cum cauſa conuicia proferre. hoc uos docet Paulus, qui cum Galatas ſtultos appellauiſſet, in eadem epiſtola & fratres & filios uocat. filioli mei (inquit) quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in uobis. quam uerò ob cauſam ſtultos eos appellauerat? nimirum ſalutis illorum gratia, quòd ſe à falſis apoſtolis in errorem abduci eſſent paſsi. Simul illud cogitate. ſi uerbo duntaxat offendere, reum Geennæ hominem facit, quid cum facto lædit? cum ſemper rem alterius ad ſe trahere ſtudet? cum, ut pecuniam maiorem conflet, horrea claudit, patitúr que atque adeo committit, ut pauperes Chriſti miſerè pereant? ne quæſo in re tam periculoſa tam ſupini ſimus. audio tamen aliquos ueſtrum iam cœpiſſe hunc errorem corrigere. ſed cupio omnes ſeſe ab iis malis expedire, & præterea tantam parandæ æternæ ſalutis occaſionem non amittere. fiet enim uolente Deo, ut tritici copia in hanc urbem inuehatur, atque interea ſata futuram ubertatem polliceantur, & euadet ſine ueſtro ullo fructu annona uilis. atque ita non futuræ mercedis ſolum, uerum etiam præſentis utilitatis fructu ueſtra culpa deſtituemini, ſeró que uos ſtultitiæ ueſtræ pœnitebit. Subeat uos identidem horum Domini uerborum recordatio, & cogitate, quàm exacta à nobis uiuendi ratio exquiratur, eám que præſtare tota mente atque omni animo ſtudeamus, ut non ſolum intentata Geennæ incendia euadamus, ſed ſempiterna etiam bona conſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Gal. 4.

ORATIO TRIGESIMA-
TERTIA.

HODIERNA concio appendix potius quędam ſuperioris orationis futura eſt, quàm noua oratio, ut quę tunc fuerant dicenda, hodie animis auribus que minimè defatigatis opportunius proponantur: atque ut à poſterioribus Euangelici ſermonis uerbis exordiamur, mirari poſſem, atque adeo deberem, ſi non illæ terrificæ minæ, quę ijs intentantur, qui fratrem ſuum appellauerint fatuum, veſtras adhuc aureis circunſonant. atque ob eam rem cogitaſtis il-
Pſal. 34. lud efficere, quod propheta de ſe dicebat. dixi (inquiens) cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. poſui ori meo cuſtodiam. Et ſanè cum multa ſint, quæ cohibere à tanta linguæ petulantia homines deberent, tum hoc in primis cogitare videlicet, quanta immineat vltio temere verba proferentibus, cum alibi di-
Mat. 12. ctum ab eodem Domino legamus, etiam ocioſa verba in iudicium eſſe vocanda. quid autem pernicioſis, laſciuis, contumelioſis verbis fiet, quę tamen quotidie vobis in ore verſantur? qui ſi ad hæc Euangelica tonitrua potius quàm monita non reſipiſcitis, & finem his veſtris moribus tandem aliquando imponitis, non ſolum fructum ex his laboribus meis nullum referetis, ſed maioris etiam fiet condemnationis acceſsio, atque illud Seruatoris in Iudęos dictum
Ioan. 15. etiam in vos contorquebitur. ſi non veniſſem (inquit) & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem nullam habent de peccato ſuo. Illud etiam cogitate. ſi fatuum appellare, obnoxium Geennę incendio facit, fatuum atq; inſanum efficere, multò profectò eſt damnabilius. hoc autem admonui propterea, quòd audio quoſdam veſtrum ſine vllo ſcrupulo ac timore Dei, vbi quempiam cernunt aliquantum errore mentis affici, non ante ceſſare, quàm inſanum illum ſuis nugis omnino reddiderint. quo pacto non agnoſcitis tantum ſcelus? cur tam ſupini in rebus tanti ponderis eſtis? quid enim aliud nefarium ac ſceleratum eſt, ſi hoc non eſt? dare operam, vt homo animal ratione præditum, quód que hanc vnam ob cauſam homo eſt, quòd ratione ac mente

mente conſtat, eadem ratione priuetur? vt verò acutius intelligatis, quantum hoc piaculum ſit, fingite quempiam facinoroſum hominem, qui ſuis præſtigijs ac magicis artibus alicuius veſtrum corpus conatus ſit immutare, vt equus videatur. nón ne hunc crudeliſsimis ſupplicijs dignum exiſtimaretis, quamuis illa immutatio ad exteriorem tantum hominem pertinuiſſet, nihil que de interiori fuiſſet immutatum? cum verò ea pars, quæ hominem efficit, hoc eſt, ratio ac mens prorſus veſtra opera ab homine aufertur, quæ pœnæ ſatis erunt ad tantum facinus caſtigandum? vt mittam interea, vos non minus teneri inſtaurare damna, quæ illius domus, quem inſanire coëgiſtis, paſſa ſit ex hoc facto, quàm ſi vel vulneratus vel interfectus à vobis fuiſſet. quare tollite barbarum hunc morem mihi credite, & deſinite pueri eſſe ſenſibus, dum videmini tanta peccantes, tamen quid peccetis non intelligere, ueniát que vobis in mentem, ob rem multò minoris momenti, hoc eſt, ſola fatui appellatione, Geennam fuiſſe à Domino intentatam. Sed quando nunc duntaxat in Geennæ nómen incidimus, operæpretium eſt declarare, vnde acceptum hoc nomen ſit. Geenna Hebræa vox eſt, ſignificát que vallem Ennon. huius autem mentionem hiſtoriæ in Ieremia inuenietis, vbi ait. Aedificauerunt excelſa Thophet, quæ eſt in valle filij Ennon, ut incenderent filios ſuos & filias ſuas igni. ferunt ergo Hebræi, ex hoc loco appellatam eſſe Geennam, quòd ſcilicet omnis populus Iudæorum ibi periret offendens Deum; Thopheth autem locus erat apud Ieruſalem in Geenna. hoc eſt, in ualle Ennon, ſatis amœnus, ac propterea, vt perditorum hominum mos eſt, abuti Diuinis beneficijs, aras ibi poſuerant, vbi idolis immolabant, & ea tanquam Deos tanta inſania colebant, vt etiam filios immolarent. Thopheth verò à tympano habere nomen videtur ob eam cauſam, quam mox audietis. colebatur autem ibi Moloch, vt ferunt. erat facies eius vt vituli, manibus ad accipiendum ab aſtantibus diſpoſitis. & aram eius habuiſſe dicunt ſeptem conclauia, quorum primum aperiebant offerendæ ſimilæ, ſecundum turturibus, tertium oui, quartum arieti, quintum vitulo, ſextum boui. qui verò vellet offerre filium, huic aperiebatur ſeptimum cubiculum. porrò puer receptus ab idolo ſuccendebatur, & igne peribat, ſaltantibus ijs, qui aſtabant, &, ne pueri eiulatus audiretur, tympanis perſonantibus. Idolum hoc Saturnum quidam Ier. 7.

putauerunt & Sidoniorum Deum, cui pueros immolabant. ſumptam ſorunt hanc falſam religionem à praua imitatione, quando-
Gen. 12. quidem fides eximia Abrahę comprobata eſt in filij oblatione. hi autem abſque iuſſu Dei rem ſimilem attentarunt, eo nomine Deo ſe
4.Re.23. placituros ſperantes. tandem rex Ioſias contaminauit locum illum, proijciendo illuc cadauera, & alias quaſcunque potuit immunditias. Et hæc quidem de Geennę ratione ſint dicta. ſed horruerunt opinor plerique veſtrum, tam crudeli audita re, parentum ſcilicet, qui filios ſuos ſimulacris immolauerint. & tamen deteriora à vobis fiunt, neque perhorreſcitis. nam multo eſt horribilius, hominum animas immolare quàm corpora. at cum vos filios veſtros ad hoc vnum formatis, vt auaritiæ, quam ſimulacrorum eſſe cultum
Colo. 3. Paulus dicit, toti incumbant, nihil que aliud quàm lucrum agnoſcant, quid aliud hoc eſt, quàm illos offerre ſimulacris? quibus tam vehementer eſtis affecti, vt ne Chriſti quidem patrimonio parcatis, ſed illud veſtrę ſeruire auaritię cogatis. Simul illud eſt obſeruandum, eos, qui ſine Deo erant, maiore ſtudio religionem ſuam coluiſſe, quamuis falſam, quàm nos noſtram omni veritate ſuffultam. videamus enim, quo pacto feſti dies noſtri à nobis agantur, quod in illis pietatis prę nobis ſignum feramus, quid inter hos & prophanos dies intereſſe faciamus, niſi quòd maioribus plerunq; ſceleribus incumbitur feſtis diebus. iocis enim ac ſcurrilibus verbis, venationi, aleis, crapulæ & ebrietati totos impenditis, neque unquam uenit in mentem cogitare Chriſtiani regni diuitias, quas eccleſia Chriſti in eiſdem diebus populis inſpiciendas proponit. quæ ſi contemplaremur, magni exiguo negocio euaderemus. Quis autem veſtrum in eo die, quem omnium ſanctorum memoriæ dedicatum nudius vndecimus celebrauimus, collegit ſeſe, & quid ille dies vellet, apud ſe reputauit? quod ſi feciſſet, quid non eſſet aſſecutus boni? quantos reperiſſet rerum theſauros? vidiſſet alterum cœlum ſideribus clariſsimis inſignitum, & eos in primis, de quibus ad Hebręos, poſt tam multos
Heb.11. ſingillatim enumeratos, demum ſic generatim ſcribitur. qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones, occluſerunt ora leonum, extinxerunt vim ignis, effugerunt acies gladij, validi facti ſunt ex imbecillitate, euaſerunt robuſti in bello, caſtra auerterunt exterorum. cętera que, ad quę, ne lon-

gior

gior hic ſim, vos remitto. cum verò ad nouum venitur teſtamentum, quæ, Deus bone, lumina extiterunt? quis ſatis miretur apoſtolorum virtutem in ſubigendo terrarum orbe, quod nulla antea quamuis eruditiſsimorum hominum ſapientia aut eloquentia potuit? quis vnius Pauli prouinciam laboréſque & indefeſſam tolerantiam, adde & vim homine maiorem pro dignitate explicet? accedit martyrum admiranda patientia, quorum vtrum admirer magis, vel conſtantiam vel numerum, non ſatis ſcio. virginum præterea chori, quę & ętatem & ſexum ſuperantes angelorum in corpore mortali vitam repræſentauerunt. monachorum innumeri greges, quorum vita & conſuetudo tota cum cœlo fuit. hęc ſi contemplaremini per eos dies, quos ob hanc ipſam cauſam ſancta Dei eccleſia horum memorię dedicauit, ingens fieret vobis ad omnia rectè facta incrementum. Non pudet, nos tantæ Dei erga genus noſtrum beneficentiæ ac liberalitati, penè dixi prodigalitati, tam eſſe ingratos? quę eſt in hominibus tanta peruerſitas, vt inuentis frugibus glande ueſcantur? conſiderate enim, quinam ſuperiorum ętatum ante huius lucis aduentum erat victus, quæ viuendi ratio, quę rectè factorum exempla, ad quę imitanda homines inuitarentur. Cum præſtantiſsimi Græcorum oratores inuitare pręſertim adoleſcentes ad pręclara facta uoluiſſent, Herculem & Theſeum & huius farinæ homines proponebant, qui inter cętera egregiè facta, rapiendis fœminis erant famoſiſsimi. è quibus cum Hercules duodecim ærumnis à poëtis celeberrimus habeatur, miror cur tertiumdecimum facinus non adiecerint, quod ſcilicet quinquaginta Theſtij neſcio cuius filias una nocte grauidas fecerit. rem profectò memorandam, & quæ ad omnium hominum irritandam laſciniam eſſet idonea. Quid Iupiter ille ſupremus, pater hominúm q; Deúm que? nón ne orbem omnium terrarum adulterijs & rapinis uirginum impleuit, ut tertia orbis pars, quam incolimus, nempe Europa, nomen à puella acceperit, quam in taurum conuerſus abſtulit? & tamen hæc monſtra uenerabantur ethnici, eíſque ſtatos dies aſſignabant, quos celeberrimos illorum cultui ac nomini dedicabant. nos uerò diuitias noſtras & tantam rerum copiam & maieſtatem ita parui atque adeo nihili facimus, ut nihil minus quàm de illis cogitemus. cerno uos in tam ſacratis uenerandíſque diebus totos huius uitæ tum curis tum uoluptatibus defixos, iocis ac ludis incumbentes,

bentes ut pleriqne veſtrum non uereantur palam in plateis ac triuijs ciuitatis aleis & eiuſmodi illiberalibus ludis operam dare. Quid prodeſt continua ueſtri paſtoris increpatio? quid quotidiani illius labores? uereor, (non enim eadem identidem repetere recuſabo;) uereor, inquam, ne mea hęc pręſentia plus uobis detrimenti, ueſtro tamen uitio, quàm utilitatis pariat, ita uos adhuc à recta & Chriſtiano homine digna, uideo alienos uia. O' inſaniam, ò Cimmerias tenebras. neque enim auocare oculos poſſum à contemplatione utriuſque, noſtri ſcilicet atque ethnicorum ſtatus. quorum ſi omnes, quotquot uſquam unquàm ue fuere uirtutibus & dignis laude factis clari, ſi omnes, inquam, ſimul coniungantur, unum uel minimum ex ijs, qui inter nos egregij habiti ſunt, æquare nullo modo poterunt. Creditus fuit inter eos, qui philoſophari ex animo uiſi fuerint, primas tenuiſſe Diogenes ille Cynicus, quamuis cognomen à cane acceptum facile arguat morum in homine impudentiam. in admiratione tamen erat, quòd dolium pro domo habitauerit, quòd ab Alexandro illum adeunte nihil poſtulauerit aliud, niſi uti ne ſibi ſolem, cuius radios obiectu ſui corporis impediebat, auferret. cętera que his uel minora uel certe non admodum præſtantiora. Cum uerò caſtitatis proferre exemplum uolunt, Lucretiam in medium afferunt, quę tamen probro potius quàm laude eſt digna. primum quòd mortem potius quàm ſtuprum pati debuerat, neque curare quid homines eſſent dicturi, quod illa apud

Dan. 13. noſtros Suſanna pulchrè intellexit. deinde quòd interficere ſeſe, pręſertim iam patrato ſcelere, ídque in inuitam, non fuit rationi conſentaneum. At ubi ad noſtros uentum eſt, qui exercitus ſeſe offerunt uirorum ac mulierum, qui ſua luce ipſi ſoli adimere lumen poſſunt? prodeat obſecro unus duntaxat, cui hodiernus hic dies dedicatus eſt, Martinus uidelicet epiſcopus, à quo quænam uirtutum exempla præclariſsima peti non poſſunt? ſi uitæ temperantiam quæris, adhuc adoleſcens & miles, in uictu tamen ac uita monachum potius quàm militem referebat. ſi modeſtiam animi que ſubmiſsionem, ipſe ſeruo ſuo ſeruitij uiciſsitudinem reddebat. ſi miſericordiam in pauperes, cum nihil aliud ſibi reliquum feciſſet, pauperem induit, abſciſſa ſuæ clamydis parte. ſi fidem, obijcienti tyranno, quòd mortis metu pugnam detrectaret, reſpondit, ſi hoc non fidei ſed ignauię aſcribitur, ego ſigno crucis non cly

peo

peo protectus aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. eadem in Deum fiducia uſus fuit, cum in latrones incidit, nam cum ex eis unus ſecurim iam in eum uibraret, aliúsque ictum prohibuiſſet, interrogatus poſtea ab illo num timuiſſet, dixit, nunquam ſe ita fuiſſe ſecurum, cum ſciret, Dei miſericordiam præſertim in periculis adeſſe ſolere. & hæc quidem tum ante baptiſmum, tum paulò poſt baptiſmum. cætera verò quæ vel monachus vel epiſcopus egit, non eſt vnius diei opus enarrare, quando in Diuinam quandam euectus naturam, maiora homine patrauit, reuocatis etiam ad uitam tribus mortuis. Dæmones & indomitę illæ aëriæ poteſtates illius increpationes minásque perhorreſcebant, bruta & ratione carentia animalia illius imperium audiebant. Conferte nunc unum iſtum cum tota ethnicorum gente, cúmque eorum præſtantisſimis quibusque. profectò omnes ſimul copulati unum hunc non ſolum non ęquabunt, uerum etiam longiſsimo interuallo ab eo deſtituentur. Has autem diuitias ſemper habuit Chriſtianum regnum, ſempérque eſt habiturum. atque vt huius rei fidem vobis faciam, unum duntaxat è pluribus, quæ mea ætate acciderunt, exemplum proferam. Iam ſunt anni circiter ſeptem, atque ego eo tempore eram abbas, creditáque à patribus Caſinatis reipublicæ, inter quos monachus degebam, mihi fuerat prouincia uiſitandorum aliquot cœnobiorum fœminarum ſanctimonialium. in quodam ergo cœnobio, quod Mediolani eſt, uocatúrque ſanctæ Rodegundæ, erat uirgo quædam ſanctimonialis. quam cum ſæpe cœleſtibus uiſionibus Chriſtus eius ſponſus fuiſſet dignatus, tum ſuperioribus menſibus in hoc ipſo, Diuo Martino dicato die, aliquot horas extaſim fuiſſe paſſam ſignificatum mihi erat, quid uerò ei accidiſſet, ſcire neminem. hanc ego iuſsi accerſiri, & ea, quam in illam ob munus uiſitandi habebam, auctoritate præcepi, ut rem omnem mihi, quo ſe pacto haberet, aperiret. illa parendi neceſſitate coacta, quamuis non parum fuiſſet reluctata, dixit. ſe poſt ueſpertinas laudes (in quibus Martini facta mentio fuerat, quòd ſcilicet uir ille exiguus & tenuis, & qui ſe nullius pretij in hac uita æſtimauerat, nunc in cœlo degeret, ac hymnis cœleſtibus honeſtaretur) collegiſſe ſeſe, & hæc eadem cœpiſſe cogitare. cum ecce de repente audire ſibi uiſa eſt angelorum cœtum hæc eadem canentem, quibuſdam tamen adiectis præterea uerbis. totum autem illud ſpatium

tium

tium uiſum ſibi fuiſſe, ut cum quis pulſans citharam, domum aliquam pertranſit. at ubi in ſe fuit reuerſa, in ingenteis lacrymas erupiſſe, doluiſſé que nimiam' hominum ignorationem, qui caducis momentaneis que ac leuibus rebus occupati, tanta ac tam felicia bona amitterent ſua ſocordia. Mitto cætera, quæ ab ea audiui, eidem ipſi aliâs accidiſſe. hoc autem unum à me dictum eſt, ut intelligatis perpetuas Chriſtianæ philoſophiæ diuitias, grati que eſſe incipiatis, detis que operam, vt ijs in poſterum accuratius, quàm hactenus à uobis factum ſit, fruamini. nihil eſt enim ingratitudine deteſtabilius. Expergiſcamur vel ſerò fratres chariſsimi, & ſuperiorum temporum veternum deponamus, pudeat que hactenus tam perdite vixiſſe, emendemûs que tam craſſos errores, vt præſentium donorum, quibus Dei profuſa liberalitate frui nobis datur,
1.Cor.2. fructum interea percipientes, infinita illa demum, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, aſſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMA-QVARTA.

SI ERGO offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade primum reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Superioribus verbis Dominus correxit non legis, quæ perfectum hominem efficere cupiebat nec poterat, ſed Scribarum & Phariſęorum doctrinam, qui ſuis monitionibus non eò prouehebant homines, ut percipiendo regno cœlorum eſſent idonei. neque enim poterant diſcipulos pręſtantiores efficere quàm ipſi eſſent. videntur autem cum de legis mandatis, quę hic numerantur, uerba facerent, nihil quod legis literam tranſiliret, cogitauiſſe, quę lex exteriora tantum facta amputare

re exiſtimabatur. vt quidam interpretari auſi fuerint illud, non *Deu. 5.*
concupiſces rem proximi tui, eſſe intelligendum tunc ſolum prohiberi, cum foras prodit. hoc inquam correxit Dominus, atque oſtendit, uiam, quæ ad regnum cœlorum duceret, longè anguſtiore calle eſſe ingrediendam, quàm eam, quæ tantum communi inter ciues conſuetudini ſatis poſſe facere uideretur. nam Euangelicus homo ad ſupernam rempublicam formatur, atque ad angelorum, purgatarúm que illarum mentium commercium conſuetudiném que ſempiternam, ubi uiſio Dei perpetua promittitur, quę uiſio ijs duntaxat, qui mundo corde ſint, eſt reſeruata. beati enim *Matt. 5.*
mundo corde (inquit) quoniam ipſi Deum uidebunt. meritò ergo ad fontem, vnde & bona & mala omnia proficiſcuntur, nos reuocat, vt iniquam interioris hominis atque animi commotionem cohibeamus, qua ſedata etiam malefacta externa conquieſcent. prius verò quàm fons exſiccetur, continuæ malorum ſcaturigines nunquam ſunt defuturę. qua in re illud etiam eſt cogitandum, hanc Euangelij, quæ tam ſeuera uidetur quibuſdam, correctionem efficere, vt facilior viuendi inter homines ratio introducatur. vbi enim quis interiores animi motus regere ſtudet, atque illis principio occurrere, nullum præterea negocium eſt ab externis factis abſtinere. quòd ſi eos effrenes ac præcipites fieri ſinamus, nullæ unquam pœnæ, nullæ caſtigationes idoneæ erunt, impetum malè affecti animi cohibere. atque hoc ſanè eſt, quod quidam exiſtimant & excuſant, ſe à carnis laſciuia, à contentionibus, à ſimultatibus, à mutuis offenſionibus abſtinere non poſſe. quod quidem uerum eſt tandiu id accidere, dum regere animum negligunt, atque illi moderari, ſed non excuſantur propterea, quòd illi regendo nullum adhibent ſtudium. Sed videamus Euangelici contextus rationem. Quòd tam exactè (inquit) & interiorem animi motum caſtigo, & multò ſeuerius etiam, cum ſeſe aperit, atque in manifeſtam contumeliam prodit, hoc ob eam cauſam facio, quòd cum ſumma legis Diuinæ ſit charitas, quæ Deum complectitur & proximum, eámque ex corde oriri oporteat, huic cordi in primis mederi eſt neceſſarium, quod antequam fiat, nihil exiſtimetis præſtare, quod Deo gratum ſit futurum. quod adeo ſic cognoſcite. Nihil videtur ad conciliandam principum erga nos beneuolentiam plus uirium habere, quàm dona & munera. donum enim hominis (ait Salomon)

dilatat uiam eius, & ante principes ſpatium illi facit. & rurſus.
Pro. 17. gemma gratiſsima eſt munus in oculis habentium ipſum, quocun
que ſe uertet, proſpere aget. quamuis ergo tanta ſit donorum
uis, ea tamen cœleſtis pater tandiu auerſatur, dum gratia atque ami
citia cum proximo quoque reconcilietur. Quo magis admirari de-
beremus quorundam ſupinas cogitationes, qui quotidianis preca-
tionibus (nam & hoc doni genus eſt, ſacrificij que ſpiritualis)
Deum irritant potius, quàm placant, dum nihil fratri remittere pa
tiuntur, & cupiunt uotorum ſuorum omnium compotes fieri, &
Dominicam illam orationem dicere audent, neque attendunt ſe
Mat. 6. contra ſemet ipſos illam proferre. cum enim petunt, vt remittat il-
Luc. 11. lis Deus debita ſua, ſicut ipſi remittunt ijs, qui ſibi debent, nihil
aliud poſtulant, quàm vt, quemadmodum ipſi crudeles in proxi-
mos ſuos ſunt, eandem etiam Deus in eos crudelitatem exerceat.
Attendite ergo quid hic Dominus dicat. *ſi offers* (inquit) *munus
tuum ad altare*. hoc autem, offerre munus ad altare, ob id dictum
eſt, quòd frequens eſſet corporeorum donorum in ueteri lege ad
altare delatio. tu uerò intellige quodcunque ob pietatem in Deum
das, ſiue eleemoſynam prębeas, ſiue preces offeras, ſiue quod a-
liud cunque rectum opus efficias, hoc ergo cum facis, *ſi interea re-
cordere, fratrem tuum habere aliquid aduerſum te, relinque ibi mu-
nus tuum ante altare, & uade prius reconciliare fratri tuo*, hoc
eſt, cogita ante omnia ut fratri offenſo ſatisfacias, & tunc erit gra-
tum Deo quod obtuleris. Sed eſt hic, quod pleroſque omnes deci-
pit, etiam eos interdum. qui pietatem profitentur, quod quæſo ut
attentiſsimè obſeruetis. maxima enim, quantum mihi uideor ex-
periri, hominum pars eſt, qui excogitatis mirandum in modum ra
tionibus, cauſas ſibi prętexunt, quibus ipſi potius habeant, cur de
proximo quoque quęrantur, quàm proximus de ſe. quę res pro-
hibet, ut nunquam charitas reconciliari inter illos poſsit. quod-
nam igitur tanto malo remedium excogitabimus? unum, & nul-
lum pręterea opinor aliud. hoc autem eſt, ut ſuſpectus unuſquiſ-
que ſibi ipſi ſit, recordetúr que amorem ſui cęcum eſſe, & priua-
tum hunc affectum multa mentiri ſibi, rariſsimé que accidere, aut
nunquam potius, ut rectè quis de ſe ſuís que factis nouerit iudica
re. iccirco uiri ſancti hoc ueriti, non audebant ne aduerſus ſeruos
quidem atque ancillas temere ferri. uidete enim quid de ſeipſo bea
tus

tus Iob dicebat. ſi contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo & an- *Iob.31.*
cilla mea, cum diſceptarent aduerſum me. ò mirificum hominem.
non dedignabatur uir tantus, nempe inter orientales primus, de-
mittere ſe ad ſeruorum & ancillarum audiendas aduerſus ſemet ip-
ſum querelas, & nos ne ciues quidem noſtros, & qui nobis pares
ſunt, atque interdum etiam ſuperiores, dignari nolumus, nec co-
gitare, fieri poſſe, ut iuſta illorum aduerſus nos ſit cauſa. Hoc ergo
ſingulare eſt, quod dixi, remedium reconciliandę gratiæ, ſi in noſ-
met deſcendamus, & diligentiſsimè perquiramus, nunquid à no-
bis profectum ſit, quo offendi frater potuerit. inueniemus enim,
niſi decipere ipſi nos uoluerimus, ſępiſsimè culpam, quam antea
in alterum reijciebamus, noſtram eſſe, qua inuenta, nihil erit nego-
cij, fratri ſuo reconciliari. & tunc demum gratum erit, quod Deo
offertur. nam dona iniquorum non probat altiſsimus. at iniqui *Eccl.34.*
tandiu ſumus, dum odia & ſimultates cum proximo quoquè exer-
cemus. Simul illud cogita, Dominum, cum de proximo, hoc eſt,
de quouis homine, qui nobiſcum uerſetur, uerba facit, admonuiſ-
ſe eum eſſe fratrem, ut cum dixit, qui iraſcitur fratri ſuo. & rur- *Mat.5.*
ſus. ſi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum
te. hæc recordatio quem non moueat inuitét que ad pacificatio-
nem? nam etſi inueniantur fratres, qui mutuis odiis certent, uix
tamen accidit, ut cum res ſerio eſt agenda, non commoueantur, &
ipſa natura eos exſtimulet, ut ab ultione conquieſcant. quod uos
met ipſos in quotidiana conſuetudine experiri certò ſcio, atque a-
deo ego ipſe in uobis experior, dum cerno quoſdam à fratribus ea
perpeti, quæ uix ab hoſte paterentur. & tamen tantum abeſt, ut
ulciſcantur iniuriam, ut etiam ſiquis de illorum honore detrahere
uelit, eos quanto poſſunt ſtudio tueantur. Quid prohiberet idem
ipſum erga omnes fieri, ſi cogitaremus illos fratres nobis eſſe, fra-
ternàm que erga illos charitatem indueremus? Et hęc quidem ſa-
tis ſint, quod ad illa uerba pertinet, *ſi frater habet aliquid aduer-
ſus te*. quid uerò, dicet aliquis, ſi ego aduerſus illum quicquam
habeo? quíd mihi tunc eſt faciendum? audi quid Seruator ipſe alio
loco dicat. Si peccauerit (inquit) in te frater tuus, uade & corri- *Mat.18.*
pe eum inter te & ipſum ſolum. ſi te audierit, lucratus es fratrem
tuum. cernis quid erga peccantem in te fratrem ſit faciendum?
nempe ut lucrari eum illiúsque ſalutem cures. ſi te audierit, (in-

quit) lucratus es fratrem tuum. non dixit, ſatis tibi tunc ab eo
factum erit. neque enim te admonere illum vult, vt tibi ſatis fiat,
Luc. 6. ſed vt eum lucreris. hanc ob cauſam iubet,vt diligamus inimicos,
vt bene illis precemur, benignè que faciamus, vt nobis iungantur,
atque ex hoſtibus amici ac fratres efficiantur. Et mirandum ſanè,
eum,qui Chriſto nomen dederit, & à Chriſto cognomen acceptum
circumferat, rem tanti à Chriſto æſtimatam ita negligere, vt vix il-
lam ſibi in mentem venire patiatur. & tamen nos illum amare, no-
ſtris cogitationibus perſuadere conamur, neque attendimus quid
ipſe dicat, cum nos docet, quæ ſint noſtri erga illum amoris ſigna.
Ioan.14. ſiquis (inquit) diligit me, ſermonem meum ſeruabit. at ſermo eius
Ioan.15. eſt, ac penè ſingulare præceptum,ut amemus inter nos. hoc eſt prę
ceptum meum (inquit) ut diligatis inter uos. & Ioannes Apoſto-
1.Ioan.4. lus ait. ſiquis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, men-
dax eſt. quamobrem? quia qui non diligit fratrem ſuum, quem ui-
det; Deum, quem non uidet, quomodo poteſt diligere? cum enim
conſuetudo conciliare amicitiam ſoleat, ſi tuæ conſortem naturæ,
cum quo uerſaris,ſine cuius conſuetudine,quamuis ſumma rerum,
quas natura deſiderat, copia ſuppeditaretur, uitam tamen degeres
iniucundam, non amas; Deum,quem nunquam uidiſti, cuius na-
tura longiſsimo à tua diſtat interuallo, quo modo potes diligere?
prę ſertim cum hoc ipſe præcipiat. hoc enim eodem loco ſequitur.
& hoc præceptum (inquit) habemus ab eo, ut qui diligit Deum,di
ligat & fratrem ſuum. cuius pręceptum ſi negligas, nunquam eum
diligere credi poteris, quem pręcipientem contemnas. Profectò
ſi non aliud, illud certè ad rem pręſtandam, quam tam cupidè à no
bis poſtulat, inuitare nos atque adeo rapere deberet, quòd eorum
hominum mos eſt, qui uel mediocriter ſuo principi ſint affecti, ut
diligenter perueſtigent, quę potiſsimum res ſit,qua in primis prin-
ceps delectetur, quo agnito in illam toti incumbunt,in illa exercen
tur, de que illa etiam ſomniant. ſic nimirum faciendum nobis eſ-
ſet,cum ſciamus fore, ut tum ſolum noſtra facta Deo placeant,ſi in-
ter nos amauerimus. hic noſtrarum omnium cogitationum ſcopus,
hoc principium ac finis eſſe deberet, vt pacatum haberemus proxi-
mum noſtrum, omniaque, quibus offendi à nobis poſſet, è me-
dio tolleremus. quòd ſiqui omnino ſeruili animo ſunt,vt nullo in
principem ſuum affectu grati animi moueantur;vnus certè Geennę
atque

atque ęternorum incendiorum metus à tanto eum errore ac ſcelere reuocet. quòd ſi,ne tantis quidem minis commouemur,quid à ſtipitibus ſaxíſque diſtamus? Continuanda fuerant in hac oratione Euangelici textus verba ſequentia, quę ad hanc de fraterna inter nos concordia materiam pertinent, atque id ſanè cogitaueram, ſed meminiſſe oportet illius Græcorum prouerbij,eſſe videlicet etiam mellis ſatietatem,cuius & Salomon meminit,cum ait. mel inueniſti, *Pro. 25.*
comede quod ſufficit tibi, ne ſatiatus euomas illud. Simul illud cogito, eam partem, quę ſequitur, non minus diligenter eſſe diſcutiendam, quàm de hodierna eſt factum. quod temporis ratio,ſine communi veſtro ac meo non exiguo incommodo, hodie fieri non patitur. quare in alterum diem reijciatur. interea quæ dicta ſunt, memoriæ commendate, ne præterfluant, multóque accuratius ſeruate, quàm ſi auri pondus vobis traderetur conſeruandum. nam illud ſaltem per mortem eſſet relinquendum,hoc verò, quod vobis ex Euangelio proponitur, ſi diligenter, ſtudioſéque ſeruetur, vitam vobis conciliaturum eſt ſempiternam, quam vtinam poſt exanthlatos labores omnes conſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMA-QVINTA.

HABETO *beneuolentiam cum aduerſario tuo citò, dum es in uia cum illo, nequando te tradat aduerſarius iudici, & iudex te tradat miniſtro, & in carcerem conijciaris. amen dico tibi, non exibis inde, donec perſolueris extremum quadrantem.* Quod alibi Dominus ait. ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant, non ad fu *Ioan. 10.*
turam ſolum vitam, ſed ad pręſentem etiam pertinere, memini me ſæpius affirmaſſe, quod hoc loco factum ſatis dilucidè intelligi à quouis poteſt. quod enim ſuperius dixit, oblaturum munus ad altare, oportere, ſi velit,illud eſſe gratum Deo, prius reconciliari fratri

tri ſuo, ad regnum cœlorum adipiſcendum pertinet. quod verò nunc admonet, ad præſentem vtique vitam & tranquillius & com modius degendam pertinere certiſsimum eſt. Quæ, cum ita ſint, quęnam eſſe reliqua nobis excuſatio poterit, cur Euangelicæ doctri næ non obtemperemus? venit Dei filius, atque è ſinu patris demi-ſit ſe ad naturam hanc noſtram, ſimilis noſtri effectus, & quod

3. Reg. Elias puerum ſuſcitaturus fecit, expandens ſe ſuper eum, & ſtatu-

17. ram ſuam anguſtans, ſic ipſe ad naturam noſtram contractus eſt, vt nobis vitam afferret, & doceret, hanc etiam ipſam mortalem vi-tam meliorem beatiorém que degere. nos verò malumus cogitatio nibus potius noſtris, quàm cœleſtibus Diuiniſque illius conſilijs adhæreſcere. ſi cœli vobis adipiſcendi ſtudium eſt, diſcitis ex Euan-gelio, illius comparandi viam. ſi nihil placet aliud, quàm harum humilium & terrenarum rerum cura, ex eodem Euangelio docemi ni, quo pacto etiam in eis maius facere lucrum, quàm veſtras opi-niones ſectando valeatis. Attendite ergo diligenter, vos pręſertim, qui quotidianis litibus ac controuerſijs inter uos decertatis, quid ipſa veritas Dei filius nos admoneat. *Habeto beneuolentiam cum aduerſario tuo citò, dum es in uia cum illo*. quod ait, *dum es in uia*, figurata locutio eſt. accepta enim eſt ab ijs ſimilitudo, à quibus pa-riter aliquo viæ ſpatio adeundus ſit iudex. illud ergo, *dum es in uia cum illo*, idem eſt, ac ſi dixiſſet, in ipſo cauſæ initio, prius quàm litem inſtituatis, quando nondum ad iudicis manus eſt ventum. neque contentus admonuiſſe, vt in ipſo initio beneuolè de concor-dia tractaretur, adiecit, citò. nocuit enim ſępe differre. Videte ve-rò, quàm vos contraria prorſus via ingrediamini, vt qui nunquam Chriſtum hæc dicentem audieritis. & ſanè vereor, ne multi veſtrum hic ſint, qui nunquam hęc Domini verba vel legerint vel audierint, dum & à verbo Dei audiendo alieni ſunt, & Euangelica documen-ta ipſi legere nunquam dignantur. perinde quaſi ad quemlibet, qui Chriſto nomen dederit, non pertineat in Chriſti legibus eſſe exer-citatiſsimum. uidete ergo, ut dicebam, quantum ex diametro fa-cta ueſtra cum Chriſti doctrina pugnent. iubet hic primum, ut an-te cauſę tractationem de beneuolentia cogitemus. at uos omnibus, quantum poteſtis, diſsidiorum telis armamini, quibus muniti ad controuerſiam agitandam ſitis paratiores, tantum abeſt, ut pacifi-cationis uobis in mentem ueniat. deinde hortatur ut citò id fiat. uos

contra

contrà, extremum hoc perſugium habetis, cum pars utraque, aut certè altera, infinitis ſumptibus deſatigata cogitur conquieſcere. qui ſi hæc Domini monita identidem animo uerſaretis, euaderetis tot laqueos, in quos imprudenter uoſmet induitis. nam vbi ferri lis cœpta eſt, uix ullis poſtea cohiberi retinaculis poteſt. quod Salomon intelligens comparat lites aquæ, cui ſi extra alueum exitus uel modicus pateat, continuò ingentem ſibi uiam aperit, ut ſiſti uel nunquam uel maxima cum difficultate poſſit. ſic enim ait. ſicut qui di mittit aquam, ſic caput eſt iurgiorum. ante congreſſum ergo dimitte contentionem. cernis ut hic etiam uir ſapientiſsimus admoneat, ut abſtineamus à litium & iurgiorum initijs, in quibus minimus aditus infinita ſibi aperit ſpatia? Sed in hac etiam parte ſimile quid accidit ei, quod ſuperiore oratione diximus ijs uſu uenire, qui nunquam fatentur fratrem ſuum habere aliquid aduerſus ſe, ſed contra potius excogitant ſemper cauſas, quibus aſſerant ſe aduerſus alterum habere, quod de eo conquerantur. ita hoc loco omnes cauſam ſuam æquam faciunt. neque præterea ulla tam iniqua cauſa eſt, cui defendendę patronus non inueniatur, quę duo mala in primis alere lites maximo cum omnium damno conſueuere. quorum ſi uel alterum deeſſet, ſpes eſſet interdum finiendarum diſcordiarum. cum enim plerique omnes priuato ſui ſuarúmq; rerum amore rationem pro ſe facere exiſtiment, ſi iuris conſulti, quos adeunt, inſpecta diligenter cauſa, eos admonerent, atque ab incepto deterrerent, uix exiſterent lites ullę aut controuerſiæ. cum uerò cuilibet cauſæ nunquam patronus deſit, hinc fit, ut malum ſit immedicabile. ſed de iuriſconſultis atque cauſidicis paulo poſt dicetur. nunc narrationem perſequamur aduerſus eos, qui lites & controuerſias exercent. Satis quidem, atq; adeo plus nimio eſſet auaritię uitium ad uos in continuis litibus ac iurgijs occupandos, nam cupiditatis æſtus fluctus continuos excitat, & cum mare interdum conquieſcat, hic ſedare ſuos motus non poteſt. ſed accedit malum nihilò inferius, impotens ſcilicet animorum contentio, ut experiar uos in ueſtris litibus non tanti pecuniam & opes, pro quibus uidetur excitata contentio, facere, quàm uelle in illa contentione eſſe ſuperiores, quod quidem à ſuperbia proficiſcitur. nam inter ſuperbos (ait Salomon) ſemper iurgia ſunt. & rurſum. ubi fuerit ſuperbia ibi, & contumelia. cum uerò ambę iſtæ immanes beſtiæ, quibus omnis peccati

Pro. 17. *Pro. 13* *Pro. 11.*

peccati initium & malorum radix accepta referuntur, in pernic iem ueſtram conſpirant, qui malorum finis eſt expectandus? Verè homo ſimilis factus eſſe iumentis inſipientibus meritò à propheta dicitur. ſed mihi etiam illis deterior multò videtur. nam inuenti ſunt interdum duo tauri inter ſe maxima contentione decertantes, accidít que vt eodem tempore lupus iuxta illos tranſiret. at ij continuò iniuriarum obliti mutuo conſenſu contra lupum ſeſe armauerunt. homines verò, hoc eſt, ratione prædita animantia, nihil horrendo harum ferarum aduerſus ſe irruentium commoti ſpectaculo, neſciunt litem dirimere, vt earum rabiem declinent. Sed videamus, cur moneat Dominus, vt ſis *beneuolus aduerſario. nequando* (inquit) *te tradat aduerſarius iudici, & iudex te tradat miniſtro, & in carcerem conijciaris*. cernis hæc monita vtilitatis tuæ gratia fieri, ne ſumptus ſumptibus addantur? & ſanè ſi etiam nihil referret, quod ad temporarium lucrum pertinet, vtrum hac an altera via ingrederemur, certè tanti præceptoris conſilijs ſtandum erat. cum verò non ei obtemperare, noſtro maximo cum damno fiat, qua erunt digni venia, qui nulla horum verborum habita ratione, quotidianis inuigilant litibus? cur non ſaltem ipſa vos experientia à tam inſano propoſito auocat? an non quotidie experimini, lites, veſtris opibus & facultatibus tanto eſſe damno, vt frequentiſsimè plus in lites impendatur, quàm res valeat, de qua eſt controuerſia? quid hoc inſaniæ eſt, ad tam euidens experimentum non expergiſci, nec tanto errori, tantó que detrimento finem tandem aliquando imponere? ſpes nos (inquitis) lactat. quòd ſi experimini has eſſe inaneis ſpes, & ſpem veſtram uos plurimum fruſtrari, quid ad illud, à quo tam ſæpe decepti eſtis, identidem reuertimini? O vecordiam. non parcitis ſumptibus, quos ſemper ueſtro cum damno fieri certó ſcire poteſtis, cum verò danda eleemoſyna eſt, quæ maximum uobis & in hac ipſa & in futura uita lucrum parit, teruncium impendere perhorrreſcitis. inſaniam profectò, quam tota Anticyra auferre uix idonea eſſe poſsit. quæ Geennæ incendia vlciſcendis tam immanibus ſceleribus ſatis erunt? Nunc veniendum eſt ad præcipuam alendorum horum malorum cauſam, nempe iuriſconſultos atque cauſidicos. nam horum culpa mihi videtur maxima litium pars & excitari & nutriri. ad quos in primis pertineret, quantum poſſent, dare operam, vt quicunque eos adeunt litigandi gratia, ab hoc propoſito

Pſal.48.

poſito auocarentur,& quemadmodum nunc ſpem eorum paſcunt, fauendo illorum cauſę, & excogitandis rationibus, non ſolum ueris, ſed quę ueri habeant ſimilitudinem,contrà deberent potius pro ponere illis, quæ ab aduerſarijs obijci eis poſſent. quàm multi prætcrea ſumptus ſint interceſſuri, ante quàm lis finem ſit habitura. al legandus Euangelicus hic locus, docendum, quid veritas ipſa Ieſus Chriſtus ſapientia patris admoneat, cui uni longè amplius, quàm reliquis omnibus ſimul, quamuis ſapientiſsimis viris fides ſit habenda. multò verò magis hoc eſt faciendum, cum non recuperandæ ſuæ rei gratia, ſed animorum ſola contentione, & ob aduerſarium opprimendum commouentur & excitantur ad lites, quod negocium frequentiſsimè, quantum experiri hactenus potui, inter uos exercetur. tunc enim nullo modo à quopiam ueſtrum ſuſcipienda cauſa eſſet,ſed reprehendendi illi potius & reijciendi. Quòd ſi incidunt cauſæ, quę, re diligenter examinata, dignæ appareant, quæ tractentur, tunc non minor habenda eſt ratio, ne pars aduerſa ueſtris cauillationibus, quibus hæc facultas plena eſt, ulla ex parte lædatur. quare conuenire deberent utriuſque partis cauſidici, & in commune conferre,diligentiſsimé que perſpicere, utra litigantium cauſa uerioribus ſolidioribúſ que rationibus niteretur, atq, in eam uno conſenſu, nulla humani cuiuſquam affectus habita ratione inclinare. officium enim hoc cauſidicorum eſſe proprium debet, vt vtrique parti ex æquo,quantum poſſunt, ſtudeant prodeſſe,& non aduerſarij eſſe inter ſe, id quod nunc fit, ſed vnitiſsimi ad bonum utrorumque clientulorum perquirendum. ſed multi tam contraria ingrediuntur uia, ut lucri cupiditate exſtimulati mox eorum,qui eiuſdem profeſsionis ſunt, euadant inimici. in allegandis item legibus, ſemper legis intentio inſpicienda, non intorquendę, ut plerique omnes faciunt, aut inuertendę leges, dum quo iure quà ve iniuria, ſimus ſententijs ſuperiores. hæc atque huius generis alia niſi præſtentur, nihil dubitandum eſt, vos, quicquid amplius veſtra uel negligentia vel vitio in litibus inſumitur, reos eſſe, deberé que damnum paſsis reſtituere. quod vereor ſępe accidere,ſed multos veſtrum ob craſſam ſupinàm q; conſcientiam ne intelligere id quidem. tantis uerò abuſibus & fraudibus hęc facultas nunc plena eſt,vt omnes iam ſuſpecti habeantur, & ab ea via, quę, quia,vt ius ſuum çuique tribuat, inſtituta eſt, iuris eſt appellata, multi abhor-

reant, ſormidéntque metu inſidiarum in ea deliteſcentium, eos adire, qui illam profitentur. vt nihil mirer iam olim prouerbio dici ſolitum, ſolis cauſidicis impunè licere in medio ſoro hominem iugulare. Iam diſtinctio fit inter ius & conſcientiam, perinde quaſi ius posſit appellari, quod contra ipſas conſcientiæ leges fiat. & hunc uideo in uobis errorem frequentisſimum, neque ullo uos propterea ſcrupulo permoueri. atque hanc duntaxat excuſationem ſatis uobis facere exiſtimatis, quòd iuris ordinem ſeruare profitemini, quod ius ſi ad conſcientiæ regulas examinare uelletis, iniuſtitię plenum deprehenderetis. Libet autem admonendi ueſtri gratia, quędam pro exemplo ponere, in quæ identidem plerique omnes ueſtri ordinis delabuntur. Cum quis ueſtrum inuitare ad litigandum clientulum ſuum uult, quem nullum aliud ius habere ſciat, niſi quòd posſidet, dicit, maximum eſſe commodum poſſesſionis, itaque protelando litem ac ſubterfugiendo, vel pars quæ petit, cogitur ſiue paupertate, ſiue aliqua alia cauſa litem deſerere, vel poſtulare concordiam, & quod ſibi iure debebatur, amittere. Rurſus cum omne iudicium conſtare tribus perſonis debeat, iudice, actore, & reo, vbi actor in iudicio proponit actionem ſuam, petenda re aliqua coram iudice; exhibet ſe reus, qui quamuis certò ſciat, quid ſit reſpondendum, aduocati tamen conſilio, vt prorogetur lis, poſtulat exemplum petitionis, terminúmque ad reſpondendum, interdum non una dilatione contentus, vt diutius prorogetur, quamuis leges ipſæ puniant eos, qui lites prorogant mulcta impoſita duarum auri librarum, & quicquid inde damni partibus aduenit. Eodem modo in termino illis dato ad excipiendum, faciunt exceptiones fruſtratorias, atque ita non iure ſed fraudibus cauſas deſendunt. ſic cum faciendæ ſunt reſponſiones, docent clientulos falſa reſpondere, etiam adhibito iuramento, neque id in ciuilibus tantum, ſed in criminalibus etiam cauſis. quod ſcelus quis ſatis deteſtetur? quid de ijs dicam, qui pro vtraque parte conſilium dant, & eas ad litigandum armant, deinde alterius partis ſecreta alteri detegunt? quid de ijs, qui quamuis cauſas uideant deſperatas, non tamen eas deſerunt, quamuis iura hoc iubeant, teneantúrque antiquis legibus atque inſtitutis, in ipſo initio hoc iuramento polliceri? quid qui cauſas turpisſimas, atque iniquisſimas tuentur? qui præterea dant operam, vt qui in carcere

re

re ſunt,quos inuiſi & iuuari Chriſtus iubet,condemnentur ,id que interdum ad necem ? qui cum concordiæ & pacis eſſe conciliatores debeant, ſeminant diſcordias ? quid item, cum in defendendis atque agitandis cauſis paciſcuntur cum clientulis de quota litis (vt ipſi uocant) eàm que iam non vt aduocati, ſed vt ij, ad quos res ipſa pertineat, tuentur; quibus lucri appetitus offundit tenebras, vt veritatem, à qua auerterunt oculos, nequeant intueri ? his vitijs atque peccatis fit, vt quæ facultas ad hominum tuendam ſalutem fuerat excogitata, ea ita inuerſa ſit, vt hac ætate nulla inueniatur hominibus peſtilentior. qui vt intelligant, ſe ad pietatem exercendam fuiſſe in eo gradu conſtitutos, meminerint, cum initiantur, atque ad huius officij munus ab alijs ſui ordinis uiris cooptantur, ſe iureiurando polliceri, eccleſiarum, viduarum, pupillorum, cæterorúm que miſerabilium hominum gratis ſe patrocinia ſuſcepturos, quod tamen à vobis non video fieri. atque vtinam res in contrarium non cadat. Doleo uerò atque etiam conqueror, quòd cum in hac ciuitate ſumma cum pietate à ſenatu decernantur quotannis, qui ſeorſum id agant, tam frigidè tamen rem tractant, atque adeo nihil agunt potius, vt ignorem, quo pacto conſcientiæ ſatisfacere posſint ſuæ. Quid dicam de tabellionibus, qui cum & ipſi multa peccent, unum duntaxat aut alterum de illis commemorabo. conſtitutum iam olim à maioribus fuit, qui has fraudes longè ante præuiderant,vt in ſcribendo paginæ ſingulæ haberent certum numerum linearum,quibus certum etiam pretium decerneretur. ij verò, vt plus lucri faciant,minorem multo earũdem linearum numerum faciunt, ſeruato tamen eodem pretio. in ſcripturarum item contractuúm que rationibus nullum ſtatuunt ſtipendij terminum, ſed pro arbitrio exigunt ab ijs, qui illorum opera vti volunt, præſertim ab externis, & ciuitati ſuæ tantam inurere notam non verentur. atque in hac etiam parte eos vehementer reprehendo, quibus ſuperioribus menſibus à ſenatu mandatum fuit, vt hunc errorem corrigerent, & cuique rei certum ſtipendium decernerent, neque dum quicquam ab illis factum eſt. quare, cum tantam in rebus tanti ponderis inertiam videam, mea vti auctoritate inuitus cogor, præcipió que ſub excommunicationis pœna, vt per totos ſequentes octo dies huic tanto malo occurrant, atque id opus, quod illis à ſenatu eſt imperatum. quàm ocysſimè abſoluant. Cernitis quàm

 longè

longè ab Euangelico ſcopo omnes feramur? quare ſiſtite obſecro tantum malum, & ad Domini uerba incipite oculos aduertere, ſi non ob aliud, certè vt tranquilliorem copioſiorémque hanc vitam agamus. meminerimus, quæ hic dixit Dominus ijs, qui lites amant, quòd ſcilicet accidit eis, vt coniecti in carcerem extremum quadrantem cogantur perſoluere. nam cum in litis initio facile fuiſſet rem componere, poſtea efferatis animis ij, qui in cauſa euadunt ſuperiores, nihil volunt remittere, memores laborum & ſumptûum, quos in diuturna lite impenderunt. Huic ergo pernicioſo morbo finem imponite, quod non ita multo negocio fiet, ſi ſępius recor-
Ephe. 4. demini, uos non ſolum fratres, ſed etiam (quemadmodum ait Paulus) eſſe inuicem membra. cernitis autem in corpore membra nequaquam inter ſe alterum alteri inſidiari, ſed opitulari atque ſuccurrere, & quæ ſana ſunt, ijs, quę morbo laborant, eſſe adiumento. hoc ſi cogitaretis, cum litigandum eſt, non ita rabidè ac furioſè in proximum quenque inueheremini, ſed tanquam unius corporis membra foueretis. quantóq; eos longius à ratione ferri intelligitis, tantò maiore erga eos, veluti ægrotantia membra, miſericordia commoueremini. Hoc ſi fiet, & hanc uitam commodius ac lætius agetis, & futuram illam atque immortalem facilius conſequemini. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt gloria & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMA-SEXTA.

AVDISTIS *quòd dictum fuerit antiquis, non committes adulterium. ego autem dico uobis, quòd quicunque aſpexerit uxorem alterius ad concupiſcendam eam, iam adulterium commiſit cum ea in corde ſuo.* Quemaddum cum de homicidio dudum Dominus loqueretur, æquauit in Euangelio pœnam, quæ temerè ac ſine cauſa iraſcentibus infligenda ſit, illi pœnæ, quæ homicidis in lege conſtituitur. ſic & nunc de adulterio uerba faciens, ut malum ab radice euel-

euelleret, ſola uxoris alienæ concupiſcentia iam patratum eſſe adulterium dicit. Adulterium autem quid ſit, ſatis ex ipſa uocabuli ſignificatione liquet, uidelicet ad alterius thorum acceſsio. nempe cum ſiue alter coniugum alij cuiuis quàm coniugi permiſcetur, ſiue quicunque vel viri vel mulieres, qui ſoluti coniugio ſint, cum ijs, qui matrimonio ſunt iuncti, rem habuerint. Sub adulterij autem appellationem reliqua omnis carnis vitia veniunt. ſed, cum præceptum hoc, vnum ex illis decem ſit, quæ cuiuis hominum generi futura erant uulgatisſima, compendio opus fuit. neque præterea erat vtile, ſingula peccata, quæ per carnem fiunt, explicari, ne forte docentur homines quæ neſcirent. quod plerunque quibuſdam minus prudentibus concionatoribus vſu venit, qui dum uitia tangunt, multa aperiunt auditoribus, quæ nunquam antea ne ſomniaſſent quidem. *Quicunque ergo aſpexerit mulierem.* tantum'ne? immo *ad concupiſcendum*. naturalis enim oculorum uſus vitio caret, rectè que dixit quidam, non peccant oculi, ſi animus oculis imperet. atqui ſi rationis imperio regantur, maximam afferunt vtilitatem, præſertim in rerum pulchritudine contemplanda, quod faciebat propheta cum diceret. delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Sed corru- *Pſal.91.*
ptus eſt nunc rectus ille utendi ſenſibus mos, præſertim oculis, qui, cum præſtantisſimus ſenſuum ſit, atque iccirco ad præſtantisſima quæque duntaxat exercendus, eo tamen perditi homines turpisſimè abutuntur, atque in primis in ea re, quę ſolius eſſe hominis deprehenditur, uidelicet pulchritudine inſpicienda. nam cætera animalia eius agnoſcendæ prorſus expertes ſunt. cum verò ſolius hominis iſta ſit uis, ſignificatio ſit, eius fruendæ rationem ad mentem pertinere, quandoquidem pulchritudo, quamuis in corpore eluceat, incorporea tamen eſt, quemadmodum & color, quem tamen eſſe in corpore, ſi apparere debeat, eſt neceſſarium. uerum quo pacto pulchritudo res ſit corpore carens, nunc locus non eſt demonſtrandi. cum pluribus uerbis opus habeat, nobis verò hodie ad alia ſit feſtinandum, ſed aliàs iuuante Deo hoc preſtabimus. ſatis nunc ſit admonuiſſe vos, hominem longe ab eo abeſſe vt fruatur pulchritudine, cũ pulchris corporibus ad laſciuiam abutitur. hoc enim eſt illam potius perdere, quàm ea frui. cum.n.eo pacto corpus effœtũ reddatur, in quo eſt pulchritudo, ipſa etiam pulchritudo paulatim emar-

emarceſcit. vt ſiquis in pulcherrimum hortum, varijs cum floribus tum fructibus ornatum ingrediens, non aliter ſe eo frui exiſtimaret poſſe, niſi flores fructúsque atque ipſas in quincuncem diſpoſitas arbores diſſiparet. quòd ſi quem hoc facientem intueremur, diceremus, equi aut alterius animantis ratione carentis, non hominis officium eſſe. Dum ergo tam humiles in homine cogitationes ſunt vt cum ratione vti aſpectu oculorum neſciat, à mulierum aſpectu abſtinendum eſt metu concu-
Eccl.9. piſcendi. quod quidam ſapiens admonebat, cum diceret. Virginem ne conſpicias, ne forte offendaris in aſpectu illius. & beatus
Iob. 31. ille Iob. pepigi (inquit) fœdus cum oculis meis, & quid conſideraui in virgine? hoc eſt, paciſcebar cum oculis meis, vti ne aſpiciendo peccarent. quare cum accidebat intueri virginem, nihil cogitabam aliud, quàm quod ad munditiem cordis atque honeſtatem pertineret, neque illam concupiſcendi gratia aſpiciebam. Nunc verò equi inſanientes in equas videntur facti homines, & ij in primis, quibus Deus facultates atque opes tribuit, diſſolutiores hac
Ier. 5. in parte cæteris ſunt. de quibus Ieremias ait. Saturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. equi ſaginati & emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. videte verò quanti hoc faciat Deus. ſequitur enim. nunquid ſuper his non viſitabo (dicit Dominus) & in gente tali non vlciſcetur anima mea? nam & diluuium ob eiuſmodi fœda facinora ad orbem terrarum deuorandum immiſſum fuit. ſic enim legimus à Deo fuiſ
Gen. 6. ſe dictum. non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. & paulò ante. cum cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant. hi ergo filij potentum (quos ſcriptura filios Dei appellare conſueuit) qui luxui ac delicijs operam dabant, cum plus haberent ingenij ad perpetranda mala, poſtea quàm auerterunt ingenia ſua à Deo ad formas mulierum, euaſerunt ſceleratiſsimi. quod malum vt ſiſteretur, oportuit totum hominum genus, excepta iuſti viri Noë domo, vndis inuolui ac perdi. quæ res indicio eſt, his ſceleribus Deũ vehementiſsimè irritari, quæ cogitatio multum me ſollicitum reddit, quid tandem hac ciuitate ſit faciendum, cum cerno illam ita carnis laſciuię deditam, vt infinitum penè meretricum alat numerum

rum, vt nullus in ea vicus liber ab his ſordibus videatur, quotidiè que aliqui me ciues adeant iſta conquerentes. Quouſque tantam ignominiam tolerabitis? quandiu inanibus rumpar clamoribus? quouſque me ſolum relinquetis? ſemper ego ſolus ero Fulginas, neque aliqui veſtrum aliquando ſe ciues & patrię amatores agnoſcent? non pudet toties vos ab epiſcopo veſtro fuiſſe admonitos, neque quicquam remedij hactenus adhibuiſſe? iamdudum oportuerat me vel non auditum hinc abire, vel eam exercere ſeueritatem, quę me deceret. ſed neutrum horum adhuc feci, illud, ne attribueretur impatientiæ, hoc, vt vos veſtro officio fungeremini, quod ſperandum mihi erat. & ſanè miror nihil eſſe factum, cum ſuperioribus menſibus ſenatus conſulto decretum fuerit, vt huic malo occurreretur. ſed quando ſolum me adhuc eſſe video, ſolus ipſe, neque ita multò poſt, iuuante Deo, prouinciam aggrediar, vt Diuinum hoc opus non hominum induſtria factum eſſe intelligatur. Quid miramini repetitis interdum vos à Deo flagellis cædi? exigua admodum hęc ſunt præ ijs, quibus eſtis digni. noua opus erat aquarum illuuie, vt in diebus Noë accidit, quę tantas ſordes abſtergeret. Auferte obſecro tam ingentem veſtræ ciuitatis ignominiam, & has ſordes hoc cœnum meretricum extrudite. quod ſi indigenas meretrices, ne pudore afficiatur earum cognatio, quanquam id minimè probo, ferre omnino vultis, quam habetis excuſationem, cur alienigenas toleretis? cur non oblatam à Deo occaſionem arripitis, & ab ijs facto initio, quę nuper ob patratum cum ſacerdotibus ſcelus in carcerem fuerunt coniectę, cæteras cum eis ejicientes, egregium facinus & futuris ſeculis memorabile aggredimini? cur tanto ceſſatis cardine rerum? ſi tam opportuno tempore nihil fiat, quid à vobis boni, quid unquam egregij operis veſter epiſcopus eſt expectaturus? Euigilate iuſtè, ait Paulus, & nolite peccare, nam peccant grauiſsimè ij, per quos ſtat, aut quorum negligentia fit, vt hęc mala tam perdurent diu. quare magiſtratus operam det, vt primo quoq; tempore cogatur ſenatus, decernatúr que primum vt alienigenæ meretrices ſine vlla miſericordia, ah quid dixi, ſine miſericordia? immo ſumma cum miſericordia ejciantur. nam crudelitas maxima eſt eas tolerare. deinde vt, quod ſuperioribus menſibus ſenatus conſulto ſtatutum fuit, eligantur aliqui, qui id ſtrenuè exequantur. vt ſcilicet indigenis lupis certa lupanaria decer-

1. Cor. 15.

cer-

cernantur, quibus circunſeptæ minori damno afficiant ciuitatem. O ſtuporem, ò vecordiam. ciues omnes conqueruntur paſsim vagari meretrices, ac peſsimis earum atque turpiſsimis uerbis ac factis filias ueſtras & vxores in maximo pudoris periculo verſari, & ijdem ciues omnes ceſſant. Dicite obſecro, ſenatus veſter quibus hominibus conſtat? ciuibus an externis? ciuibus nimirum. quid ergo cum epiſcopo expoſtulatis, quod voſmet prçſtare eſtis idonei? ſed hactenus iſta. nunc ad Euangelica verba reuertamur. *Qui aſpexerit* (inquit) *uxorem alterius ad concupiſcendam eam, iam commiſit adulterium cum ea in corde ſuo.* Cum tantum ex incauto oculorum uſu malum impendeat, interioris videlicet hominis, qui verus homo eſt, interitus, cuſtodia ingens eſt oculis adhibenda, & tandiu cohibendi, dum diſcant ſecundum rationis imperium officio ſuo fungi. videte verò hominum ſegnitiem, aut ſtultitiam potius. non audent equo vti, niſi domitus prius ſit, ne ferociendo mortem ſeſſori creet. & nondum domitis ſenſibus, tam temere ac ſine vllo iudicio aut circunſpectione abutuntur, qui abuſus non temporariam, quod multò eſſet leuius, ſed çternam mortem parat. & vbi metus ſolius corporeæ mortis imminet, ſumus circunſpectiſſimi, ubi vero totus homo ſempiternis ignibus eſt tradendus, nulla adhibetur conſideratio. *Iam cum ea* (inquit) *commiſit adulterium.* quàm eſſe deberet apud Chriſtianos in tanta ueritatis luce abominandum adulterij crimen, cum apud ethnicos ipſos id maximè caueretur. quod ex quodam magni illius Alexandri exemplo liquet. cum enim puella de multa nocte ad eum eſſet deducta, cum illo dormitura, rogauit rex, vbi fuiſſet tam diu: illa reſpondente, ſe expectaſſe donec maritus iſſet cubitum, miniſtros accerſitos acriter obiurgauit, reducite (inquiens) hanc, parum enim abſuit, quin ueſtra culpa fuerim factus adulter. tantus rex & iuuenis tam ſtudioſè adulterium eſt auerſatus, idque in illis tenebris, quæ eo tempore offuſæ erant orbi terrarum. & apud eos, qui Chriſtianæ philoſophiç ſunt initiati, tam exigua huius rei habetur cura. Non recuſabo prçter morem & alterum ethnicorum exemplum proferre, ut eos magis pudeat, qui tantam rem non curant. Erat apud Spartiatas ingens uxorum pudicitia, tantúmque aberant ab adulterij ſcelere, ut prorſus eſſet incredibile adulterij crimen apud Spartiatas inueniri. cuius rei exemplum hoc fertur. nam rogatus quidam Spartanus

tanus à quodam hoſpite, quid pœnarum darent apud Spartanos adulteri, neque enim uidere ſe quicquam ſuper hac re ſancitum à Lycurgo. nullus (inquit) ò amice apud nos adulter eſt, cùm que il le ſubieciſſet, quid ſi exiſtat? dabit (inquit) bouem tam magnum, ut porrectò ultra Taygetum montem collo bibat ex Eurota. cùm que ille ridens dixiſſet, fieri non poteſt, ut tantus bos inueniatur; & quo pacto (inquit) Spartæ exiſtat adulter, in qua diuitię, delitię, & corporis exquiſitus cultus probro habentur, contrà uerò uerecundia, modeſtia, ac obedientię magiſtratibus debitæ obſeruatio decori laudí que dantur? Prudenter ſanè intellexit uir ille, ibi non poſſe naſci uitia, ubi non admittuntur uitiorum ſeminaria. Sed intercidere hanc huius Euangelici loci tractationem cogit res non minus dictu hodie neceſſaria. uenit enim mihi in mentem admonere uos, hodie initium aduentus fieri, hoc eſt, eorum dierum, qui excipiendę Seruatoris Chriſti natiuitati iam olim ab eccleſia dedicati fuerunt, ne repentinus tanti regis aduentus nos improuiſos adoriretur. qua in re uideor poſſe mihi de vobis multò etiam maiora polliceri, quàm ſuperiore anno pollicitus fuerim, neq; ita multo ſermone opus eſſe ad uos excitandos, ut interiorē hominem perpurgetis, ne quas ſordes cordi illitas tanti diei celebritas deprehendat. cum.n. aliquoties hoc anno facta à vobis ſit pręter morē exhomologeſis peccatorum, ſanctǽ q; Euchariſtię perceptio, nō video cur alijs ſtimulis, opus nunc ſit, cum ipſa per ſe diei dignitas inuitet, vt iuuenes ac virgines (vt prophetæ uerbis utar) ſenes cum iunioribus, ſexus omnis Pſ. 148.
atque omnis ætas idem præſtet. hæc eadem per totam diœceſim fiet admonitio per ſacerdotes & præſertim per concionatorem, quem, vt ſuperioribus menſibus fueram pollicitus, miſi per omnes totius diœceſeos parochias ad verbum Dei diſſeminandum, quod unum inſtaurandæ in vobis Chriſtianæ uiæ remedium eſt. Aliam quoque rem huius diei commemoratio nos admonet, quòd ſcilicet hoc ipſo primum die ſuperiore anno in Euangelicum hunc montem aſcendimus. quæ recordatio exſtimulare uos debet ad optima quæque, ne fruſtra conſcendiſſe in hunc montem, & tam diu in eo moratí eſſe videamur. datum præterea initium fuit egregio illi operi habendæ alicuius pauperum curæ, quæ prorſus antea neglecta iacuerat. cum enim admonuiſſem uos, oportere naſcituri Chriſti rationem non exiguam habere, qui, cum diues eſſet, nempe Dominus

Nn omnium,

omnium, ita pro nobis pauper effectus ſit, vt naſci in ſtabulo, & in præſepi collocari voluerit ueſtri gratia. decere ergo, vt alendo illi ac veſtiendo aliquid impenderetis. ad hæc epiſcopi veſtri verba aliquid quidem fuit factum, quod pro veſtra tunc infantia equidem laudaui, vt vos ad maiora animarem. ſed quando iam æquum eſt,
1.Co.13. vt depoſita infantia uiri euadatis, abolenda ſunt, vt ait Paulus, quæ fuerunt pueri, & viris digna aggredienda. erigendum iam eſt tabernaculum Domini. nam ſcriptum eſt, primo anno, quo egreſsi fuerunt Iſraëlitæ ex Aegypto, confecta fuiſſe omnia, quæ ad illud per-
Exo.40. tinerent. primo autem ſecundi anni die imperatum Moſi fuiſſe, vt tabernaculum erigeret, initium que daretur Diuino cultui ſolenniore ritu celebrando. idem nobis nunc faciendum eſt. primi enim, hoc eſt, ſuperioris anni labores, quibus ego uos frequentisſimis continuis que concionibus docui, quæ eſſet Chriſtiani hominis uia, quid fuerunt aliud, quàm ſpiritualis cuiuſdam tabernaculi præparatio, vt nunc demum erigatur, & in eo ſpirituales & acceptæ Deo hoſtiæ iugiter ac ſolenniori more, quàm hactenus fuerit factum, immolentur? Et videte quàm pulchrè omnium horum, quæ à nobis fiunt Deus ipſe dux ſit, multa que in dies accidant, quæ tum demum intelligo à Deo fuiſſe profecta, cùm peracta iam ſunt. tabernaculum enim illud ſumptibus quidem Iſraëlitarum conſtructum fuit, ſed primas in eo partes ſacerdotes ac Leuitici generis miniſtri habebant, qui tum primum ad hoc opus fuerant dedicati. ſimile quid in noſtro hoc tabernaculo accidit. cum enim in ea ſynodo, quę ſuperioribus diebus facta fuit, adhortatus eſſem clerum, vt aliquid alendis pauperibus in commune conferret, quamuis maiore inopia laboret, quàm ullius alterius diœceſeos clerus, quem norim, fecit tamen pro uiribus, atq; adeo ſupra uires, & quidam tritici numerus eorum collatione coactus eſt. primas ergo partes occupauit in ſpirituali hoc tabernaculo nunc primum, quod nunquam quiſquam veſtrum aliâs vel vidit, vel à maioribus audiuit factum fuiſſe à clero, qui expectare potius à populo conſueuit oblationes & eleemoſynas, quibus alatur, quàm alijs eas prębere. hoc igitur facto tam nouo, tam admirando, tam Diuinitus excogitato principio, cum ab ijs ſius prouocati ac præoccupati ad benignè faciendum, quibus benignè ipſi facere conſueuiſtis, quid non eſt à uobis expectandum, quorum hoc proprium munus eſt?

Quare

Quare primum trecentos meos inuito (nam Gedeonis hiſtorię ſupe- Iudi. 7.
rioribus diebus à me commemoratę uos meminiſſe arbitror) quorum trecentorum partem tertiam eſſe iubeo centumuiros ſenatores; qui quemadmodum primi poſt clerum ſunt, ſic eos primum inuitari ad hoc opus eſt conſentaneum. peto igitur ab hoc ſenatu primum vt ſinguli afferant pro facultatibus, deinde vt ex ærario publico prębeant eam tritici ſummam, quę illos decet. & fortaſſe reſpondebunt exhauſtum eſſe ęrarium, nam nihil habere aliud iure poſſunt, quod reſpondeant. at hi ſciant, hanc ipſam pręcipuè ob cauſam hoc illis eſſe faciendum, quòd ærarium exhauſtum eſt. nam vbi primum in illud ingreſſus Chriſtus fuerit, continuò inſtaurabitur. pollicitus enim ipſe eſt, ſe ingenti cum fœnore in hac ipſa etiam Mar. 10.
vita redditurum. Deinde illud cogitate, ſi Paulus tert. pont. max. aut imperator Carolus hoc ipſo tempore, quo ita anguſtæ res ſunt, hac iter eſſet facturus, neceſſariò inueniretis quę ad eos accipiendos opus eſſent. multò uerò ſtudioſius id pręſtaretis, ſiquod magnum ab eis beneficium eſſet expectandum. ad accipiendum uerò Chriſtum maximum pontificem, & qui imperium habet cœli, terrę, & infernorum, à quo omnia & habetis & expectatis, quæcunque optari à uobis poſſunt, nihil permouebimini? Et ſatis quidem hoc eſſe debuerat ad illos mouendos. ſed quoniam ſcio in ipſis rerum principijs ſolere homines eſſe ad agendum tepidiuſculos, illud addere non verebor, licet non ſine verecundia, verum ita fieri video eſſe neceſſarium. Si ergo vos ęrarij exhauſti ratio pigriores efficit ad pręſtandum quod petitur, veſtri vobis epiſcopi exemplum ante oculos ponite, quo quid hoc tempore magis exhauſtum valet excogitari? nam diplomatum perſolutio, quę nunc facta eſt, & annui cuiuſdam cenſus, qui redditibus epiſcopatus ſuperioribus annis ante me epiſcopum impoſitus fuit, omnes penè huius anni fructus ſecum auferunt, neque tamen alendorum pauperum officio deeſſe, nec poſſum, nec, ſi poſſem, volo. quin multo nunc plus quàm ſuperiore anno mihi eſt præſtandum. qui ſi à vobis peterem, vt in hac rerum anguſtia veſtro paſtori ſuccurreretis, facere profectò deberetis, atque hoc officij munus recuſare non auderetis. qui ſi adderem, me, quod ad victum cultúmque meum pertinet, ab amicis mendicaturum, tantum in ea parte opitularemini, quę ad eos pauperes pertinet, quos alere conſueuit epiſcopus, quósque pretermittere

ſine maxima totius ciuitatis offenſione non liceret, multò certè minus hoc negaretis. nunc verò cum horum utrunque epiſcopus, ne quem veſtrum grauet, quamuis illius uires ſuperet, præſtare ſit paratus, tantúm que poſtulet, vt ad reliquam pauperum partem iuuandam, qui plurimi in ciuitate, ſunt, auxilium afferatis, profectò ad rem tam æquam, tám que & rationis & pietatis plenam, ſiquis reſiſierit, is longè à pietate abeſſe erit exiſtimandus. Verum, ne me arbitremini uelle uos graui & non ferendo onere opprimere, hu-
Rom. 6. manum dico, ait Paulus, propter infirmitatem carnis ueſtræ. cum enim deceret, vt epiſcopum veſtrum ita extenuatum non æquaretis ſolum, ſed duplo ſuperaretis, ego, ne vt me æquetis quidem uolo, ſed tantum vt, quantam tritici ſummam alendis pauperibus aſſignaui, uos duntaxat dimidium præbeatis. alterum tantum reliqua populi pars conferat. & ſanè ſubpudere deberet, totam ſimul ciuitatem æquare duntaxat epiſcopum ſuum, ſed paterna me uiſcera commouent, ut hoc interea ſim contentus, dum uos factis maioribus contingat aſſueſcere. Rebus autem ſenatus ita conſtitutis, iam ad reliquum populum eſt ueniendum, quem non dubito non commiſſurum, ut ſuò uitio tantum opus imperfecti aliquid habere deprehendatur. moneo igitur, ut omnes artes omnés que profeſſiones, ſingulę item ſocietates, pro ſua unaquęque parte, ſedulò operam dent, ut certatim ſuperare inuicem ſtudeant, quód que in uana aliqua pompa ſine ullo fructu inſumerent, hac in re, quæ tanta cum utilitate ueſtra ſit, multò certè libentius alacriús que debent impendere. Dies uerò huius muneris obeundi, uiſus eſt mihi optimus atque opportunus, quarta Dominica aduentus, tribus ſcilicet ante Domini natiuitatem diebus. Vos uerò mulieres, quarum inertiam tam ſæpe reprehendi, quas ad Euangelicarum fœminarum exemplum, quæ Domino miniſtrabant, oportuerat eſſe uiris omnibus feruidiores, nunc tempus eſt, ut hanc ignominiam, quæ illita uobis ueſtra culpa hactenus eſt, aboleatis. uos ergo, quibus miſericordia eſſe familiaris ſolet, miſeramini naſciturum infantèm, & mementote, illum eſſe Dei filium, qui uobis redimendis ita ſe deiecit. præparate illi ornatum tanto rege tantó que liberatore dignum, neque ſolum pretioſa ornamenta, quæ operiendo pulueri ac cineri, veſtro videlicet corpori miſerè diſperditis, verum etiam quæ in futurum eodem modo diſsipare cogitaueratis, huic

veſtiendo

veſtiendo & ornando impendite. quod vt ordinatius fiat, hanc excitandarum aliarum curam illis mulieribus trado, quas audio ſuperioribus iam menſibus maiorem quàm aliæ ſoleant pietatem cœpiſſe profiteri. uos enim quę eiuſmodi viam eſtis ingreſſæ, niſi ueſtro deeſſe officio vultis, eſtis idoneę reliquas omnes huius ciuitatis fœminas ad idem ſtudium prouocare. Et ne qua veſtri pars huius boni expers relinquatur, atque adeo vt ea pars, quę futuræ ciuitatis vel probę vel improbę pro educationis ratione ſeminarium eſt, egregiè erudiatur, volo vt ludi literarij magiſter, eo ipſe die, quo facienda oblatio eſt, iubeat pueros omnes adeſſe, atque vnumquenque cum ſuo munere. plurimi enim refert, quo pacto illa ætas educetur. nam ſi vobis pueris iſta fuiſſent propoſita, non tantum laboraret epiſcopus in ſuadenda ea re tam vobis vtili, tàm que ad ſalutem neceſſaria, & quam ſæpe diximus ad hanc ipſam vitam felicius degendam maximo eſſe adiumento. nunc verò ob prauæ educationis uitium, cum harum rerum deberetis eſſe magiſtri, facti eſtis, quibus lacte opus ſit, & quandam Chriſtianam adhuc infantiam refertis. hanc ergo ob cauſam uolo ut hi pueri, quamuis poſtremo loco ſint appellati, primi tamen appareant, cum fiet oblatio. reliqui uerò ſciant, eos, qui in tanto opere partem habere neglexerint, & his ſpiritualibus nuptijs intereſſe, inter illos eſſe numerandos, de quibus Dominus dixit, nuptiæ quidem paratę ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. è quorum numero neminem ueſtrum, qui hic adeſtis, reperiendum & confido, & Deum opt. max. precor ac quęſo. Hodie facta à nobis eſt quædam quaſi caſtrorum Dei pręparatio atque inſtructio, quod olim per Moſen fuit conſtitutum in deſerto, cum populus in occurſum Domini eſſet profecturus. quo tempore etiam imperatum fuit, ut munda non ſolum corpora ſed ueſtimenta etiam haberent, quę cum figura fuerint noſtri, omnia ad interiorem emundationem ſunt referenda, ut puri uenienti ad nos per carnem Domino occurramus. iuuante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Heb. 5. *Mat. 22.* *Exo. 19.*

ORATIO TRIGESIMA SEPTIMA.

QVI *aſpexerit uxorem alterius ad concupiſcendum eam, iam commiſit adulterium cum ea in corde ſuo.* Eadem enim repetenda à nobis verba ſunt, quorum tractatio minus plena relicta fuit ſuperiore Dominico die, ob ea quæ diei illius recordatio interſerere perſuaſit. ſimul verò vt ſequentium ſancti Euangelij continuatio verborum fiat dilucidior. Diximus ergo Euangelicę philoſophiæ, quæ homines ad cœleſtem rempublicam format, non ſatis eſſe externam illam à uitiis atque peccatis abſtinentiam, quę ſatis illi inter ciues conſuetudini facere videtur, & qua legis litera videbatur ſecundum quorundam interpretationem eſſe contenta. ſed oportere Euangelicum hominem ipſa mala ab radice euellere, quę radix in corde delitеſcit, alioqui dum vitioſa radix perdurat, nihil ab eo homine mundum ualet expectari. cuius rei exemplum ab agricolis accipi facile poteſt, qui niſi ab radice mala gramina euellant, nunquam abſcindendi & amputandi finitur labor, & ſemper eadem gramina reuireſcunt. Quòd uero de adulterij crimine hic admonemur, quòd ſcilicet tantum concupiſcendo, peccatum patretur in corde, idem de uitiis alijs eſt intelligendum, ut de homicidio, furto, rapina, cæteriſque eius generis, quod à nobis ignorari turpiſsimum eſſet, cum hoc ab ethnicis iam olim fuerit intellectum, ut quidam eorum dixerit.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Cum ergo tam ingens ſalutis periculum impendeat homini, ut ex ſolo motu cordis, qui tam facilis eſt, quàm omnes noſtis, ęternæ ultionis pœna comparetur, miror homines non ſolum nullam ſenſibus, qui miniſtri cordis ſunt, adhibere cuſtodiam, ſed undique uenari occaſiones cordis uitiandi, & in omnes inuoluendi turpitudines. nam uiri primum, qui ut perfectius animal, exemplar caſtę uitæ eſſe fœminis deberent, primas ipſi partes arripiunt ad eas irritandas & corrumpendas, cum oculorum nutibus, tum uerborum ſpurcitijs,

citiję, quorum graueolentia ſepulcrorum patentium fœtorem faci-le ſuperat. quid dicam de ueſtitu cultu que corporis? uidete enim ueſtrum caligarum uſum, quæ ita pudendas corporis partes aper-tè tum anteriores tum poſteriores referunt, ut penè honeſtius iudi cari poſsit nudos agere, quod inſaniæ aſcriberetur, atque iccirco mi nus attenderetur, quàm ſanę mentis homines tam inſanè inter fœ-minas quotidie uerſari cum apertiſsimis illis formis Priaporum (honor ſit auribus) atque Ithyphallorum. quòd tanto eſt ethnicorum inſania impudentius, quòd eorum Priapi non omnibus ſed ſecretis quibuſdam in locis affigebantur. uos uero has horum formas paſ-ſim circunfertis. & ſanè niſi uos defenderet numerus ac conſuetu-do, & pauci hoc uitio detinerentur, nullo negocio tantus error in-telligeretur, & ſenatus conſulto decerneretur, ut omnes tam fœdæ rei parcerent, tam que pudendus abuſus auferretur. nam quòd prohibeat conſuetudo ipſa, quo minus uitium hoc agnoſcatur, ex eo licet intelligere. fingite enim homines hactenus morem habuiſ-ſe obtegendarum earum partium, ut olim habebant, & unus quiſ-piam nunc primum uti eiuſmodi caligis uellet, nullo modo hoc pateremini, tam fœdum ſpectaculum mulierum oculis obuerſari. Mirati fortaſſe quidam ſunt, quòd ſuperioribus diebus in ſynodo mandauerim clero, ut exterioribus ueſtibus celarent illas eiuſmodi caligarum formas, & poſthac modeſtioribus ac uerecundioribus uterentur, & clero dignis. ſed opto ac precor, ut idem preceptum tanquàm ad uos etiam factum accipiatis, cultúm que, qui Chriſtia-nos decet, induatis, nam hic, quo utimini, non ſolum Chriſtianus non eſt, ſed ne apud ethnicos quidem, & eos, qui ſine Deo erant, tam monſtroſus fuiſſe uſquam reperitur. Et hæc quidem aduerſus uiros ſint dicta. nunc ad mulieres ueniendum eſt, quas & pietatis ratio, quæ ad illas maximè pertinere debet, & muliebris pudor in-tra honeſtatis limites continere debuerat. ſed illę uiris multò ſunt impudentiores, ut totum illarum ſtudium irretiendis uiris, atque ad ſui concupiſcentiam prouocandis eſſe uideatur. quid enim uo-lunt pictę genæ & fucus faciei illitus, pectus apertum, exquiſitus ueſtium nitor, quid illa ad feneſtras & ſallnas commoratio, & cu-iuſque tranſeuntis obſeruatio ac frequens appellatio, quid inquam hęc uolunt aliud, quàm ut obuio cuique placeatis? placere uerò illud non ne ſpes ad concupiſcendum inuitat, quæ concupiſcentia

& co-

& eorum mortem parit, qui concupiſcunt, & ueſtram ipſarum, quę concupiſcendi fomenta prębuiſtis? quòd ſi nulla commouemini miſericordia ob eos, quos perditis, pro quibus Chriſtus mortuus
Rom. 5. eſt, cur non vos ſaltem veſtri ipſarum miſeret? cur aduerſus voſmet ipſas tam eſtis crudeles, vt neſcio cuius vanitatis ac tanquam ſomnij gratia æterna Geennæ incendia vobis accerſatis? Quid ergo hic eſt faciendum? dicet aliquis. an datis à Deo ſenſibus non vtemur? uide quid addat Dominus. *Quòd ſi oculus tuus dexter offendiculo tibi fuerit, erue illum & proijce abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, & non totum corpus tuum mittatur in Geennam. &, ſi dextera tua manus offendiculo tibi fuerit, abſcinde eam & proijce abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, & non totum corpus tuum mittatur in Geennam.* Admonui (inquit) periculum, quod ex aſpectu creari vobis poteſt, dum ex eo impingitis in concupiſcentiam. hæc ergo impactio, quæ in tam ingens uos damnum trahit, cauenda eſt. quòd ſi graue vobis videtur, cohibere ſenſus, & liberum illis ſui excercendi vſum prohibere, cogitate multò eſſe grauius, totum demum corpus ęternis cruciandum ignibus tradi. Hęc uerba ſi intimis ſenſibus, quemadmodum eſſet faciendum, acciperemus, nón ne idonea eſſent ſine vllis alijs monitis ad vnumquenque in officio continendum, atque ad frenandos ſenſuum motus, quibus tamen nullæ habenæ à pleriſque omnibus adhibentur? quæ feræ, quæ clauſtra non eſſent in re tanti momenti ſenſibus omnibus admouenda? ſenſus enim veluti ianuę ac feneſtræ quædam ſunt, quibus maior adhibenda cuſtodia eſt, quàm domorum veſtrarum foribus, quòd ſi illas diligentiſsimè obſeratis, vbi furum aut hoſtium metus eſt, quanquam damnum in illis non vltra corporearum facultatum aut corporis iacturam porrigitur, quæ tamen utraq; velimus nolimus ſemel ſunt amittenda, quanta opus eſſe cuſtodia, ne ea res amittatur, cui promittitur immortalitas atque æternitas, ne noſtra vel negligentia vel culpa mors (quemadmodum ait propheta) intret per feneſtras noſtras, atque in animæ domicilium ingrediatur? & tamen quis hanc cuſtodiam curat adhibere? quis non potius data opera exponit patenteis ſenſus cuiuis hoſti, atque adeo illum etiam inuitat vt ad ſe perdendum ingrediatur? hoc enim quiſque ueſtrum facit, cum vel ad ianuę fores ac feneſtras curioſè ſpectat, vel vrbem perambulat, vt oculos

ut oculos oblectet atque aureis. ſed redeamus ad verba Euangelica. Quod ait; eruendum oculum, atque abſcindendam manum, qui ſint offendiculo, non ita eſt accipiendum, vt verba videntur ſonare', quod à quodam factum fuiſſe memini me legere, id que ſola fidei ſimplicitate ac pietate in Deum, qui, cum conſpecta muliere ſenſiſſet id ſibi fuiſſe offendiculo, eruit oculum. quod vt à magna fide profectum intelligeretur, ſequenti tempore, eadem fidei eiuſdem ui montem quendam tranſtulit. ſed, vt dixi, non hoc ad literam eſt accipiendum, alioqui quo pacto oculus unus ſine alio peccare poteſt? quòd ſi ambo ſimul peccant, utrunque ſimul eruendum pręcipere oportuerat. ſimiliter cur magis dexter oculus quàm ſiniſter, & dextera manus quàm ſiniſtra? ſed ſic eſt intelligendum. nulla res tibi ſit tam chara & quæ tanti à te fiat, quanti dextrum oculum facere ſolent homines, quam non contemnas atque abijcias, quoties illam tibi agnoſcis ad ſalutem æternam eſſe poſſe impedimento. eruere ergo oculum, & abſcindere manum, eſt ab eorum, & cæterorum, quę ęquè chara ſint, vſu abſtinere. nam prohibere oculum ne videat, quaſi eruere eſt. At verò non ſolum graue ſed iucundiſsimum eſſe deberet, prohibere ſenſus, pręſertim oculos ab ijs, quę ad peccatum trahunt, non ſolum ob ea quæ hic Dominus admonet, ne ſcilicet totum corpus conijciatur in Geennam, verum etiam ne tanto muneri erga largitorem Deum ingrati ſimus, ipſius videlicet uſus oculorum, quorum miniſterio tam egregias artes, tantam rerum agnitionem ſumus aſſecuti. quis autem tam ſtultè improbus reperiatur, qui oblatum à rege egregium quoddam munus proijciat in cœnum? at longè abiectius eſt, oculis ad laſciuiam abuti, quàm cœno inuoluere. quòd ſi pro eorum dignitate vti illis uelimus pręſertim in mulierum aſpectu, illas eo animo intueri debemus, quo ſolemus ſolem, lunam, ſtellas, magnifica ædificia, & muſica aliqua exquiſita inſtrumenta, quæ cum aſpicimus, confeſtim ad eorum artificem admirandum ac laudandum animamur. quod faciebat propheta, qui cum eſſet harum rerum, quæ ſubiecta oculis ſunt, ſtructuram magnificam contemplatus, ſtupens exclamauit. quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. niſi verè hac uia ingrediamur, nouerimus, dum ſolis indulgemus ſenſibus in ijs ſpectandis, quæ oculorum aſpectu ſentiuntur, non hominem ſed ratione carens animal iſtis frui. nam *Pſal. 91.*

Oo fruendi

ſruendi ratio in homine propriè ad mentem pertinet, cui uni ſenſus omnes ſeruire, vt miniſtri ſuo dominò debent. & uidete quàm miſera ſit eorum, qui illis abutuntur, conditio. tandiu enim dum ita uiuunt, non uiuunt ipſi, ſed pro eis ratione carens animal. ita miſeri plerunque moriuntur, ut ſe uixiſſe, cum extincta fuerit in illis ratio, quæ ſola hominem efficit, dicere nunquam poſſint. Cum igitur ij ſoli uiuant, qui rectè illis utuntur, quis non vitam malit quàm mortem, vt quotquot annos in uita degit, vixiſſe ſe, non aliud neſcio quod animal, queat gloriari? *Si oculus tuus dexter* (inquit) *offendiculo tibi eſt, erue illum.* quem dicemus eſſe dextrum oculum? liberos, nepotes, ſed multò omnium maximè pecunias atque opes, quæ ſi ex una parte collocentur atque ex altera liberi, & quis interrogetur, vtro horum priuari malit, in maximas quidem redigeretur eligendi anguſtias. ſed opinor maiorem hominum partem diuitias liberis antepoſituram, quod facilè ex eo conijcio, quòd uidere licet plures, qui eaſdem pecunias uitę corporis atque adeo animæ etiam ipſius ſaluti frequentiſſimè anteponant. quàm multi enim mare atq; aridam longis itineribus perambulant, innumeris vitæ periculis ſeſe obijcientes ob ſolam parandarum opum cupiditatem? quantò verò plures ſunt. qui ob hanc ipſam cauſam, exiguam atque interdum nullam ſalutis animæ rationem habent, modo locupletentur, atque hoc ſuarum principium cogitationum faciunt, & huc referunt exitum? ſed illud maxima dignum eſt admiratione, quòd cum mos hominum ſit, vt chariſſimis rebus in primis frui ſtudeant, ij, qui maximè diuitiarum cupidi ſunt, illis minimè omnium fruantur, qui ſi mente uterentur, poſſent illas etiam cum moriuntur, ſecum ferre. & nunquam cogitant miſeri, quo pacto re tam amata potiri in perpetuum poſſint. & videte rem ænigmati perſimilem. diximus homines ſolere parandarum diuitiarum ſtudium, non ſolum filijs, ſed propriè ſaluti anteponere. poſtquam ergo has pararunt, cum deberent rem tam amatam ſibi reſeruare, non ſolum liberis ac nepotibus eas tribuunt, ſed illis plerunque accidit, quod fuit per prophetam longè ante prædictum.
Pſ. 38. theſaurizat & ignorat cui congregabit ea. atque hoc eſt, quod mi-
Eccl. 4. rabatur Salomon, cum diceret. Vidi aliam uanitatem ſub ſole. unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs, nec cogitat dicens,

cens, cui laboro, & fraudo animam meam bonis. Sed veniamus ad eos, qui liberos habent, & habent præterea vnde illos honeſtè alant, nec tamen parandarum pecuniarum finem ullum ſtatuunt. quid hi obſecro cogitant? nihil opinor aliud, niſi vt diuites eos relinquant. quamobrem verò id faciant, non cogitant. at tanti momenti res fuerat in primis cogitanda, & dicendum apud ſe. num idcirco mihi Deus liberos tribuit, vt ad Euangelica præcepta implenda ſint impedimento? hoc creditu indignum eſt. at hæc infinitas parandarum opum id præſtare prohibet, quod Euangelium iubet. dum enim nullum ſtatuimus finem, quouſque in acquirendis pecunijs progrediamur, atque vbi ſiſtamus, tandiu proximus quiſque eſt negligendus, quem tamen amare vt nosmet ipſos iubemur. pauper contemnendus, cui item niſi cibum, potum, veſtem, hoſpitium, cæteraque, quæ enumerat Dominus, impertiamur, æterna nobis Gehennæ incendia ſunt expectanda. has cogitationes ſi ſæpius in conſilium adhiberetis, mox intelligeretis quanto in errore uerſemini, & cum tantum paratum eſſet facultatum quantum alendis filijs, & eis ad uirtutem educandis ſatis eſſe poſſet, terminum conſtitueretis illi infinitæ cupiditati. illud que apud uos reputaretis, fore ſcilicet, vt, ſi filij ueſtri probi eſſe uoluerint, non ſolum ea, quę adſint, ſatis illis ſint futura, ſed illi multò plura ſua induſtria parare poſſint. ſin improbi euadant, ne regias quidem opes ſatis illis poſſe facere, fruſtrà que à patribus in hoc laborari, vt ij diuites relinquantur. his ſi vteremini conſilijs, videte quanta hinc bona conſequerentur, primum liberi veſtri educarentur modeſtiores, dum intelligerent cum virtute eſſe viuendum, ſi vitam agere inter alios honeſtam velint. parentes hanc vitam tranquilliſsimè degerent, eam alioqui nunquam quietam habituri. ad futuram vitam aſſequendam viaticum prępararent, præmitterent que diuitias, quibus in perpetuum fruerentur. nullus pauperum, hoc eſt, fratrum Chriſti tanta laboraret inopia, quæ ob eam tantum cauſam accidit, quòd ij, qui pecunias habent, ſunt inſatiabiles. eſſet denique in hac ipſa uita eius, quæ in cœlo eſt, conſuetudinis beatiſsima repræſentatio. Hoc ſi aſſequeremini cum de liberis cogitatis, nullum eſſet negocium in nepotum conſideratione eos affectus ſuperare, qui uos hactenus occupauerunt. Hic eſt ergo dexter oculus, quem iubet Dominus erui, ne totum corpus in Geennam conijciatur. Atque hæc ſanè ad nuptias,

quarum ſuperiore Dominico die facta mentio eſt, parandas admodum ſunt accommoda. nam ſi ea, quę dixi, bene penitus animo afſigatis, lautiſsimam à vobis Chriſtus atque opulentiſsimam nuptialem cœnam eſt ęxpectaturus. Sed meminiſſe uos oportet, quod
Iob. 1. aliâs etiam vos admonui, non defuturum unquam Satan (quemadmodum in libro Iob legimus) inter filios Dei. audio enim quoſdam ſubmurmurare, non eſſe hac re opus, ſcire enim unumquenque, quid & cui tribuat, neminém que melius, quàm ipſum, cuius pecuniæ ſint, ſcire diſtribuere. O verè Satanicam ratiocinationem, & quæ veritati ac pietati aduerſetur. primum enim illud verum minimè eſt, unumquenque ſcire ſua diſtribuere, niſi alieno conſilio regatur. nam hoc eſt omnium difficillimum, quando priuati affectus efficiunt, vt raro quis in ſuis rebus diſtribuendis non decipiatur. deinde hæc in commune collatio quantum addit animos toti ciuitati, atque ad optima quæque ac Chriſtiano homine digna aggredienda inflammat? quod non aſſequetur priuata cuiusque eleemoſyna. adde quòd multò gratiſsimus Deo eſt hic omnium ciuium conſenſus atque unanimitas, quam vt oſtenderet Dominus quanti faciat, di-
Mat. 18. xit, vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio illorum ſum. quamuis uni etiam non deſit, qui ſolitarius illi ſeruire decreuerit. poſtremo experimur, hac via, quam iuſtum iam annum inſtituimus, multò pluribus ſubueniri, quàm ſi duplicata etiam eleemoſyna ſinguli ſeorſum pro arbitrio pauperibus ſubuenirent. Neque verò de fide diſtribuendarum pecuniarum dubitare quisquam debet. primum enim optimum quenque, quem inter uos eſſe agnoſcam, huic operi præficio, omnia meo iuſſu fiunt, eá que ordinatiſsimè. nam deſcribi omnes pauperes iuſsi, eós que diligenter inueſtigari, quinam, & cuius nominis ac vitæ ſint. in eodem libro deſcribitur, quicquid pecuniarum in eleemoſyna colligitur, quicquid impenditur & quibus. atque has rationes omnes quicunque inſpicere velit, fiet eis libentiſsimè horum omnium copia. quòd ſi ſenatus addere alios ipſe uelit, qui horum ſint teſtes, nihil mihi facere gratius poterunt. quare faceſſat Satan, neque ſperet in tam bene conſtitutis rebus inuenire calumnias, quibus tam egregium opus Dei queat euertere. Neq; arbitror quenquam ueſtrum ad inanes illas excuſationes reuerti, & ciuitatis paupertatem obijcere. præterquam enim, quòd nulla tanta eſſe paupertas debet, quæ impe-

impedire eleemoſynas idonea ſit, cuius exemplum in epiſtolis Pauli inuenitur, ubi laudantur Macedonum eccleſię, quòd profunda paupertas illorum abundauerit in diuitias ſimplicitatis ipſorum. præter id inquam, ego uobis ſuperioribus menſibus oſtendi, quod nemo hactenus, cum quo de hac re fuerim locutus, improbauit, ſed uerisſimum id eſſe quiſque affirmauit, poſſe uidelicet quotannis ciuitatem hanc ſine ullo ſuo aut certe quàm minimo incommodo mille nummos aureos in uſum pauperum impendere, eſſe enim, ut minimum dicam, uiginti ciues, quorum ſinguli proferre decem poſſint. centum alij, qui & ipſi duos ſinguli, trecenti, quorum ſinguli unum. ecce ſeptingentos iam aureos nummos. reliqui trecenti facile cogerentur, ſi reliqua multitudo exiguum quid ſinguli largirentur, quæ ſumma id efficeret, ut toti huius ciuitatis paupertati ſubueniretur. Sed uelim, cum mentio fit commodi uel incommodi in danda eleemoſyna, identidem ueniret uobis in mentem Euangelicæ illius uiduæ, quam nunquam, ſi etiam ingenteis pecunias proferatis, æquaſſe iudicabimini, niſi ex ijs obtuleritis, quæ uobis ad uictum cultúm que ſunt neceſſaria. interim tamen contentus ero ijs, quæ cum nullo aut certe exiguo ueſtro incommodo offertis. ſpero enim iuuante Domino futurum, neque ita multos poſt annos, ut multò his maiora audeatis. Ego uerò in ea ſum futuræ collationis huius ueſtræ expectatione, ut nihil mihi longius uideatur, quàm illius diei aduentus, quo iſta fient, cum quindecim adhuc dies interſint. uideor enim iam exaudire rumorem, qui per circumiacentes has ciuitates feretur, Fulginatem clerum, ſenatum, omnes ſocietates, omnes facultates atque artes, ſeorſum ſingulas, mulieres item in ſua acie, pueros quoque in ſua, nuptias Chriſto regi naſcituro parauiſſe honorificentisſimas. cum de Fulginea cantabitur, quod de Ieruſalem quotidie canitur, glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, quam cenſetis futuram ueſtram exultationem, eorum præſertim, qui egregiè in hac oblatione ſe geſſerint, cum cernent tantum gloriæ Chriſto liberatori ſuo ſua opera acceſsiſſe? contra uerò quàm eos pœnitebit, qui tam ingrati tanto benefactori nihil contribuere ſua inertia uoluerint? Illud præterea boni accedet, quod certè plurimi eſt faciendum, quòd uicinæ ciuitates ueſtro exemplo prouocatæ uos imitabuntur, & ſenatus ſenatum, clerus clerum, cæteræ que & facultates & artes ueſtra ſequentur ueſtigia,

2. Cor. 8.

Pſ. 86.

quæ res præter gloriam huius ciuitatis ſempiternam, multam uo-
[illegible] bis apud Deum meritorum ſummam comparabit. Agite itaque ci-
ues mei accingimini ad tam egregiam prouinciam, excutite torpo-
Phil.2. rem omnem atque ſegnitiem, implete gaudium meum, hoc om-
nium laborum meorum, quos die noctú que pro uobis perfero,
leuamen ac præmium fit. neque enim aliam ob cauſam aut expecta
tum alium fructum apud uos habito, niſi ſola ſpe profectus ueſtri,
alioqui hoc ipſo die à uobis diſceſſurus. hęc una uia eſt leuandi tan-
ti oneris, quod paſtoris ueſtri humeris ueſtri gratia eſt impoſitum.
ſed multò magis ad illum referendi ueſtri oculi ſunt, cui animam,
corpus, liberos, incolumitatem, opes, uitam, breuiter omnia, quę
uel adſunt, uel ſperari pręterea poſſunt, referre accepta debetis, qui
hæc ipſa, quę nunc eſtis oblaturi, (ò profuſam liberalitatem, ò no-
ſtram ingratitudinem) hęc ipſa inquam in hác ipſa uita centies mul-
tiplicata eſt redditurus. tam felicem conditionem quis prudens at-
que adeo quis inſanus recuſauerit? quare nolite eſſe imprudentes
ciues mei, neque tam ingens bonum negligatis, ut & hanc uitam
feliciter agatis, & futuram illam atque immortalem aſſequamini.
iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſan-
cto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMA-
OCTAVA.

RELIQVA erat Euangelicorum uerborum pars, quæ ad iura pertinet matrimonij, hodie declaranda, niſi hodiernus dies dicatus eſſet ei prouincię, cuius gratia alio, quàm reliquis diebus, quibus huc conuenimus, more eſt utendum. hic enim conſeſſus atque hæc concio iccirco fit, ut ego linguam Diuinis ſermonibus explicandis uos aures illis audiendis adhibeatis. hodiernum autem negocium aliam nunc rationem poſtulat. nam hodie mihi non lingua, ſed oculi, uobis non aures ſed manus ſunt exercendę. ut ego egregij ac pręſtantiſſimi omnium operis ſpectator ſim, uos miniſtri, quibus

bus parandarum hodie nuptiarum naſcituro perendie Chriſto munus ſuperioribus diebus mandatum à me fuit. quare ut ſpatium faciendæ huic oblationi relinquatur, breui mihi oratione eſt utendum. nam ubi facta promittuntur, uerba cedant opus eſt, quæ iccirco adhibentur, ut facta exerceantur. neque enim aliam ob cauſam cum prælium eſt ineundum, imperator uerba facit, niſi ut milites ad conſerendas manus animentur, cuius rei niſi eſſet ſpes, imperatoris oratio eſſet ocioſa. ſic continuus hic meus concionandi labor à me exercetur, ut factis Chriſtiano homine dignis operam detis, præſertim eleemoſynæ, qui vnus ac princeps fructus eſt, cum pre omnibus neceſſarius ad parandam ſalutem, tum veluti index quo progreſſus veſter in rectè facta in primis agnoſci poſsit. nihil .n. aut certe perparum profeciſſe ſe in uia Dei quiſq; ſe exiſtimet, donec erogandis in pauperes pecunijs promptum ſe atque alacrem ſentiat. etenim cum opum ac pecuniarum cupiditas radix omnium malorum ab apoſtolo prædicetur, dum radix remanet, unde mala identidem regerminent, nulla ſperanda eſt libera plenà que interioris hominis inſtauratio. vbi verò quis hoc vitium ſuperauerit, is tanquam malo ab radice euulſo, ſperet ſe mox in plenam libertatem eſſe vindicandum. Accedit præterea, quòd, cum ſumma legis dilectio ſit, quæ videlicet dilectio poſt illam Dei, non ad ſe propriè ſed ad proximum quenque referatur, primum ea quæ à nobis noſtri ipſorum cauſa fiunt, vt ieiunia, uigiliæ, precationes, peregrinationes, atq; eius generis alia, non proximum complectuntur, atque iccirco præceptum dilectionis non aſſequuntur. deinde niſi ad eleemoſynam præbendam perueniatur, nunquã certò ſcire aut intelligere poſſumus, nos proximum amare. nam fallunt nos cogitationes noſtræ, dum nobis perſuademus, nos bene uelle proximis noſtris, quibus tamen iuuandis nihil incommodi pati uolumus. quę enim erit utilitas (ait beatus Iacobus) ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & egentes quotidiano uictu, dicat autem aliquis ueſtrum illis, abite cum pace, caleſcite & ſaturamini, non tamen dederitis illis quæ ſunt neceſſaria corpori? nam multos huius generis homines cernere eſt, qui videntur commoueri miſericordia, cum egentem aliquem ſpectant, putant que hoc pacto ſe eſſe miſericordes, ſed falluntur, vt dixi, neque perſuadere ſibi unquam debent, amare ſe proximum, niſi cum in illum pro uiribus, ac ſuprà uires interdum fuerint

1. Ti. 6.

Rom. 13.

autem ſint infantes ac pueri, ut in tenera hac ętate imbuantur, & diſcant, quid tota illis uita ſit faciendum.

(Hic facta oblatio fuit. qua peracta rurſus epiſcopus dixit)

Nunquam ego quidem poſtea quàm vobis epiſcopus ſum datus, de futuro profectu veſtro deſperaui, verum hodie in multo maximam illius ſpem venio, cum oblata non exiguę pecunię ſumma, factis ipſis declarauiſtis, velle vos ſeriò Euangelicum tractare negocium. Augeat Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti uobis hos animos, vt eatis de virtute in virtutem, & demum videatis Deum Deorum in Sion. *Pſal. 83.* Reliquum illud eſt, vt uos ad celebrandum Seruatoris Chriſti natalem diem omni ſtudio pręparetis, & ſpirituali gaudio tantæ rei memoriam celebretis. non epulis ac iocis, quemadmodum hactenus eſt factum, per hoſce dies danda opera eſt. nam repetita increpatione vti aduerſus eos, qui in ſacratiſsima illa natiuitatis Chriſti nocte ludis ac crapulę incumbere conſueuerant, non video eſſe opus, cum ſuperiore anno Dei benignitate factum ſit, vt nemo ea nocte res eiuſmodi exercuerit. quod penè pro miraculo fuit habitum. Gaudere quidem vos volo & lętari, ſed ſicut decet homines, qui tantæ veritatis agnitionem fuerint aſſecuti. & quemadmodum docet Paulus, cum ait. Gaudete in Domino ſemper, *Phil. 4.* iterum dico gaudete, modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus enim prope eſt. nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Cernis quod Chriſtiani hominis eſſe officium debeat? atque id tota uita. neque enim de priuato ullo tempore tunc illi erat ſermo. quòd ſi perpetuò hoc eſt præſtandum, multò certè magis æquum eſt fieri in tanti diei memoria. ſeponendæ omnes terrenarum rerum curæ quotidianis atque adeo omnium horarum precationibus ſummo ſtudio incumbendum: gratiæ agendæ Deo & patri, qui proprio filio non pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradiderit illum, pro nobis inquam hoſtibus. cum enim inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per hunc ęterni patris unigenitum. *Rom. 8.* Agnoſcite ueſtras diuitias, atque ad eas contemplandas identidem in templum conuenite, in cubiculis ueſtris uoſmet colligite. iubete ſenſus ueſtros uacare, & dicite cum ſancto patriarcha Abraham. manete hic cum aſino, hoc enim dixit profecturus in montem, atque adoraturus. *Gen. 22.* alioqui his frui delicijs non licet, & hanc benignitatem

Pp Dei

Pſal. 33. Dei erga nos intelligere. uacate (inquit) & uidete, quòd ſuauis ſit Dominus. Quis uerò explicet theſauros, quos ibi eſtis reperturi? ſolum profectò præſepe, in quo Dominus & rex omnium poſitus eſt, erit idoneus ita detinere animos ueſtros, ut ab eo recedere ne-
Luc. 2. queatis. quid angeli paſtores allocuti, & laudibus gloriam Dei tan
Matt. 2. ta cum alacritate celebrantes? quid ſtella, quæ magorum dux fuit? quis hæc & alia multa, quę commemorare tempus non eſt, pro dignitate admiretur? In ijs ergo uerſemur, in his deliciemur ne ingrati tantis donis unquam reperiamur, ſed gratias agentes ſemper finem illum, cuius gratia hæc facta ſunt, aſſequamur. iuuante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO TRIGESIMA-NONA.

NOLLEM ego, quem pauperum eſſe patrem oportet, vt oblatio, quę ſuperioribus diebus facta fuit alendorum pauperum gratia, in eorundem pauperum detrimentum redundaret, ne videlicet opinaremini, tantum iam oblatum eſſe pecuniarum & tritici, quod illorum ſatis neceſsitati facere poſsit. nam quicquid eſt à vobis in commune collatum, ſi pauperum indigentiam ſpectemus, perinde eſt ut aquæ guttula homini, qui ſiti ardentiſsima conficiatur. nam hac quidem oblatione illam ſuperioris anni longo interuallo ſuperauiſtis, ſed multum tamen deeſt ad tantam inopiam leuandam. quare moneo vos, vt pręſepe Domini (noſtis enim quam ob cauſam arca illa, quę in templo eſt in vſum pauperum collocata, pręſepe Domini vocata à nobis ſit) identidem inuiſatis quotidianis oblationibus ueſtris. ad quam rem eò libentius alacriúſque adhortor, quò vos ad hanc beneficentiam in dies video promptiores, quem affectú in vobis ſemper augendum eſſe confido. cerno enim voſmet iam intellexiſſe, id quod ſuperiore anno factum fuit, atque eo tempore viſum magnum, nunc puerile vobis videri. hoc idem

ſequenti

ſequenti anno omnino fiet, in quo vbi multò maiora pręſtiteritis, hoc quod nunc maximum eſt exiſtimatum, exiguum admodum fuiſſe agnoſcetur. Et quoniam cogitare me oportet, quibus artibus ſemper aliquid, quo iuuentur pauperes, corradatur, memini perendie calendas Ianuarij futuras, quo die xenia pręberi conſueuerunt, iuſtum eſt ergo, ut ueſtrum epiſcopum ueſtris xenijs honeſtetis, quæ tamen xenia, quia ad nuptias Chriſti honeſtandas aſsignare volo, quicquid ad me ſinguli veſtrum, qui hic adeſtis, eſſetis miſſuri, eorum pretium in pręſepe, cuius dudum feci mentionem, eo die immittetis. quod longè mihi erit gratius, quàm ſi in epiſcopi domum afferretis. Sed tempus iam eſt ad Euangelicum montem reuerti, & Domini uerba, quę ſequuntur, interpretari. *Dictum eſt autem* (inquit) *quicunque repudiauerit uxorem ſuam, det illi libellum diuortij, at ego dico uobis, quòd quiſquis repudiauerit uxorem ſuam niſi cauſa ſtupri, efficit, ut illa ſit adultera, & quicunque repudiatam duxerit, adulterium committit.* Hic locus cum ſuperiori coniungitur, ubi dictum eſt de aſpectu uxoris alterius ad concupiſcendum eam. icciroo non eſt additum verbum, audiſtis, quod reliquis in locis eſt factum. In Deuteronomio autem ſcriptum eſt in hæc uerba. Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Hoc autem cur factum ſit, apertè diſcimus ex Euangelio, vbi cum acceſsiſſent ad Ieſum Phariſæi tentantes eum & dicentes, num licet homini dimittere uxorem ſuam quacunque ex cauſa? reſpondit, an non legiſtis, quòd qui fecit ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit. propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem unam. itaque iam non ſunt duo ſed vna caro. quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. rurſum illi. quid ergo Moſes mandauit dari libellum repudij, & dimittere eam? ait illis. Moſes ad duritiam cordis ueſtri permiſit uobis dimittere uxores ueſtras. ab initio autem non ſic fuit. dico autem uobis, quòd quicunque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, committit adulterium, & qui dimiſſam duxerit, committit adulterium. In his uerbis oſtendit Dominus, illud quod ſcripſit Moſes, fuiſſe non pręceptum ſed permiſsionem ob duritiem cordis Iudęorum, ne forte,

Deu. 24. *Mat.* 19. *Gen.* 1. *Gen.* 2. *Mat.* 19.

ſi dimittere vxores non licuiſſet, eas interfeciſſent, quod periculum niſi Moſes metuiſſet, de libello repudij non fuiſſet locutus. Quod autem Dominus excepit cauſam ſtupri, hoc rectè factum eſt, cum rectà contra matrimonij iura, naturam que coniugalis vinculi feratur. Ex his autem Domini verbis fuerunt, hac præſertim ętate, qui longis diſputationibus probare conati ſunt, eum, qui cauſa ſtupri dimiſiſſet vxorem, poſſe aliam ducere. ſed non uideo, quo pacto ex Euangelio, aut etiam ex Paulo probare hoc poſsint. nam quod apud Matthæum legitur, *qui dimiſerit uxorem ſuam, niſi cauſa ſtupri, & aliam duxerit, committit adulterium*, ſi diligenter uerba examinentur, non dicitur, licere ei cauſa ſtupri aliam ducere, ſed adulteram dimittere. neque enim dixit, qui aliam duxerit, niſi cauſa ſtupri, ſed qui *dimiſerit niſi cauſa ſtupri*. ut illud, *niſi cauſa ſtupri*, referatur ad dimiſsionem vxoris, non ad id quod ſequitur, videlicet, *& aliam duxerit*. illud verò, *aliam duxerit*, abſolutè intelligatur de quacunq; dimiſsione qualibet ex cauſa. quod vt credam,
Mar. 10. facit locus apud Marcum, vbi ſic legitur Dominum dixiſſe. quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, &, ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, adulterium committit. Cernis hic nullam fieri exceptionem, cum dicitur, eum, qui ſua uxore dimiſſa aliam duxerit, committere adulterium, & præterea parem eſſe vtriuſque, uiri ſcilicet atque uxoris conditionem, vt nihilo plus viro liceat quàm vxori? quę res etiam Pauli apoſtoli ſcribentis ad Corinthios ſententiam facit apertiorem,
1. *Cor.* 7. vbi ſic ſcribit. Coniugatis præcipio non ego ſed Dominus, vxor à viro ne ſeparetur, quod ſi ſeparata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur. & maritus vxorem ne dimittat. Quis autem dubitet, ſubintelligenda eſſe reliqua verba, quæ de vxore dixit? alioqui cur mariti cauſa in hac parte potior eſſe debuerat, præſertim cum, ſi indulgentia fuiſſet vtendum, ſexui fuiſſet indulgendum infirmiori? quod ſi voluiſſet marito aliquid indulgere, declaraviſſet omnino, neque rem tanti momenti ita frigidè præteriſſet. Cum ergo non liceat niſi ſola cauſa ſtupri dimittere vxorem, quàm abſurdum eſt, qualibet ex cauſa maritum ab vxore & vxorem à marito diſcedere? hoc profectò non aliam ob cauſam, quam ob corruptiſsimos Chriſtianos mores accidere poteſt. nam apud Ethnicos non tam facile tanta dimittendi coniugis, & libelli repudij dandi

facilitas

facilitas inuenitur. certè apud Romanos quingenti & eo amplius anni ab urbe condita fluxerunt, antequam quiſquam diuortium faceret, & qui primus hoc fecit, ob vxoris ſterilitatem feciſſe creditur. nunc in tanta luce veritatis non pudet homines tanta leuitate morum vti, vt quæuis cauſa idonea videatur ad coniugium dirimendum. ab initio (inquit Dominus) non ſic fuit, cum ſcilicet *Mat. 19.* nondum corruptela hæc fuerat introducta. Alij rem faciunt non minus reprehendendam. cum enim nunc dimittere vxorem non liceat, eam retinent quidem, ſed tam crudeliter tractant, vt earum melior eſſet conditio, quæ repudiabantur. quod quantum ægrè ferat Deus, videte quid per Malachiam dicat. Hoc rurſum (inquit) *Mala. 2.* feciſtis, operiendo lacrymis altare Domini, fletu & mugitu, uidelicet vxorum, quæ lacrymantes veniunt ad altare meum vt conquerantur iniuriam. ſequitur. ita vt non aſpiciam vltra ad ſacrificium, nec accipiam placabile quid de manu ueſtra. & dixiſtis. quam ob cauſam? quia Dominus teſtificatus eſt inter te & uxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti, & hęc particeps tua & uxor fœderis tui, hoc eſt, perpetuo tibi fœdere coniuncta. Et uidete, ut, quod Dominus in Euangelio dixit, ab initio non ſic fuit, idem ipſum propheta commemoret. non unus (inquit) fecit ſic, quia plus ſpiritus *ibidem.* erat in illo. & quid unus quærebat, niſi ſemen Dei? hoc eſt, Adæ non fuit ita conſtitutum, ut ſic faceret, neque fecit, ſed cum plus haberet ſpiritus ingenuitatis, uxorem non uoluptatis cauſa habuit, ſed ut ſemen ſuſcitaret ex ea. Duo ergo in eis reprehendit, & quòd non ut conſortes thori agnoſcerent ac ſocias, & quòd non ſuſcipiendæ prolis, ob quam coniugium fuit inſtitutum, ſed uoluptatis cauſa uxores haberent. Quod uerò in uirorum reprehenſionem à me dictum eſt, idem in eas mulieres eſt dicendum, quę ſine ulla erga maritum reuerentia continuis querelis perturbant domum, & iurgijs ac conuicijs interdum uiros ſuos irritant, quo nihil excogitari moleſtius poteſt, quod intelligens Salomon aiebat. Tecta perſtillantia in die frigoris & litigioſa mulier cõparantur. qui retinet eam, *Pro. 27.* quaſi qui uentum teneat. & alio loco, melius eſt habitare in terra *Pro. 21.* deſerta, quàm cum muliere rixoſa & iracunda. Et ſanè ſi bonum ueſtrum mulieres intelligeretis, longè diuerſa uia ingrederemini. quid enim? uultis in uiros ueſtros imperiũ exercere? in ueſtra hoc poteſtate eſt, ſi uos modeſtè ſubmiſſéq; geratis. nam rectè quidam ethnicus ait.

ait.caſta ad virũ matrona parendo imperat. cuius rei tanta vis eſt, vt mulieres Chriſtianæ, quæ primis naſcentis eccleſiæ temporibus inueniebantur coniunctæ viris ethnicis, ſua probitate idoneæ eſſent viros ſuos ad agnoſcendam hanc veritatem prouocare. quod Petrus
1.Pet. 3. apoſtolus admonebat cum diceret. Vxores ſubditę ſitis veſtris viris, vt etiam qui non obtemperant ſermoni, per vxorum conuerſationẽ abſque ſermone lucrifiant, dum conſiderant, cum reuerentia coniunctam caſtam conuerſationem veſtram. Exemplum vobis ſanctarum olim mulierum eſſet imitandum, quæ in placido ac quieto ſpiritu, ſubditę erant viris ſuis, quemadmodum Sara obediebat Abrahæ, dominum illum appellans. Hoc ſi fieret, vos in primis fructum rectè factorum & modeſtę vitę copioſum reportaretis, quietẽ haberet domus veſtra opera, augeretúr que in dies. contra verò, ri
Pro. 14. xis atque diſcordijs imminuitur. rectè enim dixit idem Salomon. mulier ſapiens ædificat domum, inſipiens verò exſtructam quoque manibus deſtruit. filij ac filiæ veſtræ honeſtos mores induerent, & cum filiæ locarentur viris, ſi nunquam uidiſſent iurgantem matrem, nę illę unquam iurgia ne ſomniarent quidem. nunc verò prauis matrum moribus inſtructæ aut infectæ potius, eiusdem ueneni ſemina in alias domos transferunt, atque paulatim tota ciuitas quodam quaſi fermento corrumpitur. Deberent quidem & ui
1.Pet.3. ri (vt idem Petrus admonet) habitare ſecundum ſcientiam, velut in firmiori uaſi muliebri impertientes honorem, tanquam etiam cohęredes gratię uitę. ſed deteriores interdum ij ſunt, atque inquietiores, minús que tolerantes. Et ſanè pudere deberet, homines tam parum reuereri iura coniugij, cum ſæuisſimę etiam beſtiæ ac ſerpentes ipſi cum ſuis coniugibus ſumma cum pace degere conſueuerint. Horum autem malorum non exigua cauſa eſt, quòd non cogitatis coniugij dignitatem, neque quanti in ſcripturis ſanctis fiat, neque quanto cum myſterio fuerit inſtitutum. quibus rebus cum deſtituerentur ethnici, pudere Chriſtianos debet, ab illis in iure coniugij ſeruando ſuperari, neque cœleſtes has, quas in Diuinis libris habent, diuitias facere plurimi. Videte ergo, cum Deus inſtituere coniugium voluit, quam admiranda uſus arte fuerit. quam cum ethnici, præſertim Plato, legiſſent, neque vel ſatis intelligerent, vel non auderent in vulgus prodere, fabularum artificio inuoluerunt. Scri
Gen.1. ptum eſt ergo, Dominum Deum creaſſe primò unum duntaxat hominem,

minem, nempe Adam, quem cum intelligeret, non eſſe bonum ſo lum relinqui, fecit ei adiutorium opportunum, vel, ſicut in Hebręo eſt, adiutorium quod eſſet coram eo, quo uero modo, quamúe ad mirando & ſingulari? non accepit nouam terram nouúm que limũ, quo mulierem formaret, ſed ſingulari pręter cętera animantia priuilegio ex ipſo viro eduxit vxorem. nam immiſit ſoporem in Adam, quo ſoporato tulit unam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea, & ędificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mu lierem. Cur factum hoc eſt? num deerat limus, quem acceptum formaret in mulierem? ſed uoluit Deus ipſius coniugij auctor admonere nos, quàm arctum eſſet eius uinculum, & quàm ſtricta coniunctio, quod ita eſſe ſequentia uerba declarant. cum enim deduxiſſet eam Deus ad Adam, atque ille prophetico ſpiritu intellexiſſet illam eſſe os ex oſſibus ſuis & carnem de carne ſua, adiecit. quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhęrebit uxori ſuę, & erunt duo in carnem unam, hoc eſt, una caro. He braiſmus enim eſt. Cernis nouum ac plenum admirationis morem, & tam ſtrictum uinculum, vt coniuges non duo ſint ſed vna caro? obſerua item ingentem affectum, qui intercedere inter coniuges debet. propter hoc (inquit) relinquet homo patrem & matrem ſuam, & agglutinabitur vxori ſuæ. affectum filiorum in parentes, qui eſſe maximus debet, ſuperat ille coniugum, vt relictis pa tre ac matre ſuis genitoribus, ſibi mutuo coniugantur. Ob hanc cau ſam cum prophetæ oſtendere uolunt, quantopere Deus nobis affectus ſit, ſponſi ac ſponſę exempla introducit, vt in illo epithalamio, quod ob excellentiam Canticum canticorum inſcriptum eſt, deſcripſit Salomon in ſponſi ac ſponſæ figura, Chriſti atque eccleſiæ mutuam inter ſe charitatem, & pluribus item alijs ſcripturæ ſacræ locis pasſim hoc obſeruare quiuis poteſt. Quod ſi deliteſcen tia myſteria in illa mulieris formatione cogitemus, multó certè maiore etiam obſeruatione ac reuerentia proſequendum eſſe coniugium iudicabimus. uidete enim quid Paulus dicat ſcribens Epheſijs. cum enim citaſſet Geneſeos verba, videlicet, huius rei gratia relinquet homo patrem ac matrem, & adiungetur vxori ſue, atque è duobus fiet vna caro, adiecit. myſterium hoc magnum eſt, ego autem dico de Chriſto & de eccleſia. magna (inquit) hic latent arcana, ſed ego interim loquor de Chriſto & eccleſia, quorum indiſſolubile

Gen. 2.

Gen. 2.

Eph. 5.

ſolubile vinculum in hac mulieris ex viro formatione figuratum eſt quam rem cogitans Paulus, in eadem epiſtola admonebat in hęc uerba. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundatam lauacro aquæ per uerbum, & adhiberet eam ſibi ipſi glorioſam eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut quippiam eiuſmodi, ſed vt eſſet ſancta & irreprehenſibilis. obſerua mirum commendandi coniugij modum. vult vt viri eum in vxores affectum induant, quem Chriſtus ipſe in eccleſiam declarauit, quam tam ardenter dilexit, vt ſua ipſius vita illam voluerit habere chariorem. & quemadmodum Chriſtus hoc fecit vtilitatis eccleſiæ gratia, vt eam ſibi adhiberet omni macula carentem, ſanctám que ac irreprehenſibilem, ſic viri vxorum commodis atque honeſtati ſtudere debent, quare etiam adiecit ſed debent viri diligere ſuas vxores, vt ſua ipſorum corpora. quamobrem? quia qui diligit ſuam vxorem, ſeipſum diligit. remanet enim fixum, quod in primorum coniugio factum fuit, vt ſcilicet ſit vxor os ex oſsibus viri, & caro de carne eius, cum una ſint caro. nullus autem (inquit) unquam ſuam ipſius carnem odio habuit, immo enutrit ac fouet eam. rurſus que exemplum Chriſti atque eccleſiæ repetiuit, dicens, ſicut & Dominus eccleſiam, quoniam membra ſumus corporis eiuſdem, ex carne eius & ex oſsibus eius. Papè quem admiranda eſt hęc adiectio. ſuperius dixerat, mulierem eſſe os ex oſsibus viri, nunc verò dicit utrumque eſſe ex carne Chriſti & ex oſsibus eius. Quanta ergo rei tam venerandæ adhibenda eſt reuerentia, prę ſertim ad fidem coniugij ſeruandam? ob hanc cauſam idem Paulus ſcribens Corinthijs, & admonens eos tanti myſterij aiebat. neſcitis quòd corpora ueſtra membra ſunt Chriſti? num igitur tollens membra Chriſti faciam ſcorti membra? quibus verbis non aduertitis, quàm horrendum ſcelus ſit iura coniugij violare? non'ne aures veſtræ expaueſcunt audientes, eos, qui meretricibus adiunguntur, efficeret, vt membrum Chriſti membrum fiat meretricis? Cogitate enim, ſi quis Euchariſtię ſanctę particulam in cœnum aut cloacam proijceret, dignum illum iudicaretis, qui infinitis tormentis excruciaretur. at quicunque membrum Chriſti accipiens, membrum efficit meretricis, tantò rem facit ſceleratiorem, quanto peccatum ei magis eſt abominandum, quouis cœno & quauis cloaca. Hæc eſſent in memoriam

Ibidem. *1.Cor.6.*

riam vobis reuocanda, cum fiunt coniugia, & narranda ijs, qui ma trimonio copulantur, ne ſint homines, quemadmodum pſaltes ait, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. admonendi adoleſcentes, qui ducere vxores cogitant, vt carnem ſeruent integram tanto myſterio. ob hanc enim cauſam mos eſt inter Chriſtianos, vt in nuptijs ſponſi ac ſponſæ coronentur, quę geſtatio coronę ſignificationem prębet ſeruatæ hactenus carnis integrę atque incorruptæ. Sed heu miſerrimum ſeculum noſtrum. video enim no uo opus eſſe aquarum diluuio. nam omnis caro nunc non minus quàm in diebus Noë corrupit viam ſuam. tantúm que abeſt, vt cu rę ſit iuuenibus caſtitas, vt illa ętas in omnia ſe flagitia & carnis laſciuias ingurgitet, & antequàm matrimonio copulentur, fœdisſi mè cum ſcortis plurimum ſunt ſordidati. quorum uitiorum culpæ pars non exigua in parentes, aut eos, quibus curæ ſunt, plerunque eſt reijcienda, qui non curant illos ſuo tempore copulare vxoribus, id que faciunt temporarij alicuius commodi gratia, dum vel maiorem dotem venantur, vel alio quouis pacto animum ad lucrum ap plicant, nulla interim ſalutis animę habita ratione vel illorum vel ſuæ. nam proculdubio quicquid illi peccant, culpa in eos etiam re dundat, qui peccata illa prohibere potuiſſent. Vnum ergo tanti ſiſtendi mali remedium eſt, primum vt qui iam viri euaſerunt, atque ætate ſunt prouecti, exemplum modeſtioris vitę adoleſcentibus præbeant, & tanquam facem præferant rectè factorum, deinde vt hos adoleſcentes ab ipſa pueritia doceant viam Dei, atque Euangelica præcepta. quod vt accuratius fiat, dedimus operam, vt vnus è ſacerdotibus quotidie certa hora eos inſtituat, & iaciat Chriſtianæ doctrinæ fundamenta, id que iam fieri cœptum eſt, hortór que, ut non ſolum liberos veſtros illuc mittatis, verum etiam & uos ipſi accedatis. ſic enim fiet, vt & vos meliorem vitam, quàm ſuperioribus annis factum ſit, inſtituatis, & filios veſtros optimè educare diſcatis. hęc niſi fiant, nullum uideo malorum finem expectari poſſe. ſi verò hæc à me dicta ſeruentur, ij, qui nunc pueri ſunt, cum viri euaſerint, fuerint que in Euange licis legibus exercitati, tum demum Chriſtianam habebimus ciuita tem, & qui ab ijs naſcentur, eandem viam ingresſi, neque vel ad dextram vel ad ſiniſtram deflectent. itá que hęc ciuitas nomini ſuo egregiè reſpondebit, & verè ac meritò Fulginea appellabitur. Et

Pſ. 31.

Gen. 6.

quoniam in hac oratione de matrimonio verba fecimus, ad monendi eſtis cuiuſdam erroris, quem in hac diœceſi frequentem ac pro legitima conſuetudine haberi video. cum enim coniungere aliquos matrimonio volunt, antequam ad ea verba veniatur, quę matrimonium conſtituunt, & quæ vulgo appellantur verba de præſenti, per aliquot ante dies & menſes interdum, ne dicam annos, immittit ſponſus annulum in digitum ſponſæ; quæ res proculdubio facit ſignificationem, vtrunque eorum in matrimonium conſentire, cùm que verba illa, quę neceſſario ſunt adijcienda, non protulerint, videte quàm malè res cedat. primum enim arbitrati peractum eſſe contrahendi matrimonij formam, cum inter ſe verſentur, cogitate vosmet, quid conſequi conſueuerit. deinde intercedere aliquid interea poteſt, quo alter eorũ indignatus recuſet matrimonium. tum litigandum eſt, fuerit coniugium nec ne, atque ita cernitis quàm multa abſurda hinc proficiſcantur. Hoc quia non ante reſciui, quàm eſſet facta ſynodus, non potui in ſynodalibus inſtitutionibus ponere, ſed mandaui concionatori, qui diœceſim perambulat, vt meo nomine ſub excommunicationis pœna iſta poſthac fieri prohibeat, quod & vos hodie admonere, atque ſub eadem pœna volui prohibere. Nam quod dicunt ſe hoc facere ob id duntaxat, vt tum firmetur pactum, poſt verò in maiori conuentu rem eſſe peragendam, hoc prorſus inane eſt, neque ea res tanti facienda, vt ob eam tantum negocium, quantum eſt ius matrimonij, in controuerſiam vertatur. quare vel totam rem ſimul peragite, vel ſi differre libet, ac tantum pacifici de futuro, id agite ſine illius annuli immisſione, aut dexterarum ſponſi ac ſponſæ coniunctione. in vtroq; autem ſiue cum pacta fiunt, ſiue cum matrimonium contrahitur, interſit ſacerdos parochialis, qui tanquam ſpiritualis pater, tanti ac tanta cum maieſtate, quantam audiſtis, inſtituti à Deo ſacramenti dux ſit ac moderator, & omnia ordinate inter Chriſtianos fiant, vt hanc vitam ſecundum Diuinas leges degentes, tandem ſempiternam illam conſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt gloria & imperium ſempiternum. Amen.

ORA-

ORATIO XL.

RVRSVM *audiſtis, quòd dictum ſit antiquis, non periera bis, ſed perſolues Domino ea quæ iuraueris. ego autem dico uobis, ne iuretis omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſubſellium eſt pedum illius, neque per Ieroſolymam, quia ciuitas eſt magni regis. neque per caput tuum iurabis, quia non potes unum pilum album aut nigrum facere. ſed erit ſermo ueſter, eſt, eſt, non, non. quod autem ultrà hæc eſt, à malo eſt.* Sequitur Dominus ſuam legi addens perfectionem, quod fuerat pollicitus, neque recuſat admonere identidem, ac repetere verbum antiquorum. videlicet dictum eſſe antiquis, vt intelligamus recedendum iam ab illa vetuſtate, & quę illis tanquam infantibus videbantur fuiſſe permiſſa, nunc factis iam viris eſſe reijcienda. cum eſſem puer (ait Paulus) loquebar vt puer, *1. Cor.* ſentiebam vt puer, cogitabam vt puer, at vbi factus ſum vir, abo- *13.* leui puerilia. Ait ergo, dictum fuiſſe antiquis per Moſen, non eſ- *Leui. 19.* ſe peierandum. iuramentum quidem permiſſum illis fuit, modo verè iurarent. ſed hoc factum fuit ea ratione, qua & libellus repudij, & nidor uictimarum conceſſus fuit, ne vel vxores interficerent, vel immolarẽt Dijs alienis. ſic ne per Deos alienos iurarent, permiſſum illis fuit iurare per Deum ſuum. icirco pſaltes ait. laudabun- *Pſ. 62.* tur omnes, qui iurant per eum. & in Deuteronomio. per nomen *Deu. 6.* (inquit) illius iurabis. & rurſus pſaltes, eum dicit in tabernaculo *Pſ. 14.* Domini habitaturum, qui iuraret proximo ſuo, & non deciperet. Accipitur tamen interdum in ſcripturis ſanctis iurandi verbum, non pro iuramento proprie, ſed pro ſententiæ conſtantia, & firmo animo perſtandi in ſententia. vt eſt illud. iuraui & præſtabo, cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. & illud, iurauit Dominus & non *Pſ. 118.* pœnitebit eum. non quòd Deum teſtem adhibuerit ſuæ pollicita- *Pſ. 108.* tionis, ſed quòd immota decreta eorum, quæ promiſiſſet, ſtabiliret. Sunt etiam modi quidam loquendi, qui iuramenti ſpeciem habent quandam, & iuramenta non ſunt, ſed audientium tantum gratia dicta, vt cum Ioſeph dixit: per ſalutem Pharaonis, vt reuere- *Gen. 42.* ri regem videretur. & apoſtolus, vt ſuam erga Corinthios ingentem charitatem declararet dixit, per noſtram gloriationem, quam *1. Co. 15.* habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Periurium ergo Iu-

dæis non iuramentum prohibitum fuit, tantum vt perſoluerent Domino ea quæ iuraſſent, hoc eſt, præſtarent quæ iureiurando eſſent polliciti. ita tamen vt promiſsio illa æqua ſit, non quemadmo
Mar. 6. dum Herodes fecit, qui quoniam iureiurando aſſeruerat ſe facturum quicquid ſaltatricula illa poſtulauiſſet, Ioanni Baptiſtæ caput amputari iuſsit. oportet ergo vt iuſiurandum eos comites habeat,
Iere. 4. qui à Ieremia deſcribuntur, cum ait. Iurabis, viuit Dominus, in veritate & in iudicio, & in iuſtitia. in veritate primum, vt non aliter præſtetur, quàm vt deſtructo mendacio, veritas aperiatur. deinde iudicium eſt adhibendum, vt non temere neque ex leui qualibet re, ſed magna cum deliberatione & grauiſsimas ob cauſas ad iuramentum veniatur, cogitét que iurans, num quod iurat præſtare poſsit, poſtremo vt nihil niſi quod iuſtum, rectum, honeſtúm que ſit, iuretur, nec ullum rei turpi aut illicitæ iuramentum adhibeatur. Et hæc quidem antiquis, quid verò Dominus? *ego autem dico uobis, ne iuretis omnino.* Diximus ſæpe aliâs, eum Domini ſcopum eſſe, vt malorum radices auferat, & præoccupet peccati conſummationem. atque ut in ipſo initio uitium amputet,
Exo. 20. ſicut enim uetus lex dicebat, non committes adulterium, Domi-
Mat. 19. nus uerò, non concupiſces, lex non occides, Dominus, ne iraſcendum quidem; ſic & hoc loco, contenta erat lex iuramento, modo quis ſanctè iuraret. Dominus uerò occaſionem peierandi amputat. nam qui iurat, fieri interdum poteſt, vt decipiatur, qui verò omnino non iurat, peierandi periculum euaſit. Et profectò ſi homines ſaltem famæ vel honori ſuo generosè ſtuderent, indignarentur iuramento quicquam affirmare. quam enim ob cauſam iuras? nón ne quia uereris, ne is, qui cum loqueris, uerbis tuis fidem non habeat? ecce iam ipſe te ſuſpectum facis, quaſi qui non ſatis idoneus ſis, cui fides habeatur, ſimpliciter quippiam vel affirmanti uel neganti. hanc ergo ignominiam, quam ipſemet tibi acceſſis, tum demum auferes, ſi rem uti eſt, ſine iuramento protuleris. ſiquis non credit, ſuę ipſe incredulitatis pœnas luat. tu ne eas pœnas des, quas non teneris. turpe enim omnino eſt, ac ſtultum etiam, ſeipſum calumniæ ſponte obijcere. ut qui fide ſit indignus, atque iccirco iuriſiurandi munimen adhibeat. Fuerunt autem qui aſſererent, Chriſtiano homini omnino quacunque etiam ex cauſa iurare non licere, atq; adeo damnabile eſſe iurare, innixi his Domini verbis, quæ
dudum

dudum ſunt recitata. quod ſi uerum eſſet, nunquam Paulus ille, in quo Chriſtus loquebatur, quicquam iureiurando affirmaſſet, & tamen aliquoties hoc fecit, ut cum dixit. Veritatem dico in Chri- *Rom.9.*
ſto, non mentior, atteſtante mihi ſimul conſcientia mea in ſpiritu *Phil.1.*
ſancto. & rurſum. teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo,
& alibi. ecce coram Deo, quòd non mentior. Sciendum ergo eſt, *Gal.1.*
iuramentum, quod adhibent homines, eſſe inter illa numerandum, quæ non quidem ſua natura bona ſint, ſed neceſſaria. nam ſi ſuo genere eſſet bonum, ab ipſo orbe condito fuiſſet uſurpatum, quod non reperimus, ſed potius uidetur irrepſiſſe inter homines poſtea quàm mala creuerunt, atq; ad ſimulacrorum cultum homines declinarunt. tunc enim pij ne infideles uiderentur, inuocabant Deum ueluti dignum adhibentes uadem eorum, quæ dicerent. Sed propius ad Euangelicum textum accedamus. *ne iuretis* (inquit) *omnino, neque per cœlum*. non dixit, *ne iuretis* per Deum, quia cùm proprium iuramenti ſit, Deum adhibere teſtem, cum dixit, *ne iuretis*, intelligitur, non eſſe iurandum per Deum. ſed quia exiſtimare aliqui potuiſſent, licere per quaſlibet creaturas iurare præter Deum, adiecit, *neque per cœlum*. nam particula illa, neque, perinde ualet, ac ſi dixiſſet, non ſolum per Deum, ſed ne per cœlum quidem eſſe iurandum. quamobrem? *quia ſedes* (inquit) *Dei eſt*. in ipſo (inquit) cœlo Diuina maieſtas elucet, cum illius ſit habitatio. nam ſiquis imperatoriam ueſtem uel ſedem uideat, illam uiolare non auderet ob ipſius imperatoris reuerentiam. *neque per terram* (inquit) *quia ſubſellium pedum eius eſt*. Diximus alibi, nos, cum corpore conſtemus atque anima, neque quicquam ſine ſenſuum miniſterio à nobis percipiatur, non poſſe res corpore carentes neque effari neque intelligere, niſi adhibeatur quidam dicendi modus, ut ueluti corpore ueſtita eſſe uideantur. & ob hanc cauſam gratæ ſunt in ſermone ſimilitudines, quia rem quaſi ante oculos ponunt. iccirco illis Dominus familiariſsimè utebatur. alioqui ſi de Deo, uti eſt, loqui uelimus, non inueniemus uerba exprimendę illius naturæ conſentanea. neque enim conueniunt ei uoces iſtæ, anima, ſenſus, phantaſia, opinio, ratio, intelligentia, intellectus, numerus, ordo, magnitudo, paruitas, æqualitas, ſimilitudo, ſtatus, motus, quies, potentia, lumen, uita, eſſentia, ęternitas, tempus, ſcientia. & ne illa quidem, quæ illi exiſtimamus propriiſsima, ut eſt ueritas, ſapien-

tia,

tia, unum, unitas, bonitas, Deitas, ſpiritus, paternitas, nec ratio filij. breuiter quę nihil eorum quę uel ſunt uel non ſunt. quare ij, qui de theologia acutius ſunt philoſophati, affirmarunt, tutius eſſe uti negationibus, cum de Deo loquimur, quàm affirmationibus. negationes enim illas non eſſe ſimplices negationes, ſed excellentiores quaſdam præ ſe poſitiones ferre. vt cum dicimus eum non habere rationem, uel non eſſe veritatem vel ſapientiam, ſignificamus illum habere quid excellentius illis. nam uoces iſtæ omnes, etiam quę abſolutæ à corporibus uidentur, aliquod in ſe mixturæ noſtræ habent, neque poſsibile eſt, eos, qui in corpore ſunt, ſine mediis corporeis prorſus aſſequi incorporea, ſemper enim noſtrum aliquid intercidit, quamuis mens quantum poteſt maximè ſeſe à viſibilibus auellens, in ſeipſam conuertatur, & ſecum eſſe ac cognatis ſibi copulari conetur, quod ſic perſpicere poteris. Appellationes Diuinæ naturæ ſunt, ſpiritus, ignis, lumen, charitas, ſapientia, iuſtitia, mens, ſermo, & huius generis alia. quid ergo? num ſpiritum intelliges ſine delatione atque impetu & effuſione? aut ignem ſine materia, & ſublatione ad ſuperiora, proprió que colore ac forma? aut lumen, quod aëri permixtum non ſit, atque dimiſſum à re, quæ uel generet, uel illuminet? mentem verò quam? niſi quę in alio ſit, & cuius ſint motus ac cogitationes, quę vel quietem agant, vel proferantur? ſic uerbum ſiue ſermonem, quem intelliges præter eum, qui vel quietem agat in nobis, vel proferatur, demúm que ſoluatur? item ſapientiam quam? niſi habitum qui in ſpeculationibus ſit uel Diuinis uel humanis? iuſtitiam ſimiliter & charitatem, an non affectus laudatos, & alterum iniuſtitiæ alterum odio contrarium, qui & intenduntur & remittuntur, accedúnt que ac recedunt, & qui nos variant vt colores corpora? ita laborat intellectus noſter, dum cupit corporea tranſilire & cum nudis incorporeis eſſe, neque tamen id aſſequi poteſt. Hęc autem dicta à nobis ſunt, ne, cum hic Dominus dixerit, cœlum eſſe thronum Dei, &

Eſa. 66. terram ſubſellium pedum eius, quod & apud Eſaiam à Deo dictum reperies, quis exiſtimet, Deum ea forma eſſe, atque ea mole, ut in cœlo quidem ſedeat, pedes verò vſque ad terram porrigantur, in magni cuiuſdam hominis figuram. neque enim defuerunt, qui Deum humana ſpecie conſtare crediderunt, qui etiam iccirco Grę co uocabulo anthropomorphitę fuerunt appellati. Scriptura ergo

de more ad noſtram ſe humilitatem demittit, & cum oſtendere uelit, Deum vbique eſſe, atque omnia implere, quemadmodum alibi dicitur, cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus, humanis *Ier. 13.*
quibuſdam vtitur dicendi modis, alioqui ueriſsimum eſt quod dicit Salomon, cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt: ita *Eccl. 16.*
enim eſt in omnibus, vt etiam ſit extra omnia ac ſuper omnia, neque eget loco vbi contineatur, éſt que quemadmodum & ante creata omnia erat, in ſeipſo videlicet, ſeipſo contentus ac ſibi ipſi ſufficiens. Cum itaque dicitur Deum implere cœlum ac terram, intelligendum eſt, eius virtutem ac maieſtatem vbique eſſe, ſicut alibi legitur. pleni ſunt cœli & terra maieſtate gloriæ tuæ. quo ibo (ait *Eſa. 6.*
pſaltes) à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in *Pſ. 138.*
cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades, ſi ſumpſero pennas diluculi, & habitauero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. ſic in cœlo eſſe & cœlum pro ſede habere dicitur, quia plus ibi elucet uirtutis illius, copioſiorém que & apertiorem ſui notitiam præbet. uidemus enim nunc (ait Paulus) per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *1. Co. 13*
Terra autem ſubſellium pedum eius appellatur, quia etſi non eam ſui agnoſcendi copiam nobis, qui in terra degimus, præbet, non tamen ipſam terram expertem ſui relinquit, ſed continua gubernatione nos curat ac protegit: neque enim parcam illorum prouidentiam admittimus, qui quaſi indignum Deo ſit, hæc humilia curare ſublunare hoc ſpatium Diuina prouidentia uacuum eſſe voluerunt. Videtur etiam appellata terra ſubſellium pedum Dei, quia inferior mundi locus eſt, quemadmodum & ſubſellium in ſede aliqua pars eſt humilior. Prohibemur ergo per cœlum ac terram iurare ob dictas cauſas. *ſed neque per Ieroſolimam* (inquit) *quoniam ciuitas eſt magni regis.* Dei videlicet. iccirco enim appellatur à prophetis ciuitas Dei. vt illud. glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. & magnus *Pſ. 86.*
Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto *Pſ. 47.*
eius. Cum autem eo tempore ex omnibus gentibus ſoli Iſraelitæ veri Dei cultum haberent, is que ab eis penè ſingulariter agnoſceretur, quo nomine etiam gloriabantur dicentes; notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius, Et factus eſt in Salem nomen *Pſal. 75.*
eius, & habitatio eius in Sion, Ieruſalem. n. metropolis erat ac ſedes regni) regnumq; illud regem præcipuè haberet Deum, meritò ſedes
magni

magni regis à Domino, vocatur, in qua cum tanta Dei maieſtas eluceat, ipſius Dei contemplatione iurari per illam non vult. *Neque per caput* (inquit) *tuum iurabis*. quare? *quia non potes pilum unum album aut nigrum facere*. quid hoc vult? vetat per hæc verba in uniuerſum per quamlibet rem creatam iurare. cum in ea quoque & maieſtas & poteſtas Dei appareat, vt demum ipſa iuratio ad Deum referatur, cuius & à quo ita ſint omnia, ut nemo uel capilli unius colorem mutare poſsit. quòd ſi dicat quis nõ ſe intelligere Deum in illa per creaturam iuratione, nihilo tamen minus peccat, cum Diuinam quandam dignitatem rei creatæ iurando tribuit, omnes enim per maiorem ſe iurant. Quod uerò ait, neminem poſſe *capillum unum album uel nigrum facere*, hoc omnino uerum eſt. nam etſi quidam arte aliqua canos tingere ſoleant, non tamen colorem illum natiuum immutant, ſed alio colore operiunt. Idem iurandi genus eſt, cum quis per dexteram ſuam uel alterius iurat, uel per ſalutem filiorum, & cætera eiuſmodi, quæ Euangelicis Domini legibus æquè prohibentur. Qua in re videamus, quantum noſtro æuo de via, quæ monſtrata nobis à Chriſto eſt, quàm etiam profitemur, deflexerint homines. ſi enim iurare quamuis ſanctè nobis interdicitur, quid de ijs dicemus, qui non ſolum tertio quoque verbo iurant, ſed nullis periurijs blaſphemijs que parcunt? quonam iſti loco ponendi ſunt, qui tanta contumelia afficiunt Deum, cum Chriſtus etiam ſanctè appellare non ſolum Deum, ſed ne creatas res quidem vllas iurando velit? Cupio equidem, vt quod in ſuperiore ſynodo toti clero ſum interminatus, me ſcilicet eos, qui frequenter iurant, caſtigaturum, ſi non æque, certe non multò minus quàm vel peierantes vel blaſphemantes, idem etiam in vos animaduertere, quod à ſanctisſimis olim patribus maximo Zelo eſt factum, ſed hanc legem in reliquum populum nolui promulgare propterea, quòd nondum cerno vos huic accipiendæ correctioni idoneos. non deſpero tamen, fore, neque ita multò poſt, vt hunc etiam errorem corrigatis. nam audio, blaſphemias, quę tam frequẽtes antea erant, ferè ſublatas, & confido, vosmet, ſi qui reliqui ſunt, Diuina æmulatione inflammatos, ita illos compreſſuros, vt breui tantæ peſtis reliquiæ radicitus ſint euellendę, quod vt pręſtetis, vos omnes ſummopere precor ac quęſo. Interea etiam de iuramento cogitate, quàm temerarium ſit, hominem, qui puluis ac cinis eſt, Deum

Deum appellare teſtem, id que de rebus leuiſſimis. quid enim accidere poteſt graue, cur ſit iurandum? nón ne iuramenta veſtra ferè omnia pecuniæ cauſa fiunt eiús que perexiguę? at, quę pecuniarum atque opum ſumma, ſi etiam totius orbis pretio æſtimaretur, tanti eſſe debet, vt propterea Diuinam illam maieſtatem (horreſco enim ſola cogitatione) adhibere teſtem audeamus? quis veſtrum non dico in ijs rebus, pro quibus Deum opt. max. appellare non ueremini, ſed in multò maioribus tam facile Paulum tert. pont. max. accerſere teſtem auderet? Deum verò, cui maximæ quæque poteſtates comparatæ minus quàm nihil ſunt nullo negocio, nulla cum reuerentia, nulla habita ratione, tam familiariter, atque adeo tam impudenter appellatis? expergiſcimini obſecro vel nunc cum tantum ſcelus intelligitis, atque hodie quicunque hic adeſtis, ſtatuite intra uos, prorſus à iuramento abſtinere. hoc vos ſi præſtetis, reliqua ciuitas continuò inſtitutum veſtrum ſequetur. nam hic illud accidet, quod in blaſphemia vſu iam euenit, vt nunc demum cum blaſphemari deſinitur, intelligatur, quanto ſcelere ſe homines hactenus obſtrinxiſſent, neque id unquam animaduertiſſent. ſic in iuramento cum illud reueriti, ab eo abſtinueritis, tum demum intelligetis, quanto in errore verſati hactenus fueritis. vix enim, aut nunquam potius fit, vt frequens iuratio non ſecum peccatum afferat. quod intelligebat vir quidam ſapiens cum diceret. vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga. & alibi acrius etiam. loquela (inquit) multum iurans horreſcere pilos capitis facit, & irreuerentia illius obturatio aurium. Vult vir ſapientisſimus homines ad frequens iuramentum exhorreſcere, & nō minus ad illud continere & obturare aureis, quàm ſolebant homines audita blaſphemia. præterquam enim quòd iuratio eiusmodi temeraria, etiam ſi verè iuretur, ipſa per ſe reprehenſione digna eſt, cum Dei nomen tam exigua cum reuerentia uſurpatur, illud multò deterius accedit, quòd ex ipſa iurandi conſuetudine homines in periurium imprudentes delabuntur, dum in ijs, quæ vel affirmant vel negant, nullum ad ea cogitanda ſtudium adhibent, neque ſi non ob Dei timorem, ſaltem ob famam illud apud ſe reputant, fore, vt ſi forte aliqua ob iurandi imprudentiam peierauerint, infames ſint efficiendi, & digni quibus nihil in poſterum credatur. nam rectè quidam ethnicus dixit. Qui ſemel peierauerit, ei credi poſtea, etiam

Eccl. 23.

Eccl. 27.

ſi per plures Deos iuret, non oportet. quòd ſi iuramentum tantopere cauendum eſt, quantò magis periurium? in quod tamen vereor multos facilè incidere ex eo, quod à me ſuperioribus menſibus fuit quæſitum. rogauit enim me quidam ís que ſacerdos, num liceret defendendi alicuius gratia peierare. quæ interrogatio ſuſpicionē mihi fecit, multos ſine ullo Diuini iudicij metu in hoc ſæpe peccare, quòd ſanè indicium eſt hominum, qui omnem cœleſtis numinis cogitationem prorſus abiecerint, & ipſis ethnicis longè euaſerint ſceleratiores. Sunt alij prętereà, qui non contenti iuramento, adijciunt diras quaſdam, horrendas que aduerſus ſeipſos imprecationes, vt mirer eoſdem ipſos non expaueſcere, qui ea proferunt. ſi non ita eſt (inquiunt) ignis è cœlo me comburat, ſuffocer aquis, hac ipſa hora fulmine cœleſti feriar, & ſanè ethnici, & ij, qui ſine Deo erant, prudentius ſe gerebant, atque aduerſum ſeſe erant mitiores. aiebant enim: ita me Dij bene ament. at noſtri, quantis poſſunt maximis imprecationibus onerare ſe non verentur. Alio item modo peccatur à multis in hac parte cum iuſiurandum requiritur ab alio, neque ſine eo credere cuiquam volunt. at dices, niſi iuſiurandum adhibeatur, fraudabunt. cui nihil aptius occurrit quod reſpondeam, quàm quod ethnicus quidam dixit. qui ſemel à veritate deflexit, is non maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci conſueuit. deinde illud cogita. ſi is, à quo iuramentum exigis, vir bonus eſt, non eſt neceſſarium iuramentum. nam ab interioris hominis puritate non eſt timenda circumuentio. ſin malus eſt, quemadmodum iniuria afficere proximum quenque non metuit, ne periurium quidem formidabit. multò verò ſceleratius fit, cum ſcis illum peieraturum, & tamen ab eo exigis iuramentum. hoc enim eſt manifeſtè ac data opera perdere animam fratris, pro quo Chriſtus mortuus eſt. quare concludendum eſt, neminem iuſtam habere cauſam, cur ab altero exigat iuſiurandum. ſed videamus quid, prohibito quouis iurandi modo, iubeat Dominus. *Erit* (inquit) *ſermo ueſter, eſt, eſt, non, non.* hoc eſt, ſiue affirmetur quid, ſiue negetur, ſimplex ſit & affirmatio & negatio. & hoc nimirum cum verum dicendum eſt. nam mendacium non ſolum cum iuramento, verum etiam in ſimplici verborum prolatione prohibetur, vt res à Diabolo profecta, qui, quemadmodum ait Dominus, cum loquitur mendacium, de proprijs loquitur,

Ioan.8.

tur, quia mendax eſt, & mendacij pater: cùm verò Deus veritas ſit, quoties profertur mendacium, quod veritati contrarium eſt, quamuis cum iuramento non ſit coniunctum, veritati tamen, hoc eſt, ipſi Deo aduerſatur, éſt que illi inimicum. quod quanti eſt faciendum? quantúm que eſt ſuſcipere aduerſus Deum inimicitias? quòd ſi ſimplex ſine iuramento mendacium tam eſt deteſtanda res, quantum eſt, cum iuramentum præterea adhibetur? Hanc eandem doctrinam proſecutus eſt beatus Iacobus dicens. Ante omnia *Iac. 5.*
autem fratres mei nolite iurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuſiurandum. ſit autem veſtrum, eſt, eſt, non, non, vt ne in ſimulationem incidatis. dum .ſ. quis per iuramentum creditur verax, & fit interdum ut mentiatur. in ſimulationem enim tunc incidit, quando bonitatem ſimulat, cũ malus ſit. ſequitur, quod vltra hoc eſt, à malo eſt, nempe ab infidelitate tum iurantis, tum eius, cui iuratur. nam qui iurat, non bene ſentit de eo, cui iurat, cum eum opinetur nolle ſibi facile credere, & qui iuſiurandum exigit, diffidit de iuraturo. Audiſtis Seruatoris Chriſti ſententiam, quo pacto nos omnino iurare prohibeat non ſolum per Diuinum numen, verum etiam per quamlibet creatam rem. quòd ſi hactenus Euangelici fortaſſe præcepti ignoratione peccatum eſt à vobis hac in re, nulla erit vobis poſthac excuſatio, ſi in idem vitium relabamini. pudeat tandem aliquando illius moris, qui tam frequens apud vos eſt, præſertim mercatores, vt ad ſingula penè verba non vnum iuramentum adhibeatis, & ea ipſa multis execrationibus atque imprecationibus permiſceatis. vt quid demum? nempe vt lucelli aliquid comparetis, neque cogitatis quid in Euangelio dicat Dominus. quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum *Mat. 16.*
lucretur, animę verò ſuæ detrimentum patiatur? ſi vniuerſi mun- *Mar. 8.*
di lucrum pro nihilo reputandum eſt, vbi ſalutis animę periculum impendet, cur ob exiguos obolos tam ingenti vos periculo exponitis? ſi ocioſorum uerborum in tremendo illo iudicio ratio eſt reddenda, quantò ſeueriori examinatione temeraria tot iuramenta, ne dicam periuria, quæ frequentiſsimè intermiſcentur, erunt pertractanda? Pertimeſcite Diuinum illud iudicium, & ante oculos frequenter ponite, ſic enim fiet, vt diſponatis, quemadmodum ait propheta, ſermones veſtros cum iudicio, & in illum diem ſitis pa- *Pſ. 111.*
ratiores, quem vtinam intrepidi omnes intueri poſsimus. iuuante

Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt gloria & imperium & nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO XLI.

AVDITIS *quòd dictum fuerit, oculum pro oculo & dentem pro dente.* Videte quàm ingens malum ſit, ſemel de via deflexiſſe, & in vitioſo habitu occalluiſſe. qui enim eiuſmodi ſunt, cum ad rectum iter ſunt reuocandi, non ſunt eis confeſtim omnia proponenda, quæ ad integram viuendi rationem pertinent, ſed plurima tandiu vtendum indulgentia, dum maioribus perfectioribúſque ſtudijs aſſueſcere idonei ſint. Ea verò ętate, qua Deus per Moſen legem dedit Iſraëlitis, ingens erat Dei ignoratio. nam etſi populus ille à fidelibus viris oriundus, Abraham videlicet Iſaac, & Iacob, unius ac veri Dei famam audiuiſſet, quia tamen verſabatur inter ethnicos, magnum agnitionis illius partem amiſiſſe uidebatur. quod niſi ita eſſet, non dixiſſet Moſes, cum recuſaret prouinciam educendi po-
Exo.3. puli ex Aegypto. ecce ego vadam ad filios Iſraël, & dicam eis, Deus patrum ueſtrorum miſit me ad uos. ſi dixerint mihi, quod eſt nomen eius? quid dicam eis? perinde quaſi nihil differret ab alijs Dijs, quorum ſingulis erant aſsignata ſua nomina, perinde verebatur Moſes eos interrogaturos de patrum ſuorum Deo. at cum Dei ignoratione mala continuò omnia ingrediuntur ad homines.
Rom.1. quod oſtendit Paulus cum dixit. & quemadmodum non probauerunt ut Deum agnoſcerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent quę non conueniunt, repleti omni iniuſtitia, ſcertatione, verſutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contentione, dolo, malis prędìti moribus, ſuſurrones, obtrectatores, Dei oſores, contumelioſi, elati, glorioſi, excogitatores malorum, parentibus immorigeri, expertes intelligentię, pactorum minimè tenaces, alieni à charitatis affectu, neſcij fœderis, immiſericordes. Cernis examen ingens malorum introductum ex neglecta Dei notitia? ſic e-
1.Theſ.4 tiam ad Theſſalonicenſes ſcribens, dum reuocat eos à ſceleratè factis, admonet, ne ſint ſicut gentes, quæ non nouerunt Deum, cu-

ius nimirum ignoratio efficit, vt homines moribus ac vita nihil interdum à beluis differant, atque adeo illis ſint deteriores, dum ratione, qua à cæteris animantibus diſtant, abutuntur, neque ad certum rectúm que dirigere illam ſcopum ſciunt. & niſi quòd Deus, qua eſt benignitate, voluit, vt quouis tempore inſita mentibus hominum eſſent quædam quaſi ſemina virtutis, & veluti ſcintillæ lucis ac veritatis, ſuperaſſent homines omnem omnium ferarum immanitatem. quæ tamen ſemina in ijs ferè duntaxat ſuperfuerant, qui aliquam Diuinitatis, ac cœleſtis numinis opinionem fuerant aſſecuti. Rebus itaque tam prolapſis, non poterat ea reſpublica inſtitui, qualis poſtea à Chriſto fuit inſtituta, quæ ſcilicet cœleſtis vitę eſſet quædam repræſentatio. quod quidem etiam tum optabatur, atque ideo dictum Moſi. vide vt facias omnia ſecundum exemplar, *Eox. 25.*
quod demonſtratum tibi fuit in monte. ſed quia non erant homines id aſſecuturi, interea figuris quibuſdam adumbrata fuerunt, quę poſtea per aduentum Chriſti fuerant explicanda. Inſtituta ergo tunc fuit terrena quædam ac ciuilis reſpublica, vt ſcilicet ſatis eſſe videretur, ſi arcerentur externa malefacta, ne ciues mutuo ſe læderent. quòd ſi offenſio aliqua incidiſſet, plecterentur quicunqne alterum offendiſſent, & ea ultione ſatis læſo factum eſſe videretur. quare in lege Moſis mandatum eſt, vt redderetur anima pro anima, *Exo. 24.*
oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede, *Leui. 24.*
aduſtio pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuor pro liuore. quæ verba quanquam Hebræi ferè interpretentur non eſſe ad literam intelligenda, ſed fieri debere compenſationem per bona externa, vt qui ſic hominem læſiſſet, teneretur ad quinque, vt ſcilicet compenſaret damnum, vt ſi amputaſſet manum aut pedem, item operas, quas interea dum decubuit, amiſit, dolorem quoque & medicinam, & dedecus, vt ſi in loco patenti, puta in facie eſſet lęſus, quamuis inquam Hebręi ſic ferè exponant, nihil tamen eſſet mirandum, ſi etiam ad literam id fuiſſet ſeruatum, cum eſſent dura ceruice & efferis moribus. at ſeueriores hos mores Euangelium ſuſtulit. cum enim filij Zebedæi vlciſci cuperent iniuriam, quòd Samaritani non recepiſſent Dominum, & dicerent, Domine uis dicamus, vt ignis *4. Re. 1.*
deſcendat è cœlo & conſumat illos, quemadmodum & Elias fecit? *Luc. 9.*
conuerſus Ieſus increpauit eos dicens, neſcitis cuius ſpiritus eſtis vos. filius enim hominis non venit ad perdendum animas hominum,

num, ſed ad ſeruandum. Eodem itaque pacto etiam hic iubet vt mitiores animos induamus, & ait, *at ego dico uobis, ne reſiſtatis malo*. reſiſtere malo eſt velle malum pro malo reddere, à qua re ij etiam, qui ſub lege fuerunt & tamen ſpiritum Chriſti aliqua ex par
Pſal.7. te repræſentarunt, abſtinuere. vide enim quid dicat Dauid. ſi reddidi retribuentibus mihi mala, qui etiam eripui aduerſantem mihi ſine cauſa. tantum abeſt (inquit) ut malum pro malo vnquam reddiderim, vt etiam eum qui mihi mortem moliebatur, ſeruauerim, ac illius vitę pepercerim, quantumlibet mihi aduerſaretur ſine cau
1. Reg. 26. ſa. cum enim Abiſai perſodere illum vellet dormientem, prohibuit Dauid. & cum rurſus Saul in ſpeluncam ingreſſus eſſet, vt purgaret
1. Re.24. ventrem, in qua Dauid cum reliquis ſocijs ignorante rege deliteſcebat, actum de illius uita erat, niſi Dauid ei pepercisset. quantò ergo à nobis id magis accuratè eſt præſtandum, quando ij, qui hanc philoſophiam fuerant duntaxat odorati, tam egregiè præſtiterunt? Hanc uiam generosè ingreſsi ſunt apoſtoli, & qui eis ſucceſſere, qui cæſi gaudebant, male audientes benedicebant, conuicijs affecti obſecrabant. vbi verò diſsidij aliquid aut querelarum oriebatur inter
1. Cor.6. fideles, non ferebat Paulus, ſed aiebat. iam quidem omnino delictum in vobis eſt, quòd lites habetis inter uos inuicem. cur non potius iniuriam patimini? cur non potius damnum accipitis? Et ſanè ſola eius, qui aduerſetur nobis, contemplatione poſſemus hunc errorem corrigere. cur enim irritaris ad proximo tuo aduerſandum? quia (inquit) iniquus mihi eſt. at cum ei reſiſtis, cupiſque retaliare, illum imitaris, & quod in altero damnas, ipſe in illud incidis: non pudet Chriſtianum id non aduertere, quod ethnici intellexerunt? nam quidam eorum dixit. ridiculum eſt nocentis odio perdere innocentiam. non cernis te tuo ipſius iudicio condemnari, dũ eadem facis, quæ in altero reprehendis? Quá in re facile intelligere licet, quantopere illi ſint deteſtandi, qui hac ætate, neſcio quas retaliandi leges excogitauerunt, ut pro iniuria uerbo illata alapa reddatur, pro alapa vulnus, cętera que in hunc modum, vt ſcilicet aliquid ſemper acceptę iniuriæ adiungatur. & ij tamen à Chriſto acceptum cognomen circunferre audent, qui ne digni quidem ſunt, qui inter honeſtiores ethnicos numerentur. nam quidam eorum dixit. minus eſſe malũ exiſtimandum perpeti grauiſsimas iniurias, quàm inferre. Illud præterea cogita. non ne tibi in animo eſt, atque id

unum

unum quęris, vt uincas aduerſarium? id ipſum proculdubio. at nunquam quenquam rectè diceris uiciſſe, cum par pari refers, ut conuicium pro conuicio, aut plus etiam reddis, ut pro conuicio vulnus. hoc enim uincere non eſt, ſed uinci à malo. ſed tunc ſolum victor euadis, cum uirtute ſuperas, & bonitate malum uincis, quemadmodum admonebat Paulus. *Rom.* 12. Quouſque uerò non agnoſcemus hominis uictoriam multum diſtare ab illa beluarum? quæ tum demum ſuperant, cum cornibus, unguibus, calcibus ſe tuentur. at propria hominis arma non eius ſunt generis, qui, cum ratione prę-ditus ſit, qua ſola à cæteris animantibus diſtat, & quæ hominem conſtituit, niſi ea ad uincendum vtatur, & ſecundum prefixas ab illa leges ſeſe gerat, non homo ſed brutum animal potitur uictoria. cum uerò iuſtitia & bonitate ſuperare contendis, ea ſola hominis uictoria eſt. nam egregiè quidam dixit, ultionem inimici eſſe honeſtam uitam. nam iuſtum ſanè eſt, hominum arma longè à brutorum armis ſuo genere eſſe diuerſa, quando etiam homines, qui naturam dignitatém que ſuam agnoſcere uolunt, decet diuerſis à brutis affectibus vitam ſuam moderari. Præterea non uerè dixeris quempiam aduerſarium ſuum ſuperauiſſe, cum eum uel vita vel bonis ſpoliauerit, niſi etiam illius animum ſubegerit, ſibí q; effecerit obedientem. neq; aliter reges propriè ſubegiſſe prouincias ac regna dicuntur, niſi cum populorum beneuolentiam ſibi conciliauerint. quare ſi vincere inimicum rectè uis, effice tua dexteritate ac probis atque homine dignis moribus ac factis, vt vel inuitus cogatur tibi affici. atque illud eſt, quod & Salomon & Paulus *Pro.* 25. admonebant, cum dicerent. ſi eſurit inimicus tuus, ciba il- *Rom.* 12. lum. ſi ſitit, potum da illi. hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius, hoc eſt, uretur tua beneficentia, cogetúr que fateri ſe fuiſſe ſuperatum. Quantum verò abeſſe nos ab eo velit Dominus vt reſiſtamus malo, videte quid loquatur. *ſed quisquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram, & ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium, & qui te adegerit ad millarium unum, abito cum illo duo.* Quàm pulchra eſſet Chriſtiani orbis facies, ſi Diuina hæc Seruatoris Chriſti præcepta, ſeruarentur, nihilo eſſet inferior hæc, quæ in terris ageretur reſpublica, illa ipſa quæ in cœlo agitur, atque adeo videretur illam ab iſta in hac parte ſupe-

te ſuperari, quòd eiusmodi exempla ibi fieri non contingit, niſi quòd eadem in illis præceſſerunt, & nihil illis reſtat aliud, niſi vt eiusmodi rectè factorum præmium referant. Hæc verò nobis eò ſtudioſius eſſent ſeruanda, quòd noſtrę philoſophiæ propria ſunt. vbi enim aut apud quas ſectas iſta inuenies, vt maxilla obuerti iubeatur cædere volenti, & ei, qui auferre aliquid à nobis conetur, plus etiam dare quàm petat, & contumelijs affecti bene precentur, dént que operam, vt ij, qui iniuria eos afficiunt, euadant meliores? Apud ethnicos pro magno exemplo fertur, neſcio quem philoſophum percuſſum ab alio non repercuſsiſſe quidem, ſed fronti duntaxat nomen percuſſoris inſcripſiſſe. at hoc genus fuit ultionis acerbiſsimum, & tamen pro re laudata & celebranda propoſitum fuit. Sed proprius accedamus ad verba Euangelica, & videamus cur Dominus non dixerit abſolutè, *ſi quis percuſſerit te in una maxilla*, *ſed* adiecerit, *in dextra*, prǽſertim cum plurimum accidat, vt qui in maxilla percutere alterum velit, ſua dextera illius ſiniſtram maxillam ferire conſueuerit. idem ergo & hic intelligendum eſt, quod ſuperius eſt dictum, cum dixit Dominus, ſi oculus dexter & dextera manus óffendiculo ſunt, eruendum oculum & abſcindendam eſſe manum, vt ſcilicet accipiamus per dexteræ maxillæ percusſionem, ſelectam aliquam inſignem que offenſionem. Cernitis quàm longè ab vltione abeſſe oporteat Chriſtianum hominem? qui iubetur, vt non ſolũ nõ repercutiat, verum etiam paret ſe ad alteram percusſionem perpetiendam. hoc enim eſt obuertere & alteram, illa videlicet animi præparatio ad alteram iniuriam ſubeundam. idem quoque de litibus eſt cogitandum. iccirco adiecit. *ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium*. qua in re quæ ſpes eſt, fore, vt homines Euangelici euadamus, & auferre conanti aliquid, aliud prǽterea addamus, dum tam contraria ingredimur via, & non ſolum decedere de iure noſtro tranſuerſum digitũ volumus, ſed plerunque in ius alienum, nulla habita Chriſtianę profesſionis ratione inuadimus. Cogitate verò, quanta eſſet in quotidiana etiam vita hominum felicitas, ſi hanc Domini doctrinã vellemus imitari. quid enim in primis moleſtam vobis vitam facit? nimirum veſtræ lites, veſtrã que disſidia. at hæc continuò, ſi, quod prǽcipitur hoc loco, ſeruaretur. ſublata eſſent. etenim qui fieri poſſet, vt de auferenda re aliena, aut etiam de noſtra repetenda

tam

tam furioſè, vt nunc ſit, digladiaremur, cum parati eſſemus plus
aduerſario dare quàm ipſe poſtularet? Hoc autem ſi fieret, non ſo-
lum nulla eſſet facultatum iactura, ſed maxima etiam lucri acceſsio.
ſi enim quæ nunc in lites non ſolum ſine fructu verum etiam cum
facultatum iactura inſumitis, ea, quemadmodum vos Euangelium
docet, impenderetis, primum haberetis ingentem in cœlo paratam
viciſsitudinem, deinde vitam hanc degeretis iucundiſsimè, quod
contra nunc fit, cum & pecuniam prorſus perditis, & vitam morte
agitis deteriorem. Sequeretur præterea vt illi ipſi, qui lędendo pro
ximo cuique nunc maximè inuigilant, his exemplis prouocati, mox
à peſsimis illis perditiſsimíſque conſilijs auocarentur. ſi enim leo-
num ferociſsimarúmque beſtiarum naturæ beneficijs molliuntur,
non euadent ſæuiſsimi quique homines tam pulchris exemplis hu-
mani, à quibus humanitas nomen accepit? vbi verò ij, qui uexare
alios conſueuerunt, nouos induerent mores, quid reliquum iam
eſſet, niſi vt pacatiſsimi omnes ſine vllis moleſtijs, ac feliciſsimi vi-
uerent? Quàm uerò exactè hanc partem impleri uelit Dominus, li-
quet etiam ex eo quod ſequitur. nam addit. *& qui te adegerit ad
milliarium unum, abito cum illo duo.* non ſolum (inquit) iubeo, ut
res tuas tibi auferri ęquo animo ſinas, uerum etiam ut tu ipſe uim
tibi afferri ita patiaris, téque ipſum, non facultates ſolum, per uim
adigi, ut duplum præſtes eius rei, quam à te quadam tyrannide ad
uerſarius tuus exigere conatur. Miſerrimam profectò ætatem no-
ſtram, & Ieremiæ threnis aſsiduè deflendam, in qua Chriſtianorũ
dogmatum nulla prorſus apparent ueſtigia. quantum enim ab hac
pietate diſtamus, atque ab hac Diuina doctrina? & tamen hæc Chri
ſtiani hominis inſignia ſunt, quæ ſi deſint, agnoſci facile non po-
teſt. hęc ſtigmata ſunt, quę Paulus circunferebat, cum diceret. ego *Gala. 6.*
enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. his inſignitos
eſſe oportet eos, qui ſe Ieſu Chriſti ſeruos profiteri cupiunt. alio-
qui à Chriſto accepto cognomine ſunt indigni, erúntque ex eorum
numero, quibus ipſe dicturus eſt. neſcio uos unde ſitis, diſcedite *Luc. 13.*
à me operarij iniquitatis. Sed pergamus reliqua Domini uerba.
petenti abs te dato, & cupientem mutuum accipere ne auerſeris. Si cre
deremus ueritati, ipſi uidelicet Chriſto, arbitraremur rem eſſe bea
tam dare unicuique petenti. nam ipſe dixit, beatius eſſe dare quàm *Act. 20.*
accipere. qui enim dat, ſignificationem præbet, ſe non ſolum non

egere, uerum etiam abundare. quod ſanè felicitatis eſt. qui uerò in ſumma copia exiſtimant curtę neſcio quid rei ſemper abeſſe, quorum numerus ſatis multus eſt, ij profectò egere ſe profitentur. at uerò quę infelicitas hæc eſt, hominem locupletem continua laborare egeſtate? nam rectè quidam externus dixit. inſtructa inopia eſt in diuitijs cupiditas. egregiè ſanè dictum. nam ubi quis in ſumma rerum copia adhuc cupit, nihil aliud eſt, quàm inopia quædam miſerabilis, tantum à reliquis pauperibus diſtans, quòd illis quidem deſunt opes, at horum paupertas inſtructa opibus eſt, quę tamen oneri ac moleſtię duntaxat illis ſunt, nulli uerò utilitati, dum frui paratis non audent, & eorum continua ſolicitudine laborant. non cogitant iſti, hoc dandi munus quandam eſſe ipſius Dei auctoris o-

Iac.1. mnium imitationem; qui, quemadmodum ait beatus Iacobus, dat

Pſ.103. omnibus affluenter. & pſaltes. omnia à te expectant, & tu das illis eſcam in tempore. & rurſus. aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. tam honorificam imitationem quis aſpernetur, niſi qui animum abiecerit in has humiles cogitationes, & de hac exigua uitæ ſcena tantum cogitet, neque unquam ad æternitatis recordationem attollatur? Quod uerò addit, ***uolentem mutuum accipere ne auerſeris,*** uidetur eorum taxare mores, qui uſuras exercebant, neque mutuo quicquam dare, niſi lucri alicuius expectatione patiebantur. hoc autem apertius declaratur apud Lucam,

Luc.6. ubi ſic ait Dominus. mutuum date, nihil inde ſperantes, & erit merces ueſtra multa, & eritis filij altiſsimi, quia ipſe benignus eſt erga ingratos ac malos. Cernitis uerum eſſe quod dudum dicebamus, hanc eſſe uidelicet ſummi Dei imitationem? duo autem hic coniungit, & utilitatem & gloriam. etenim merces non in futura tantum uita, uerum in præſenti etiam multò maior eſt, quàm ullum aliud ex quacunque re lucrum. quę enim facultates Euangeli-

Mar.10. cum cētuplum, quod in pręſenti promittitur, æquare idoneæ ſunt?

Luc.6. gloria præterea quanta eſt, filios altiſsimi appellari? quis veſtrum, ſi ſpes eſſet, vt hac uia regis filius euaderet, non libens omnia aſſequeretur atque æquiſsimo animo perferret, ac ſumma etiam cum volnptate, quæcunque hic Dominus pręcipit? vt verò filij Dei euadamus, nihil enitimur, nihil conamur, quod vnum tamen eſſe nobis deberet cordi. nam fieri temporarij regis filium, momentanea res eſt, ac ſcenæ ſimilis, at filium Dei euadere, ęternam ſecum feli

citatem

licitatem affert. Sed hic torpor atque hęc ſocordia ex eo proficiſcitur, quòd deficit fides. videntúr que mihi ea adeſſe tempora, de quibus Dominus dixit. cum venerit filius hominis putas inueniet fidem ſuper terram? ita profectò eſt. nam fidem ſola appellatione tenemus, verã autem illam atque efficacem penitus ignoramus. Incipiamus obſecro animum aduertere ad hęc Euangelica documenta, exuamus aliquando hoſce efferos animos, & Chriſtianum pectus induamus, recordemur cuius ſpiritus ſimus, amplectamur erga aduerſantes tolerantiam, beneficentiam nunquam deſeramus, ſi etiam ij, quibus benignè eſt faciendum, indigni ſint. meminerimus quod dictum eſt. Deum benignum eſſe erga ingratos & malos. cogitemus neminem poſſe aduerſus nos eſſe tam ingratum, quàm nos erga ipſum Deum ſumus, cuius vt aſſequi miſericordiã poſsimus, conſentaneum eſt, vt & nos ſimus in proximum quenq; miſericordes. vt illius beatitudinis ſimus participes, quam Dominus pollicitus fuit, cum dixit. beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. quod vtinam nobis omnibus aſſequi præſtet idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

Luc. 18. *Mat. 5.* *Luc. 6.* *Matt. 5.*

ORATIO XLII.

AVDISTIS, *quòd dictum ſit, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Dictum & alibi à nobis eſt, citare Dominum ſcripturarum loca eo pacto, quo Scribę & Phariſæi interpretabantur. nam de odio habendo inimico nullus eſt euidens ſcripturæ locus, ſed contra potius colligi poteſt, veterem legem voluiſſe, vt amaretur inimicus. nam in Exodo præcipitur in hæc verba. ſi occurreris boui inimici tui aut aſino erranti, reduc ad eum. ſi videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. Quo igitur pacto adducti illi fuerunt, vt ſic interpretarentur? hanc opinor ob cauſam. legebant ſcriptum, diliges proximum tuũ ſicut teipſum. dictio autem Hebræa, quę eo loco poſita eſt, videtur in quæſtionem apud eos veniſſe, quis proximi nomine intelligere-

Exo. 23. *Leui. 19.* *Mat. 22.*

tur, quod facile agnoſci poteſt ex Euangelio, cum quidam legis pe
Luc. 10. ritus interrogauit Dominum, quis eſſet ſuus proximus. ex qua in
terrogatione & Domini præterea reſponſo colligitur, fuiſſe maximā
eorum partem, qui exiſtimarent appellatione proximi ſuam tan-
tum, hoc eſt, Hebræorum gentem debere comprehendi. cęteros au
tem ne dignos quidem exiſtimabant, qui in gratiam Dei recipe-
rentur, niſi Hebræorum ſacris eſſent initiati. quod apertè claruit,
Act. 10. cum prædicantibus apoſtolis recipiendarum gentium fiebat ab illis
mentio. mox enim excandeſcebant Iudæi, nec ferre hanc vocem po
terant. quin & illi ipſi qui iam crediderant, cum cernerent idem do
num datum gentibus quod apoſtolis, illapſo in ipſos ethnicos, qui
crediderant, ſpiritu ſancto, quemadmodum & in apoſtolos initio.
Act. 11. obticuerunt (inquit) & glorificauerunt Deum dicentes. igitur &
gentibus Deus pœnitentiam conceſſit, & paulò ſuperius cum lo-
Act. 10. quente Petro in domo Cornelij, cecidit ſpiritus ſanctus ſuper om-
nes, qui audiebant ſermonem, & obſtupuerunt ij, qui ex circunci
ſorum genere credebant, quotquot venerant cum Petro, quòd & in
gentes donum ſpiritus ſancti effuſum eſſet. quaſi noua res ac penè
incredibilis accidiſſet. quam erroris opinionem refellens Paulus aie
Rom. 3. bat. num Iudęorum tantum Deus? nón ne & gentium? certè &
gentium. in eodem ferè errore verſantur ij, qui inter vos (nam au
dio interdum multos ueſtrum hoc vitio laborare) minus ęquo ani-
mo cernere eos, qui huius ciuitatis indigenæ non ſunt. hoſpes (in-
quit) eſt, perinde quaſi non ſit & ipſe frater veſter, quemadmodū
& reliqui huius ciuitatis oriundi. Illi ergo qui legis interpretandæ
officio fungebantur, lectis illis uerbis, diliges proximum tuum,
proximum eum ſunt interpretati, qui bene illis vellet, quo malè po
ſito peius collegerunt, odio ſcilicet habendum eſſe inimicum.
quòd ſi huius interpretationis cauſam quæras, nullam inuenies
aliam, quàm deprauatæ mentis conſuetudinem. etenim quid ne-
ceſſe eſt, ſi etiam dictum eſſet amicum eſſe diligendum, conclude-
re, odio eſſe proſequendum inimicum? cum enim dicitur aman-
dum eſſe proximum, admoneris, vt vnanimiter uerſeris cum eo,
ne lites & contentiones inter uos ſint. quid verò attinuit addere
odium inimici? non legiſti omnes homines vnum eſſe genus, quam
uis in diuerſas orbis partes diſperſi ſint? cur ergo arbitraris cæteros
omnes præter Abrahę genus eſſe habendos odio? quid odium tibi
ad ui-

ad uitam quietè ac feliciter, adde & vtiliter agendam prodeſt? nónne plus lucri facias, ſi cum omni hominum genere coniungaris charitate, quàm ſi intra unius gentis anguſtias contineare? num odiũ fortaſſe res eſt, quæ hominem delectet, & iucundiorem illi vitam paret? at contrarium experimur, venenum eſſe uidelicet animi, & in quem inſederit, non ſinere ut ulla vnquam fruatur tranquillitate. Cernis vt ad inquirendam rerum ueritatem purgato in primis opus ſit animo? qui ſiquid impuri in ſe habeat, ea etiam vitiat, à quibus ſui emundandi quęrere auxilium oportuerat? ob hanc cauſam heretici ob corruptam mentem, cum deberent à ſcripturis dogmatum ueritatem diſcere, in maximos errores & ſe & ſectatores ſuos præcipitant. nec minus ij, qui legum peritiam profitentur, cum expedire alios promittunt, ipſi in multos ſe laqueos imprudentes interdum induunt, dum ad ſuam voluntatem leges detorquent, & perturbatos affectus ſequuntur. quos ſi Euangelicis documentis perpurgatos tenerent, &, quemadmodum ſæpe illos admonui, in ſacrarum ſcripturarum familiaritatem venirent, exiguo negocio rerum ueritatem aſſequerentur, ſibí que atque alijs eſſent vtilitati, quod nunc contra accidit, ut & ſeipſos perdant, & hominum generi maximum afferant detrimentum. Et hęc quidem aduerſus ſcribas & Diuinæ legis interpretes ſint dicta qui ob prauos animi affectus, putauerunt addendum eſſe, & odio habebis inimicum tuum. nunc quid veritatis magiſter doceat audiamus. *Ego autem dico uobis*. quanta eſſet cum attentione tantus magiſter audiendus, & tamen quàm frigidè hac ætate auditur? ego veni (inquit) nomine patris mei, nec recipitis me, ſi alius venerit nomine ſuo illum recipietis. ita profectò nunc fit. ſi circumforaneus quiſpiam ludicra aliqua recens excogitata in forum produceret, nemo eſſet in hac ciuitate, qui huic ſpectaculo ſummopere non optaret intereſſe, quod tamen præter vanitatem nihil præterea in ſe quicquam haberet. accurrerent autem non expectato ſigno aliquo, quo accerſerentur, nec recuſarent aliquot horas ſtantes expectare, & ęſtum ſolis ac pluuiam pati, modo illius quamuis vani ſpectaculi aſpectu fruerentur. accerſitur ciuitas campano ære ad audienda ex hoc loco cœleſtia filij Dei oracula, tot antea ſeculis à multis regibus & prophetis expectata, quæ ſi ſeruentur, ſalutem eám que perpetuam ſint paratura. certa hora præfigitur, nequis cogatur diutius ocioſè expectare *Ioan. 5.*

expectare. ſub tecto commodè ſedere licet, & tamen maximam ciuitatis partem abeſſe cerno, neque tam me conſolatur, quòd multò frequentior eſt conuentus nunc, quàm antea ſolebat, quàm quòd tam multi adhuc à tanto bono ſe faciunt alienos. qua in re poſthac decreui non tam de eorum negligentia conqueri, qui non accedunt, quàm trecentorum meorum incuriam accuſare, qui patiuntur, ne dicam committunt, vt hoc fiat, qui ſi eo zelo armarentur, quo debent, vi eos traherent, ſi volentes ac ſponte accedere recuſarent, atque id ſeruaretur, quod in Euangelio dictum eſt, cum

Luc. 14. is, qui fecit cœnam magnam, præcepit ſeruo ut exiret in vias & ſepes & compelleret intrare. Sed quid tandem dicit? *Diligite inimicos ueſtros, benedicite maledicentibus uobis, benefacite ijs, qui oderunt uos, orate pro ijs, qui lædunt & inſectantur uos*: hoc loco deliberemus Chriſtiani id præſtare quod cuiuſque ſectæ homines faciunt, vt Platonici ea maximè tuentur, quæ peculiariter Platonis ſunt dogmata, & Ariſtotelici Ariſtotelis, & ſic deinceps ſuos quiſque duces. at hic locus Chriſtianę philoſophiæ proprius eſt, quemadmodum ſuperiori oratione diximus, vt quis conuicijs affectus bene precetur, maledictis laceſsitus oret. ſi ſpolietur vna veſte, alteram ſpolianti addat, perſecutionem paſſus decedat. *Diligite* (inquit) *inimicos ueſtros*. cur hoc graue tibi videtur? quia iniquus (inquit) mihi eſt, me afficit damnis, laceſſit iniurijs. at hic animi morbus eſt, multò'que grauior, quàm ille corporis, cum quis phrenesi laborat. ſicut ergo phreneticos cum cernimus, non illis indignamur, quòd iniurij in eos ſint, à quibus afficiuntur beneficio, ſed miſeremur potius, quòd morbum ſuum non intelligant, & quò inſaniunt magis, eò maiore dignos miſericordia iudicamus; ſic & multò etiã magis in animi ægritudine eſt faciendum, quo maius damnum affert homini, quàm corporis morbus. & quantò acerbius in nos agitur inimicus, tantò illum maiori proſequi debemus miſericordia, tanquam grauiore phreneſi laborantem. Cogitemus præterea proximum quenque, quamuis inimicum & hoſtem, membrum tamen

Ephe. 4. eſſe noſtrum. ſumus enim (ait apoſtolus) inuicem membra. quis autem læſum corporis membrum contemnit, ac non potius fouet & curat, & maius adhibet illi ſtudium, quàm reliquo corpori? idem ergo faciendum erga inimicum eſt. membrum tuum eſt,

Luc. 5. ſed vitiatum & ęgrotans. non egent ſani medico ſed qui malè habent,

bent, icirco maiori proſequendus eſt charitate, quam ſi eſſet incolumis, curatio illius quęrenda eſt, quæ non ſequetur, niſi tu veluti ægroto membro pharmaca cures adhibere. quòd ſi etiam cogites, eundem inimicum membrum eſſe corporis Chriſti, niſi fruſtra cognomen à Chriſto acceptum circunfers, quid non tibi hoc nomine eſſet faciendum? quis non lapis mouendus ut res tanti pretij ſeruetur? non horres eum ſpernere, atque adeo odiſſe, pro quo Chriſtus ille Dei filius mortem oppetere, & eam crucis non dubitauit? Dominus ac tantus Dominus, nempe rex regum & Dominus dominantium, pro ſeruo crudeliſsimum & teterrimum mortis genus ferre voluit, quanto hoc magis decet ſeruum pro conſeruo pręſtare? ille (ait Ioannes) animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere. filius ergo Dei animã pro ſeruis poſuit, & nos ſi pro conſerui ſalute nolumus animam ponere, non ſaltem illius erratis ignoſcemus, cúm que diligemus? non ſaltem venit in mentem inimicitiarum quas cum Deo habuimus, & cum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius? quę recordatio nón ne vt cuiuſuis capitalis cum conſeruo noſtro inimicitiæ obliuiſceremur, perſuadere deberet? quod niſi fiat, ſeueræ illius reprehenſionis ſaltem recordemur, vbi dictum eſt. ſerue male omne debitum remiſi tibi, quia rogaſti me, nón ne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? quòd ſi vtrunque debitum & ſerui & conſerui cogites, multò magis efferi quiuis animi eſſent molliendi. debebat ſeruus Domino decem millia talentorum, debebat conſeruo conſeruus centum denarios. & quia domini erga ſe benignitatem noluit intelligere, icirco in conſeruum crudelis fuit, quod & nunc in ijs accidit, qui ſoluere inimicitias recuſant, qui ſi cogitarent, quanta illa debitorum ſumma ſit, quam Deo debent, agnoſcerent profectò, omnes quæcunque ab hominibus proficiſci in eos poſſunt, quamuis grauiſsimas offenſiones, uix unius teruncij debito eſſe comparandas. ſed iſta nunquam cogitamus miſeri, & ſolummodo ad circumueniendos nos ipſos inanibus quibuſdam non rationibus ſed rationum ſimulacris ſumus ingenioſi, ſemper que cauſas excogitamus, quibus hoc venenum nutriamus, quod contra potius fuerat faciendum, & verendum ne nos in culpa ſimus, dum illam in alterum reijcere uolumus, quę res cauſa eſt, cur inimicitiæ perdurent,

Apo. 19.
1. *Ioan.* 3.
Rom. 5.
Mat. 18.

rent, id quod ego quotidie in uobis experior. Horum autem errorum cauſa eſt, quòd interiores affectus nunquam ſedare curamus atq; componere, ſed fouemus potius eos & quotidie reddimus efferatiores. nemo deſcendere in ſe ſtudet, & quid ſe, quid Chriſtianum hominem deceat, conſiderare, ſed pręcedenti (vt inquit ille) ſpectatur mantica tergo. atque hinc fit, vt ad ſenectam perueniamus, ſine ulla vnquam Chriſtiani pectoris declaratione. ſed videamus quod addit. *Benedicite ijs, qui uos execrantur, benefacite ijs, qui oderunt nos, orate pro ijs, qui lædunt & perſequuntur uos.* audio quoſdam veſtrum interdum dicere. ego illum non odi, bene illi uolo, nunquam eum vel minima in re læderem, ſed nolo eius vti commercio. neque intelligunt miſeri, quàm ſemet ipſos in re tanti ponderis miſerè fallant. ſed audiant iſti, quo pacto velit Dominus, ut verbo, factis, & intimis etiam affectibus nos erga inimicos geramus. vult primum, vt bene precemur ijs, qui nos execrantur, vt improbis inimicorum uerbis nos bona & amantiſsima verba reddamus. ſed quia plerunque fit, vt amica quidem verba reddantur, ſed frigidè tamen, neque à pectore, quod plenè Chriſtianum ſit, profecta, iubet vt bene etiam faciamus ijs, qui nos odio inſectantur, factíſque ipſis declaremus, nos ex animo amare. & quidem videri poterat hoc ſatis eſſe. quid enim, vbi verbo & factis amorem oſtenderimus, aliud ſupereſt faciendum? & tamen hoc non contentus, uult præterea ut pro ijs oremus, qui nos lædunt & inſectantur, ut uidelicet illis ignoſcat Deus, illis meliorem inſpiret mentem, vt ęternam & ipſi ſalutem adipiſcantur. deprehendi autem interdum aliquos, qui remittunt quidem iniuriam, ſed ea conditione, vt cupiant Deum illum vlciſci. & fortaſſe in eum modum interpretantur illud per prophetam dictum, atque à Paulo citatum,
Deu. 32. mihi vltio & ego retribuam eis. ſed non ita eſt accipiendum. vult
Rom. 12. enim per illa uerba admonere nos, non vt optemus inimicis mala inferri à Deo, ſed ne uſurpemus id, quod non noſtrum ſed Dei eſt, qui ſcit, qua quiſque ſit dignus pœna. homines verò in facienda vltione facile decipiuntur, in ſua præſertim ipſorum cauſa, & plerunque cum ipſi pœna digni ſint, illam reijcere in alterum quærunt. non ſolum ergo nõ expectandum eſt, vt Deus vlciſcatur inimicum, ſed orandus potius vt benignè illi faciat, & ſpatium ei ac ſpiritum pœnitentiæ donet. Et hæc ſanè quidem eſſent præſtanda, ſola ipſius

ſius rationis, qua præditi à Deo ſumus, contemplatione, ſed multò profectò magis extimulari ad id præſtandum debemus ex eo quod ſequitur. *ut ſitis* (inquit) *filij patris ueſtri, qui eſt in cœlis, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper malos ac bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*. O nos degeneres, qui ad tantam adipiſcendam dignitatem nihil permouemur, non inflammamur audita hac pollicitatione, fore, ut, ſi hæc præſtemus, ſimus filij cœleſtis patris. *Qui ſolem ſuum* (inquit) *oriri facit ſuper malos & bonos*, ſolum ſuum, rem tam egregiam à ſe factam iubet quotidiano miniſterio etiam improbis inſeruire. hoc tibi exemplum ſingulis diebus atq; adeo per totos ipſos dies ante oculos ponit. cum ergo lumen ſolis intueris, ueniat tibi in mentem tam ingens erga ingratos Dei beneficentia, & hoc unum idoneum erit ad omnem à te cordis duritiem auferendam. is, qui nullius eget, tanta tamen erga ingratos, rem nihili & præterea abominandam utitur liberalitate, & homo aduerſus hominem, cuius egere ſemper poteſt, audebit odia exercere, & ei denegate beneficentiam? Reuocanda ad memoriam eſſent hæc Euangelica præcepta, quoties animum inuadit perturbatio, & mox tanquam ſolis radijs caligo omnis diſpelleretur: neque enim fruſtra dixit Salomon, mandatum lucerna eſt & lex lux. maxima humanorum errorũ cauſa eſt, quòd ad hoc perſugium non accurrimus ſuo tempore, ſed eorum morem imitamur, qui tum arma abijciunt, cum illis maximè eſſet utendum. Poſſumus in hac uita repræſentare, quod in futura ſperamus, ut inter filios Dei numeremur, & tantum bonum negligimus. nam & nunc, ſi agnoſcere uelimus, ſumus. nunc enim (ait Ioannes) ſumus filij Dei, ſed nondum apparet. quemadmodum quandiu hæres puer eſt, nihil differt à ſeruo, quamuis ſit dominus omnium. Pudeat ergò quicquam agere indignum tanto patre, neque dignitatem noſtram ob exigua quæque ac uilia negligamus. *Qui ſolem ſuum* (inquit) *oriri facit*. ingens quidem etiam munus eſt, lunæ ac ſtellarum lumine horrorem noctis leniuiſſe, ut nocturno etiam tempore iter agere ac rebus neceſſarijs operam dare tam mali quàm boni poſsint. ſed meminit in primis ſolis, tum quidem ob admirandam ſpeciem, quod & propheta facit, cum cœli fabricam contemplatus, plus in ſolis conſideratione immoratur. ſoli (inquiens) poſuit tabernaculum in eis, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit ut

Pro. 6. *1. Io. 3.* *Gal. 4.* *Pſal. 18.*

gigas ad currendam uiam, à ſummo cœlo egreſsio eius, & occurſus eiũs vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. tum verò ob viam gignendi in rebus hiſce inferioribus. ob hanc cauſam etiam pluuiæ meminit, cuius munere ubi deſtituimur, & ob hominum peccata mandat Deus nubibus, ne pluant ſuper terram, continuò oritur ſterilitas. contrà verò quis explicet diuitias, quę ex opportunè data pluuia proficiſcuntur? hanc ergo ob cauſam ſolis ac pluuiæ præcipuè meminit. ſed pergamus reliqua. *Si enim dilexeritis* (inquit) *eos qui nos diligunt, quam mercedem habetis? non'ne & publicani hoc faciunt? &, ſi ſalutaueritis fratres ueſtros tantum, quid amplius facitis? non'ne & publicani hoc faciunt?* merces (inquit) datur operi, opus autem laborem coniunctum habet, quis autem eſt labor, eos diligere qui nos diligunt? quin potius labor eſſet contrarium facere, odiſſe ſcilicet eos, à quibus diligamur. an

Mat. 11. non meminiſtis regnum cœlorum vim pati, & illud per vim eſſe rapiendum? qui ergo tanti regni eſſe particeps vult, nón ne eſt æquum, plus illum aliquantò pręſtare, quàm reliqui, quibus hoc non eſt curę? quòd ſi duntaxat amatis eos, qui vos amant, nihilo eſtis meliores publicanis, qui cum vectigalibus publicis exigendis præficerentur, videbantur nullam æquitatis habere rationem, & toti temporarijs lucris inhiare. quem morem ij etiam imitantur, qui apud noſtros hanc artem exercent. publicani ergo, quorum appellatione ſignificantur homines, qui nihil ad regnum pertinent, amant amantes ſe, & eos ſalutant, quibus ſi nihilo plus agitis, ne ſperetis uos in tanti regni conſortium admittendos. qua in re miror, niſi unumquenque noſtrum ingens terror inuadit, qui ſi cogitemus ea, quæ quotidie fiunt, inueniemus pleroſque omnes tan

Pſ. 102. tum à regno cœlorum diſtare, quantum diſtat ortus ab occidente. videte enim. iubet vt inimicos diligamus, à qua re tam alieni ſumus, ut eos etiam, qui nos maximè amant, odio proſequamur. cui enim magis debemus, quàm ijs, qui noſtræ ſalutis ſunt ſtudioſi, & dant operam, vt æterna Geennæ euadamus incendia? & hos tamen in primis auerſamur, hos odimus & continuis inſectamur conuicijs & maledicentijs. contra verò, eos amamus, qui uoluptatum miniſtri, qui ad parandas pecunias & honores ſocij nobis ſint, quæ tamen præcipua ſunt ad æternum interitum inſtrumenta. amamus quod odiſſe debemus, odimus quod ſumma

ma charitate eſſet proſequendum. quæ ergo ſalutis eſſe reliqua ſpes poteſt? & tamen in tanta rerum deſperatione ſecuri in vtranque (quod dicitur) aurem dormimus. Sed huius Dominicæ ſententiæ clauſulam videamus. *eritis ergo* (inquit) *uos perfecti, ſicut pater ueſter qui eſt in cœlis, perfectus eſt*. Papæ ad quantam inuitamur perfectionis celſitudinem, vt iubeamur non angelorum & purgatarum mentium illarum, ſed ipſius cœleſtis patris imitari perfectionem, quam ut aſſequeremur, quid nobis non eſſet elaborandum? audimus patrem nos habere in cœlo, & omni ſtudio non curabimus illi fieri quàm ſimillimos? cernimus enim omnibus etiam minus probis hominibus turpiſſimum uideri, à claris parentibus degenerare, multóque id magis probroſum haberi, quàm ſi ex ignobilibus eſſent nati. quare agnoſcamus obſecro tantum genus, & quæ hoc gradu indigna ſunt, tandem aliquando abijciamus. ne queſo tam benignum patrem noſtra ignauia vel contemnamus vel irritemus. cernimus enim ſiquis rex filium haberet, cui regni ſucceſsio deberetur, & is nihil minus quàm de adminiſtrando regno cogitaret, & puerilia duntaxat ac leuia, etiam cum factus eſſet uir, pertractaret, indignaretur uehementius, & illum nothum ac ſpurium appellaret. quod ne nobis accidat, imploremus huius cœleſtis patris fauorem & gratiam, ut illud aſſequamur, quod nos hodie per vnigenitum ſuum admonuit. cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium & nunc & ſemper & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO XLIII.

SVPERIORIS orationis, & eorum, quæ in ea dicta ſunt, cogitatio, recordationem mihi facit verborum Eſaiæ, atque adeo ipſius Dei per Eſaiam loquentis,
Eſa. 55. cum ait. non enim cogitationes meę cogitationes veſtræ. neque viæ meæ viæ veſtræ, quia ſicut cœli altiores ſunt terra, ita celſiores ſunt uię meę uiis ueſtris, & cogitationes
1.Cor.1. meæ cogitationibus ueſtris. & illud quod ait Paulus, quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt omnibus hominibus, & ſtultam fecit Dominus hominum ſapientiam. reperimus enim omnia, quęcunque humano ingenio, tanquam maximo pretio digna, excogitata ab iis fuerunt, qui ſapientiam ſunt profeſsi, nihil eſſe, & res quaſdam inanes, ſi cum iis conferantur, quæ ad hominum utilitatem fuerunt à Deo inſtituta. hæc autem exemplo aliquo aſtruamus. ſi quis trium linguarum peritiam ſit exactè aſſecutus, egregium hoc & rarum exiſtimamus: quòd ſi plures etiam calleat, maiore multò dignum ueneratione iudicamus. ſin reperiretur quiſpiam qui omnibus hominum linguis loqui ſciret, hunc omnes ſupra modum admirarentur. qui ſi prętera prophetico eſſet donatus ſpiritu, & myſteria omnia noſſet, & omni ſcientia eſſet præditus, & miraculis etiam clareſceret, hunc non iam hominem, ſed ueluti cœleſte quoddam numen, quod in terra apparuiſſet, iudicaremus, beatam que rem quiſque exiſtimaret, ſi eum uidere, ac eius frui poſſet conſuetudine, nec quàm longiſsimi itineris conficere ſpatia recuſaret, ut tam ingens in terra miraculum liceret intueri. & tamen ea res, quę tanti à nobis fieret, apud eam philoſophiam, quam Deus hominibus tradidit, cuius ſumma eſt charitas, pro nihilo prorſus habetur. uidete
1.Co.13. enim quid dicat Paulus. Si linguis hominum (inquit) loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens. &, ſi habuero prophetiam, & norim myſteria omnia, omnémque ſcientiam, &, ſi habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. &, ſi inſumam in alimoniam omnes facultates meas, &, ſi tradam corpus meum, ut cõburar, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. quę uerba cum ad propoſitum Euangelij locum maximè

maximè pertineant, iudicaui rem eſſe utiliſsimam, ſi ea hodie non curſim, ſed hodierna opera illis tradita, accuratius pertractemus. Si linguis (inquit) hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens. dixeramus eum, qui omnium hominum lingua loqueretur, pro miraculo habendum, at Paulus addit etiam angelorum linguam, & tamen tantam tàm que admirandam rem nihil ab æris ſonitu & cymbali tinnitu diſtare putat, ſi deſit charitas. quod nihil aliud eſt dicere, quàm nihilo maiorem eſſe eum hominem, qui aliorum opinione Diuinum in ſe quiddam habere uideretur, quàm rem omni ſenſu carentem. uidete quàm rectè atque opportunè Eſaię ſententia ſit recitata, Dei uidelicet cogitationes longo interuallo à noſtris diſtare, quando res tanti à nobis ęſtimata, apud illum uiliſsima ſit. quis enim plurimi faciat ſonitum æris, quod fruſtra ac temere perſtrepat, ac nihil proſit, ſed potius graue atque oneroſum ſit auribus? quòd uerò linguam angelorum dicit, non neceſſe eſt ob hanc cauſam corpus eis circumponere, ut eo loquendi more utantur, qui nobis eſt familiaris. ſed quod dicit tale eſt. ſi etiam ita loquerer, ut ſolent inter ſe angeli, cum mentem ſuam aperire alter alteri uult, ſi deſit charitas, nihil ſum aliud, quàm res moleſta quædam & oneroſa. in eundem modum intelligendum eſt etiam illud, quod alibi idem Paulus ait. flectetur illi omne genu, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. non enim iccirco genua & oſſa ac neruos illis aſsignabimus. ſed ſignificare uult intentam adorationem, quod per genua apud nos fit. Deinde ut huius charitatis dignitatem nobis faceret chariorem, adiecit, &, ſi habuero prophetiam, & hoc non ſimpliciter, ſed quemadmodum de linguis, non linguas ſolum, ſed omnes hominum linguas, & præterea angelorum poſuit, & tunc oſtendit, nihil hoc donum eſſe ſine charitate, ita hic non prophetiam ſolum ponit, ſed excellentiſsimam prophetiam. cum enim dixiſſet prophetiam, addidit, & nouerim myſteria omnia, & omnium ſcientiam. neque hoc contentus, matrem ac fontem omnium ponit, idque quadam cum excellentia, ſi habuero, (inquiens) omnem fidem, ita ut montes loco dimoueam, quod tanquam rem maximam dixit Chriſtus. vbi obiter occurrendum eſt dubitationi, quæ accidere aliquibus veſtrum poſſet, cur videlicet Chriſtus minimam partem fidei eſſe dixerit, poſſe montes transferre. nam veluti rem minimam poſuit,

Eſa. 55.

Phil. 2.

fuit, cum dixit. ſi habeatis fidem vt granum ſinapis, diceetis monti huic demigra hinc illuc, & demigrabit. Paulus verò omnem fidem hanc eſſe dicit. quid ergo diceemus? quia magnum erat hoc, videlicet transferre montes, propterea huius meminit, non quòd hoc ſola omnis fides posſit, ſed quia magnum hoc eſſe videbatur ijs, qui craſsiori eſſent intelligentia ob corporis molem. & hæ quidem tam ingentes res commemoratæ, abundè ſufficere poterant ad pretium charitatis declarandum, quo tamen id fiat locupletius, addit. &, ſi inſumam in alimoniam omnes facultates meas, &, ſi tradam corpus meum vt comburat, charitatem autem non habeam, nil vtilitatis capio. Admirandam verborum excellentiam. nam & hic altero etiam additamento vtitur. neque enim dixit, ſi dedero pauperibus dimidiam facultatum partem, aut duas parteis, aut tres, ſed omnes facultates meas. neque ſimpliciter dixit, ſi dem, ſed in Gręco eſt verbum ψω μίζω, quod ſignificat incumbere & addictum eſſe inſumptioni ac miniſterio ſummo cum ſtudio, vt cum quis indulgenter paſcit, ac veluti minutatim inſipato pane, & minutatim conciſo cibo, quod apud nonnullos fit erga eos, quibus fauent inconuiuijs. &, ſi tradam corpus meum vt comburar.; & hic quoque non dixit, ſi moriar, ſed excellentius quid ac maius, cum ponit mortem omnium acerbisſimam, vt quis videlicet viuus comburatur. & ne hoc quidem ſine charitate magnum eſſe ait, iccirco adiecit, nihil vtilitatis capio. fingamus enim quempiam non ob charitatem in Deum ac proximum, ſed ad oſtentandam animi magnitudinem id feciſſe, quemadmodum ferunt Calanum quendam Indum, indoctum ac barbarum, in radicibus Caucaſi natum, ſua voluntate viuum combuſtum fuiſſe, eiusmodi homines quid inde capiunt vtilitatis? nã ſi gloriam ex ea re quærunt, neminem inuenient, qui mente præditus ſit, hoc laudantem, & fortaſſe ne ſtultum quidem, qui rem glorioſam cenſeat, ſine vlla ratione dulcem abrumpere vitam. Sed nondum omnem propoſitę rei excellentiam dixi, niſi ipſius Chri-

Mat. 19. ſti teſtimonia de eleemoſyna & morte in medium proferam. quæ-
Mar. 10. nam ea ſunt? diuiti dixit. ſi vis perfectus eſſe, vende omnia quæ
Luc. 18. habes & da pauperibus, & veni ſequere me. de charitate vero diſ-
Ioan. 15. ferens, quæ erga proximum habenda eſt, ait maiorem hac charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. qua re liquet, quòd ſi pro Deo ponatur. hoc omnium maximum eſt.

at

at ego dico, ait Paulus, ſi etiam pro Deo ponamus animam, neque ſimpliciter ponamus, ſed ita vt comburamur, non magnum eſt nobis lucrum, ſi proximum non dilexerimus. quandoquidem dona etiam illa ſpiritus inferiora ſunt recta vita. etenim multi reperientur illis prædita, qui tamen caſtigabuntur, ſicut ij, de quibus in Euangelio dicit Dominus. multi venient dicentes, Domine in nomine *Mt.* tuo prophetauimus, & Dæmonia in nomine tuo eiecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus. & tunc confitebor illis, nunquam noui vos. ij verò, qui fideles purgatam vitam exhibuerunt, nulla re alia indigebunt ad ſalutem. quare vt dixi, nil mirum eſt, illa dona hac egere. quòd verò exquiſita etiam vita nihil valeat ſine charitate, hoc eſt omnium admirabiliſsimum, quòd que multam pariat hæſitationem, præſertim cum Chriſtus ambabus hiſce rebus multum ſua ſententia fauerit, facultatum ſcilicet abdicationi, & martyrij periculis. nam & diuiti dixit, vt dudum dicebamus, ſi vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & veni ſequere me, & diſcipulis de martyrio loquens aiebat. qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam, &, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. etenim multus eſt huius operis labor, & ipſam ferè naturam ſuperans, & hoc ſciunt ij ſoli, qui digni his coronis habiti ſunt. nulla enim oratio aſſequi hoc dicendo poſſet, tam generoſi eſt hoc animi. & tamen rem tam admirandam nihil admodum prodeſſe ait Paulus abſque charitate. Sed quærat fortaſſe aliquis, quî fieri poſsit, vt quis tanto cum affectu ſuas facultates diſtribuere ſine charitate poſsit. cui reſpondendum eſt, Paulum id fortaſſe dixiſſe per hyperbolem quod facere interdum ſolet, vt cum dixit ſcribens ad Galatas. ſi nos vel angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit. quamuis neque is neque angelus facturus id unquam eſſet. & rurſus cum ad Romanos ſcribens ait. neque angeli, neque principatus, neque poteſtates poterunt nos ſeparare à charitate Dei. nam hoc non erant facturi angeli, ſed id, quod non eſt, tanquam ſit, poſuit. ita & hoc loco. ſi inueniri poſſet (inquit) vt omnia quis daret, neque haberet charitatem, nihil ei prodeſſet. quanquam inueniri poſſunt, qui non tam ob charitatem in proximum, quàm ob iactantiam & inanem gloriam dant eleemoſynam. de talibus enim dicit Dominus, cum facis eleemoſynam,

Mat.10. *Gal.1.* *Rom.8.*

Mat.6. nam, ne canatur tubis ante te, quemadmodum hypocritæ faciunt in ſynagogis & vicis, vt glorificentur ab hominibus. Cernis quàm ingens bonum ſit charitas, quæ cæteris bonis pretium det, & ſine qua res etiam maximæ, & penè Diuinæ nihil ſint? quòd ſi illa tam magnifica Paulus ita deijcit, ſi deſit charitas, quid de diuitijs & facultatibus & honoribus eſt dicendum? quàm contemnenda & abiicienda res ſunt? quare ea tanti facere, indicium eſt hominum, qui plurimum à charitate diſtent. cum ergo ſola hæc ſit pretio digna, ſola ex qua capere utilitatem poſsimus, huic uni eſt danda opera. ſed uereor, non exiguam hominum partem opinari, ſe hanc uirtutem eſſe aſſecutos, à qua tamen longiſsimè abſint. tanta uerò in re decipi, cum maximum omnium damnum ſit, etiam huic periculo curauit Paulus occurrere, quare continuo ſubiecit ſigna, quibus agnoſcere quiuis poſsit, num charitatem ſit aſſecutus, & ait. Charitas longanimis eſt, benigna eſt, charitas non inuidet, charitas non eſt procax, non inflatur, non eſt faſtidioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniuſtitia; ſed congaudet veritati. omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. contemplare ut huius pulchritudinem Paulus tanquam coloribus quibuſdam, ſic deſcriptis eius partibus depinxerit, & illius mēbra accuratisſimè compoſuerit, in quibus perſpiciendis vtile erit, ſi non quantum rei dignitas poſtulat, certè pro temporis ratione aliquantulum immorari. charitas (inquit) longanimis eſt. honeſtiſsimum charitatis membrum longanimitas, ſine qua quæcunque aggredimur, optatum finem feliciter aſſequi non ſolent. hac niſi cœleſtis ille pater familias vteretur, pateretúr que vt ſerui intempeſtiuè colligerent zizania, non ſupereſſet triticum, quod in horreum reponeretur. hac quòd

Rom.2. homines abutantur, reprehendit Paulus, cùm ait. an diuitias bonitatis illius, & tolerantiæ, & longanimitatis contemnis ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? hæc præcipuè animarum rectoribus eſt neceſſaria, quod in illo uiro Dei Moſe declaratur, qui tot annis tam ingentem exercitum, tam rebellem ac duræ ceruicis, & eorum ita feros mores tulit, tantá que in eos vſus

Gen.12. fuit lenitate, vt inuitante illum Deo, vt ſineret populum tam ingratum diſperdi, fore enim, vt in longè maiorem gentem creſceret, non tamen ſit paſſus, ſed contra potius rogauerit, vt illi ignoſceretur. Longanimitas hæc eadem eſſe videtur cum magnanimitate, aut

te, aut certè omnino coniuncta cum illa, nam longum magnum etiam dicitur. hanc uir quidam ſapiens commendans aiebat. uir longanimis multus eſt in prudentia. & iterum. melior eſt patiens viro forti, & qui moderatur animo ſuo, expugnatore vrbium. ſequitur, benigna eſt. quia enim inueniuntur interdum, qui tolerantes quidem iniuriarum ſunt, diú que eas perferunt, ſed animò tamen, ſuo tempore vlciſcendi, admonet, oportere huic longanimitati adiunctam eſſe benignitatem atque humanitatem, quæ non ſolum inimicum ferat, verum etiam infirmum eius animum ſanare curet propenſo in illum affectu. nam rectè quidam externus dixit. benignus etiam dandi cauſam cogitat. hoc eſt, indicandæ ſuæ erga proximum bonę voluntatis. quod non ſemel Dauid in Saulē fecit, oſtendit que quoties vlciſci illum potuiſſet, cum ſcilicet in ſpelunca abſcidit clamydis partem, & rurſum, dormiente rege ac toto exercitu, acceſsit ad regis tabernaculum, & abſtulit haſtam, quæ erat ad caput eius, & ſcyphum aquæ, vt declararet, quàm facile ſibi fuiſſet de illo pœnas ſumere. & hæ quidem geminæ partes ad perferendas proximorum iniurias, ac remittendas pertinent. at in eorum bonis non inuidet. non enim qui amat, eorum, quos amat, inuidere ſucceſsibus poteſt. quod ſi facis, agnoſce tibi deeſſe charitatem. præterea charitas in factis ſuis, non eſt procax. in Græco eſt, οὐκ περπερεύεται icc irco interpres verterat, non agit perperam. ſignificat ergo charitatem nihil agere temerariè, neque iactanter, ſiue ad oſtentationem, ſed efficere eum, qui amat, grauem & prudentem. eorum autem, qui turpiter & laſciuè amant, contrarius mos eſt, vt petulantes & procaces ſint, & leues & imprudentes. qui verò hunc, qui à Paulo deſcribitur, amorem nouit, ab ijs maximè omnium alienus eſt. eſt enim hæc charitas velut agricola optimus, inſidens in anima, neque permittens vitioſum quippiam in ea germinare. Non inflatur. ſolent illi aduerſus alterum inflari, qui eo contempto putant ſe neſcio quid eſſe maius. at, qui amat, cum amicum ſuum honeſtare in omnibus cupiat, tantum abeſt, vt aduerſus illum infletur, vt primas potius illi det. intuere autem, vt Paulus charitatem ornet, non ſolum ex ijs quæ habet, ſed etiam ex ijs quę non habet, dum eam & virtutem introducere, & amputare vitium oſtendit. Non eſt faſtidioſa, vel, non agit inhoneſte. in Græco eſt οὐκ ἀσχημονεῖ non indecore ſe gerit, neque à proprio ſchemate diſcedit, pro

Pro. 14. Pro. 16. 1. Re. 24. 1. Reg. 26.

Vu prió que

prib que decoro. ſunt tamen qui ſumma cum pietate ita interpretentur. tantum abeſt (inquit) vt inflectur, vt extrema pro amato patiens, nullum eſſe id dedecus ſentiat. ſi enim qui amant pecunias, nihil probroſum ſubire recuſant lucri gratia, multò magis ij, qui hanc laudatam virtutem habent, pro amato tuendo ſiquid patiantur, non eos pudet. & ne à malis rebus exempla capiamus, neque enim neceſſe eſt, cum multò præſtantiora in bonis habeamus; perueſtigemus hoc ipſum in Seruatore Chriſto, & tunc intelligemus
Mar. 14. vim eorum quæ dicuntur. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus
15. ſputis & alapis à ſeruis deturpabatur, & tamen hoc nõ ſolum pudorem non arbitrabatur, verum etiam exultabat, & gloriam vocabat.
Ioan. 17. pater (inquiens) glorifica filium tuum, nimirum cum expectaret paulò poſt eſſe agendus in crucem. & latronem atque homicidam
Luc. 7. ante omnes in paradiſum introduxit, & alloquens meretricem, cũ circumſtantes omnes criminarentur, non tamen id dedecus exiſtimauit, quin & ei ſuos pedes præbuit oſculandos, lacrymis lauandos, & tergendos capillis, ídque ſpectantibus inimicis & hoſtibus. neſcit enim charitas pudefieri. ob hanc cauſam cernimus patres, quamuis doctiſsimi & eloquentiſsimi ſint, balbutire cum infantibus filijs, neque eos pudere. rurſus iidem filii ſi mali ſint, parentes non eos aſpernantur, ſed operire quærunt eorum inique facta.
Pro. 10. atque hoc eſt, quod ait Salomon, uniuerſa delicta operit charitas.
Gen. 27. vide item Rebeccam, quia uehementer filio Iacob erat affecta, non erubuit fraudem illam moliri, nec ueritа eſt, ne deprehenderetur, neque periculum timuit, quin & filio hæſitante & dicente ſe uereri ne pater deprehenſa fraude execrationem pro benedictione infligeret, reſpondit mater, in me ſit iſta execratio fili mi. cernis in muliere apoſtolicum animum? ſi tamẽ parua licet componere magnis.
Rom. 9. nam quemadmodum & Paulus pro Iudæorum ſalute optaſſet anathema eſſe à Chriſto, ita & hæc, ut filius benedictionem adipiſceretur, execrationem non recuſabat. Quid ipſe Iacob? nõn ne bis
Gen. 29. ſeptenos annos ob amorem pertulit ſeruitutem? & præter ſeruitutem deluſus etiam fuit, ſubiecta altera ſorore pro ea, quam poſtulauerat? quid ergo? num deluſionem illam ſenſit? num pudorem arbitratus eſt, quòd liber & ex libero genere & parentibus tam claris ortus, ingenuè educatus ſeruilem in modum habitus ſit, idque à cognatis? (quod mordere acrius ſolet, cum

à notis

à notis probris afficimur) nullo modo. quid autem fuit in cauſa? ſola dilectio, ob quam tam multos ſeruitutis annos exiguos dies exiſtimauit. uidebantur enim illi (inquit) pauci dies præ amoris magnitudine, tantum abeſt, ut ægrè ferret ac ſeruitutem illam eru beſceret. Hanc partem ſi haberent trecenti mei, non erubeſcerent probra aliqua pro Chriſto atque illius honore pati, & cum cernunt eum tam diris execrationibus ac blaſphemijs à ſuis ciuibus lacerari, proderent illos epiſcopo, quemadmodum eis ab ipſo mandatum eſt, neque hominum calumnias tam pueriliter formidarent, quòd delatores epiſcopi ſint. Quis ueſtrum, ſi ſciret aliquem è ciuibus prodere uelle hoſtibus ciuitatem ueſtram, non ſummam gloriam exiſtimaret, illum accuſare? at hi tam perditi blaſphemi in Deum, longè deteriores ſunt quàm patriç proditores, quantò ſceleratius eſt, tanta iniuria auctorem omnium afficere, quàm lędere uniuerſum hominum genus. & hos prodere dedecus & ignominiam putabitis, ac nõ potius maximæ gloriæ aſcribetur? dedecus potius eſt, neminem adhuc repertum eſſe, tanquam alterum Phinees, qui non *Nu.* 25.
ſaltem in faciem & ora blaſphemantium inuolauerit in ipſa blaſphemię pronunciatione, quod queadmodum fieri nõ iubeo, ſic factum non potuiſſem deteſtari. non aduertitis, hoc eſſe erubeſcere Chriſtũ? nec metuitis quod ſequitur, forè ſcilicet, vt qui Chriſtum erubuerint coram hominibus, ipſe eos erubeſcat coram angelis Dei? ego *Luc.* 9.
verò vehementer vereor, hos qui nunc erubeſcunt deferre Dei & Chriſti eius vituperatores, ſi eo tempore fuiſſent, quo crux plenum ignominiæ ſignum erat, nunquam eum, qui in crucem actus eſt, Chriſtum uidelicet & fidem in illum fuiſſe, profeſſuros. ſi enim nunc, cum omnis lingua confitetur, Dominum eſſe Ieſum Chriſtum, tueri eius parteis erubeſcunt, quid obſecro tunc fuiſſent facturi? non agnoſcetis vel ſerò in quàm ingens infidelitatis crimen incideritis? me miſerum, cum puto me iam exercitum ingentem comparauiſſe, vbi conſerendæ ſunt manus, ne trecentos quidem meos omneis video conſiſtere, atque adeo cerno illos à pueris ſuperari. iam enim poſtea quam audierunt minas epiſcopi in blaſphemos, & eius pręceptum illos deferendi, aliquoties ſocios ſuos, qui blaſphemaſſent, ipſi non contenti deferre, illoſmet deduxerunt. & impletum eſt illud prophetę, ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & defen- *Pſal.* 8.

 ſorem.

ſorem. nam deſenſores blaſphemantium ſunt, quicunque eos iubente epiſcopo prodere renuunt, qui vt deſtruantur & pudefiant, uult ab inſantibus iſta prodire. ego uerò multò maiora video me poſſe mihi atque admirabilia polliceri, fore ſcilicet, vt qui hactenus impij acerrimíq; in Deum & ſanctos eius blaſphemi fuerunt, blaſphemantium poſthac ſint accuſatores. iam enim aliquot ſub iugum, Chriſti benignitate fuerunt acti, qui id ſe prçſtaturos ſunt polliciti, videbimúſque in illis idem accidere, quod in Paulo fuit factum, qui, cum antea blaſphemus fuiſſet, atque eccleſiç Chriſti perſecutor, poſt illius deſenſor euaſerit vehementiſsimus, vt gloriari

2.Co.11. potuerit, ſe plus omnibus laborauiſſe. quod ubi fiet, quid illi dicturi ſunt, qui quamuis ingenteis, vt ſibi videtur, in uia Domini progreſſus fecerunt, tantum abeſt, ut accuſare blaſphemos audeant, ut uideantur etiam eos reprehendere, qui hoc faciunt. quid igitur ij tunc dicent, quo afficientur pudore, cum cernent iuuenes, qui hactenus fuerunt diſſolutiſsimi, repente tam ingenteis euaſiſſe, vt, quod ipſi nondum audent, atque adeo quod erubeſcunt, illi palam profiteantur? quis hoc aliud eſſe credat, quam mutationem dexteræ excelſi? Interea cogitate, quantum à veteri diſciplina diſceſſerimus. fuerunt olim epiſcopi, & doctrina & ſanctitate prçſtantiſsimi, qui eos arcerent ab eccleſia, qui paſsim iurarent, iuberéntque illos ad ſe deferri iudicandos, quamuis iuratio licita Chriſtianis ſit. blaſphemos uerò, qui non ſolum Diuinis ſed humanis etiam legibus morte digni iudicantur, ſi aliquantò ſeuerius caſtigare uelit epiſcopus, audent aliqui rem tam factu neceſſariam uituperare. hoc quid aliud eſt, quàm oſtendere ſe à Chriſto eſſe alieniſsimos? Verum quia fixum omnino eſt animo, uelle iuuante Deo hanc peſtem ab hac ciuitate relegare, nequis ſe admonitum antea non fuiſſe conqueratur, moneo, prædico, multò ante denuntio, me canonicis poſthac vſurum pœnis, quas vt omnes ſciant, hic

Gre. 9. dial. breuibus recitabo. Volunt canonicç leges, ut blaſphemus ſeptem Dominicis diebus præ ſoribus eccleſiç ſtet, dum res Diuina fit, & vltimò die ſtet ſine pallio & calceamentis, corrigia à collo pendente. prӕterea in ſextis ferijs harum ſeptem hebdomadarum ieiunet pane & aqua, & eccleſiam non ingrediatur. item quolibet horum dierum aliquot pauperes paſcat pro ſacultatum quantitate. eodem modo certam pecuniæ ſummam perſoluat, & hanc pœnam ſi ferre recuſauerit,

cuſauerit, interdicatur ei in eccleſiam ingreſſus, & in uitę fine eccle ſiaſtica careat ſepultura. Illud demum addam, eſſe ſciendum, eos, qui homines tam impios prodere neglexerint, illorum ſceleris ſocios apud Chriſti tribunal eſſe redarguendos, & profectò euidentiſſimum ij proferunt nullius in Deum amoris ſignum, qui, cum illam maieſtatem tam fœdis uerbis audiunt conſpurcari, quæ uerba ſi in me, qui nihil ſum, iactarentur, pro compertiſsimo habeo, neminem ueſtrum eſſe toleraturum, cum hęc inquam audiunt, ferre illa ſilentio poſſunt. horret enim animus, non dico proferre, nam uererer huius templi fundamenta eſſe concutienda, ſed tantum meminiſſe, in quas cloacas uerborúm que ſpurcitias puluis & cinis au ctorem omnium proijcere non formidant. & hæc quidem ex eo dicta ſunt, quòd Paulus ait, charitatem non erubeſcere. ſequitur. Non quærit quæ ſua ſunt. hoc maximè in amantiſsimis filiorum parentibus cernitur, qui commodorum ſuorum omnium obliti, nulla recuſant ſubire pericula, dum filiorum utilitati inſeruiant. hoc pręcipuum eſt amoris indicium. ideo Paulus alibi ait. nemo quęrat quę ſua ſunt, ſed vnuſquiſque quæ ſunt proximi. nam propria utilitas in proximi utilitate poſita eſt. ſicut ergo ſiquis proprium aurum in proximi domo defoſſum habeat, ſi illuc proficiſci recuſet, nunquam illud cernet; ita & hic, quicunque non uult in proximi utilitate proprium commodum quęrere, non aſſequetur promiſſas ob hanc rem coronas. ob hanc enim cauſam Deus ita conſtituit, ut eſſemus inuicem coniuncti, quam coniunctionem ſi aſſequi ſtuderemus, eſſent ciuitates multò locupletiores. fingamus enim ciuitatem, quę decreuerit communia omnia inter ſe habere, hæc breui tota eſſet diues, nemo egeret, domus eſſent in tota urbe magnificentiſsimæ, plendeſcerent omnia, omnes & uictu & cultu uterentur honeſtiſsimo. quod nunc contra fit. dum enim unuſquiſque, quę ſua ſunt, quærit, maxima hominum pars miſerrimè uiuit, & illi ipſi, qui diuites ſunt, longè minus habent felicitatis, quàm ſi non minus aliorum, quàm ſua ipſorum commoda quæſiuiſſent. Non irritatur. vide irritationem ex eo proficiſci, quòd vel deſit vel imminuta ſit charitas. plerunque enim fit, vt multi vehementius excandeſcant, putént que ſe zelo quodam id agere. verum ſi examinare ſeſe diligenter velint, reperient irritationem eſſe, quam charitas non admittit. ſimul illud cogita, charitatem non ſolum ſuperare

1.Cor. 10.

rare

rare uitium, ſed ne permittere quidem illud initio conſiſtere. non enim dixit, irritatur quidem, ſed ſuperat, ſed omnino (inquit) non irritatur. ſic quod ſequitur, non cogitat malum. non ſolum (inquit) malum non operatur, ſed ne cogitat quidem, hoc eſt, ne ſuſpicatur quidem malum in eo, quem amat. Non gaudet de iniuſtitia, hoc eſt, non lætatur, cum quis aliquid patitur mali, ſed, quod multò eſt maius, congaudet ueritati, hoc eſt, collætatur, cum aliquem apud alios laudari, & in pretio eſſe cernit, facit que quod alibi Pau-

Rom.12. lus ait, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. hinc fit, ut non inuideat, hinc vt non inflетur, nam aliena mala arbitratur tanquam ſua. cernis vt paulatim alumnum ſuum angelum charitas faciat? cum enim uacuus ira & inuidia eſt, & omni uitioſi affectus tyrannide liber, cogita illum humanam naturam tranſilijſſe, & in ipſam angelicarum mentium tranquillitatem demigraſſe. & tamen non his contentus eſt, ſed habet adhuc maius aliquid quod addat. Omnia ſuffert. contumelias, ludibria, vulnera, mortem. contempla

2.Re.15. re Dauid, quo pacto Abſalonem pertulerit. quid enim grauius quàm cernere filium aduerſus patrem inſurgentem, & illius regno inſidiantem, ac paternum ſanguinem ſitientem? & tamen hoc tulit uir beatus, & ne ſic quidem amarum proferre verbum aduerſus parricidam potuit. quin potius omiſſa reliqua omni cura, manda-

2.Re.19. uit ducibus, ut in prælio parcerent filio Abſaloni. vbi verò illius mortem audiuit, ita uehementer conflictabatur, ut optarit filij uitam ſua morte redimere. ibat enim (inquit) operto capite, & clamabat voce magna. fili mi Abſalon, fili mi Abſalon, fili mi. quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Abſalon fili mi, fili mi. hoc autem vt faceret, ſola charitas in cauſa fuit, quæ vim quandam affert hominum mentibus. ex hoc ergo quod dixit, omnia ſuffert, uim illius indicauit, bonitatem verò ex eo quod ſequitur. omnia ſperat, omnia credit omnia ſuſtinet. meliora (inquit) ſemper de amato ſibi charitas pollicetur, nunquam deſperat, ſed quamuis prauus ſit, perſtat corrigens, prouidens, curans. omnia credit, non ſimpliciter ſolum ſperat, ſed credit ex vehementi amore futurum omnino quod ſperat. meliora ſemper expectat. quæ ſi fraudetur ſua ſpe, omnia ſuſtinet. breuiter, quemadmodum ſubdit, nunquam excidit, nunquam diſſoluitur, nunquam interciditur, ſemper nouas ſibi fingit occaſiones, quibus in amati dilectione detineatur. hæc erat in Paulo uis

lo uis præſtantiſsima, iccirco aiebat, ſiquo modo ad æmulationem *Rom.* 11.
prouocem carnem meam. & rurſus. ſeruum Dei non oportet pugnare, ſed mitem eſſe erga omnes, cum manſuetudine erudientem *2. Ti.* 2.
aduerſarios, ſi ſorte det illis Deus agnitionem ueritatis. Audiuimus ſigna, quibus agnoſcere quiſque noſtrum poteſt, num charitatem, ſine qua nemo ſperare ſalutem poteſt, ſit aſſecutus. & ſanè miror, ſi non his auditis expauiſtis, cum non facilè reperiatur, qui hæc pręſtet, & tamen ſi his ſumus deſtituti, apertè liquet, nos ne charitatem quidem habere. at ſine charitate ſalutem ſperare ridiculum eſt. ait Paulus charitatem eſſe longanimem ac tolerantem, nos verò ad leuiſsimam quamlibet offenſionem ſumus impatientiſsimi. ait eſſe benignam, nos nulla utimur erga proximum benignitate. ait non quærere quæ ſua ſunt, nos rem prorſus uertimus in contrarium, & ea ſolum quærimus, quę ad noſtra pertinere commoda intelligimus. Quæ igitur reliqua ſpes eſt? una duntaxat, quod ſciam, ut hæc Diuina oracula menti affigatis, hæc frequenter tractetis, his filios ueſtros ab ineunte ætate imbuatis. ſed heu calamitatem, quo pacto ſperem uos iſta pręſtaturos, cum ſignificatum mihi ſit, bonam parentum partem nolle liberos ſuos ad audienda Chriſtianę doctrinæ fundamenta accedere? iam ad ducentos conuenire conſueuerant, quemadmodum ij, quos huic pręfeceram negocio, retulerunt, ſpes erat ingens paucis poſt annis nos habituros Chriſtianam ciuitatem, ubi primum ij, qui nunc pueri ſunt, adoleuiſſent. nam qui iam in uitioſis affectibus conſenuerunt, ab ijs cerno non admodum magna ſperanda eſſe. & ecce in medio curſu uideo obortam tempeſtatem tam egregium negocium uelle intercidere. Fateor nihil mihi poſtea, quàm uobis epiſcopus datus ſum, accidiſſe, quod me tam cadere animis faceret. cum enim iuuentus ſeminarium ſit futuræ ciuitatis, ubi illud mihi eripitur, nón ne hoc deſperare eſt omnium? eundem errorem in educandis puellis cerno. etenim cum ſuperiori anno præceptum fuiſſet, ne mulieres in his ſolennibus mundinis, quæ quotannis fiunt, & ad quę ex tota Italia & ab exteris etiam conuenitur, prodirent, né ve per nundinas uagarentur, quaſi hoc præceptum fœminis duntaxat iam adultis eſſet factum, mittunt nunc puellas teneriores, quæ tempeſtiuè incipiant amittere pudorem, neque aduertunt errorem hunc priore longè eſſe deteriorem. Hac ſi uia ingredi & viri & mulieres decreuiſtis,

uiſtis, fruſtra hic epiſcopum ago, præſtat que ut ad priſtinæ uitæ rationem, quam monachus agebam, me recipiam. quod ſi indignum iudicatis, ut à vobis recedam, mutate, mihi credite, hos mores, & meliorem mentem induite, ut & uos fructum, qui ex mea præſentia expectatur, referatis, & ego aliquod laboris mei quotidiani ſolatium ex ueſtro in rectè facta progreſſu capiam. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO XLIIII.

ILLVD in Euangelico hoc noſtro monte accidere uideo, quod in corporeis etiam montibus vſu euenit, vt ſtationes quaſdam certis interuallis habeant, in quibus ij, qui per eos montes iter agunt, requieſcere paulisper ſolent, ut quod reliquum eſt itineris conficere aptius poſsint. ſic nos cum in hoc Domini ſermone ad opportunam quandam quaſi ſtationem peruenerimus, & mihi perendie ſit proficiſcendum in montana huius diœceſeos loca, ut ea per æſtatem de more inuiſam, & ſuo paſtore aliqua anni parte & ipſi fruantur; iudicaui non oportere hodie in eo ſermone progredi, ne Euangelica interpretatio intercidatur, vt, cum iuuante Deo reuerſi fuerimus, tanquam nouo principio exordientes magis integram narrationem habeamus. quare alia quædam potius hodie uobis proponam, quæ ob diſceſſum meum omnino eſtis admonendi, atq; in primis de illo in blaſphemos apparatu, quem ſuperioribus diebus inſtruximus, ne forte ob diſceſſum meum, tam neceſſarium opus intermittatur, & eodem, quod dicitur, reuoluamur, iuſſeram, adiectis etiam ijs minis, quæ epiſcopum decent, ut quicunque audirent quempiam blaſphemantem, ad epiſcopum referret, uerum dum abſum, hunc morem ſeruate. qui habuerit blaſphemum aliquem quem deferat, ſcribat in chartula nomen blaſphemi, & teſtes, ſé que ipſum, tanquam de alio loquatur, adijciat. tum quòd hoc pacto delator in accuſatorum numero poſitus, non agnoſcetur (quemadmodum datur ſedulo opera, ut ij uel teſtes vel accuſatores

res à nemine ſciantur) tum etiam quòd plerunque ij, qui citantur teſtes, recuſant fateri ueritatem. quem errorem doleo uehementer non intelligi quantus ſit. nam qui peierant, Deum negant, dum negant ueritatem, quæ Deus eſt. deinde adhibent Deum mendacij teſtem, quæ duo quàm ſint abominanda, quis vel cogitare, nedum eloqui poſsit? ſed quantum videor animaduertiſſe, peccant plurimi craſſa nimis inſcitia. putant enim leue eſſe peccatum, ſi quis peieret in ea re, quæ uel proſit alicui peierando, vel nemini noceat. atque in hac parte nullam aut quàm minimam differentiam faciunt inter officioſum mendacium & periurium, cum tamen tantum inter ſe differant, quantum cœlum à terra diſtat. nam in officioſo mendacio non adhibetur Deus teſtis, hic verò adhibetur, & falſus teſtis ac mendax efficitur Deus, quantum in eo eſt qui peierat. quòd ſi officioſum mendacium non probatur, ſi etiam prò tota ciuitate ſeruanda proferretur; quantò magis damnandum periurium eſt, quamuis pro maxima quaque vel ſua vel aliorum vtilitate adhibeatur? ſed loquamur priuatim nunc de ijs, qui celandi blaſphemos gratia peierant, putánt que ſe nemini obeſſe, aut prodeſſe etiam blaſphemis. quorum vtrunque falſum eſt. nam præter contumeliam in Deum, quòd ſuo periurio efficiunt, vt tanta in eum iniuria perſeueret, primum toti ciuitati damnum afferunt maximum, qui veritatem tacendo, tantam peſtem in ea nutriunt, quæ multò damnoſior eſt, quàm lues ac peſtilentia, quę inficere ſolet corpora. deinde eiſdem ipſis blaſphemis magis nocent. quos ſi prodèrent, corrigerentur, atque à tam ingenti ſcelere auocarentur, quod tantum eſt, vt mirer, in ea verborum tam obſcœnorum pronunciatione terram non hiſcere, atque eos continuò abſorbere. quare auferatur obſecro tam pudendus error opinionis, & hos blaſphemos in chartula, vt dicebamus, ſcribite cum teſtibus, & in eam arcam, quam præſepe Domini iam appellare conſueſtis, ponite. ego verò operam interea dabo, vt ſchedulę illæ per certos homines extrahantur, ac res tota cum omnium vtilitate piè ac ſalutariter peragatur. vrbis autem præfecto, qui hic præſens adeſt, interea mando, vt, dum abſum, multò ſtudioſius inuigilet, vt hi blaſphemi deprehendantur, & pręterea vt ludi, alearum pręſertim, & eiuſdem generis alij, qui blaſphemias alere ſolent, omnino prohibeantur. Omnes denique vos ciues

Xx mei

mei & viri & mulieres multò maiorem me abſente adhibere vigilantiam debetis vitæ veſtræ, quàm cum præſens ſum. cum enim
1.Pet.5. aduerſarius noſter Diabolus tanquam leo rugiens (vt ait beatus Petrus) circueat quærens quem deuoret, multò profectò accuratius hoc facit, cum deeſt cuſtodia, cernít que abeſſe paſtorem. oporteret autem hoc tempore, vt trecenti mei, epiſcopi officio fungerentur, circunſpicerent que tanquam boni ac fideles vrbis cuſtodes, qua parte ciuitas eſſet infirmior, & ei parti magis opitularentur, quod vt præſtetis, vos precor ac quæſo. & hęc quidem hactenus. Eſt præterea aliud, quod vos præmoneam. cerno enim oportere epiſcopum non ſolum ea, quę agit, rectè agere, verum etiam cum vereri poteſt, ne id quod bonum eſt, in malam partem ſit accipiendum, ipſorum rectè factorum rationem reddere, quod nunc mihi video eſſe faciendum. qui cum rem bonam in longè meliorem ſim commutaturus, niſi eiuſdem rei cauſam vobis aperiam, ſcio multos veſtrum eſſe offendendos. Primum ergo ſcire vos velim, me, quod ad homines pertinet, nemini debere eorum fructuum, qui ex epiſcopatu à me percipiuntur, reddere rationem, ſed liberum mihi eſſe eo, quo libet modo, illos diſtribuere. quod verò ad Deum ſpectat, danda mihi diligens opera eſt, vt præter victum & cultum, eúm que frugalem, cętera quàm poſsim optimè in pios vſus diſpenſem. verum quo primum tempore huc epiſcopus ueni, repperi inſtitutum à præſtantiſsimo uiro Bloſio Palladio, quem honoris cauſa nomino, plenum quidem pietatis morem, vt certis diebus panes ad portam epiſcopatus accedentibus quibuſcunque pauperibus darentur. ſed videbam tamen eoſdem panes vtilius potuiſſe collocari, ſelectis videlicet pauperibus, qui multò ſunt plerunque indigentiores, quam ij, qui hoſtiatim mendicant. verum & hominem reuerebar, qui illud inſtituiſſet, & nouitatem repente introducere non ſatis tutum putabam. nunc verò cum ex factis ipſis intelligere iam dudum potueritis, quo animo in hac parte ſim, arbitratus ſum opportunum tempus eſſe huius eleemoſynę in vſum meliorem commutandę, id que cum non minima pauperum vtilitate. nam maiorē tritici ſummam, quàm ea fuit, quæ hactenus priore modo impenſa eſt, dabimus eo pacto diſtribuendam, quo reliquum triticum, quod huius anni initio & à clero & à uobis oblatum fuit, diſtribuitur, & eoſdem habebo teſtes optimos, ciues illos, quibus hæc à me

cura

cura credita eſt. Dicet fortaſſe hic aliquis, præſtare, ſi prior ſeruetur diſtribuendorum panum mos, fieri enim poſſe, vt epiſcopus, qui mihi eſt ſucceſſurus, ſi forte minus ad eleemoſynam dandam affectus erit, ob pudorem ſaltem eam præberet eleemoſynam, quã reperiret publicè dari ſolitam, quod non faceret in hac, quę minus apertè tribueretur. ſed ridenda eſt mea ſententia hęc propoſitio, primum enim hęc tritici ſumma, quam daturus quotannis iuuante Deo ſum, publica ſatis eſt, cum & eam me daturum, hic publicè ſim profeſſus, & ciues plurimi, qui negocium hoc tractabunt, fidem facere omnibus poterunt, ut nullus ſubterfugij locus ſecuturo epiſcopo relinquatur, qui ſi rem tam apertam perſequi recuſauerit, nihilo magis uerebitur priorem eleemoſynam, quàm iſtam auferre. deinde ſic cogitate. ſi epiſcopus, quem ſucceſſorem ſum habiturus, ueri paſtoris officio fungi uoluerit, multo maiora ab illo quàm à me eſtis habituri, ſin ex iis erit, quos paſsim cernimus nihil aliud noſſe quàm eccleſiaſticos fructus, ne putetis eum quicquam reueriturum eorum, quæ uel à me uel à quopiam alio inuenerit inſtituta. nam qui propriæ ſalutis curam prorſus abiiciunt, quo pacto aliis prodeſſe expectandi ſunt? rectè enim à quodam ſapiente eſt dictum, qui ſibi nequam eſt, cui alii erit bonus? & hæc de iſta etiam re ſint ſatis. Reliquum eſt, ut per hoſce duos, aut non multò ſecus, menſes, quibus abſens futurus ſum, eam ſeruare uitæ rationem curetis, ut cum reuertar, nihil inueniam quo mihi dolendum ſit, ſed omnia potius, quibus lætandi locupletes cauſas habeam. interea ne ceſſetis quotidianis iuuare me ueſtris ad Deum precationibus. nam cum ubique inuigilandum mihi pro uobis ſit, ubique etiam precum ueſtrarum auxilio opus habeo. Seruet uos ſeruator omnium dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

Eccl. 14.

ORATIO XLV.

SPERO ex mea hac bimeſtri, quæ ſingulis annis fa-
cienda mihi eſt, ab urbe abſentia, nos non nihil uti-
Rom.8. litatis eſſe capturos, quando diligentibus Deum, ut
ait apoſtolus, omnia cooperantur in bonum. cum
Adag. enim, ut eſt in Græcorum prouerbio, etiam mellis
ſatietas ſit, fieri poſſet, ut, ſi nullum unquam fieret interuallum
meæ uobiſcum conſuetudinis, fructum, qui ex præſentia paſtoris
capi ſolet, minus agnoſceretis, & ob eam cauſam euaderetis iner-
tiores, ac minus grati Deo. at uerò cum coniicere ex paſtoris abſen-
tia poſsitis, quantum eius præſentia neceſſaria ſit, hæc cogitatio præ
bet occaſionem, ut maiore ſtudio audiatis quęcunque uos ab eo
identidem admonemini. accedit pręterea aliud commodi, quòd
quemadmodum infans ubi aliquo ſpatio nutricis ſolatio deſtitutus
eſt, charius ei poſtea auidiúsque aſtringitur; ſic patris deſiderium
aliquot dierum efficit, ut eius aduentus multò ſit gratior atque iu-
cundior. ob hanc eandem cauſam puto Diuino nutu eſſe factum,
ut, cum ego dediſſem pro uiribus operam, ut, quo tempore abeſ-
ſem, non deeſſet hic in ciuitate concionator, mea me tamen ſpes ſit
fruſtrata, Deo opinor itá uolente, ut poſt aliquot dierum famem
uerbi Dei, auidiores ad illud accurreretis. ſic poſt noctem aut diu-
Iſa. 50. turnas nubes, atque, ut prophetæ dicunt, veſtitum ſacco cœ-
lum, ſol nobis videtur hilarior, & poſt morbum ſanitas eſſe gra-
tior ſolet, quæ, niſi interdum in ægritudines incideremus, vix agno
ſceretur, quanti eſſet facienda. breuitér que rerum viciſsitudinem
vult Deus homines ſæpius experiri, vt oppoſitorum inter ſe com-
paratione, Diuina melius intelligant beneficia. cernite enim. ante
hos duos annos erat vilis annona, nec quenquam audiebam Deo
agere gratias eo nomine, nunc verò cum eius caritas aduenit, prio
ris fertilitatis reminiſcimur, & cogitamus, cum Deus ſequentibus
annis benedixerit, nos illi fore gratiores. & profectò vtile admo-
dum eſſet, eiuſmodi viciſsitudines verſare ſæpius animo, quæ res
multò nos efficeret prudentiores. quod intelligens Salomon aiebat.
Eccl.7. in die bona fruere bonis, & diem malam conſidera. ſicut enim
hanc

hanc ſic & illam fecit Deus. hac verò cogitatione, quòd ſcilicet vtrunque à Deo proficiſcatur, fit, vt & in bonis Deo gratiores ſimus, & in contrarijs circunſpiciamus, ne forte nos in cauſa fuerimus, cur prioribus bonis deſtitueremur. quod cum in omnibus rebus faciendum ſit, tum multò magis in ijs, quæ ad animæ ſalutem pertinent, inter quę verbi Dei prædicatio facile primas tenet, & cum illius copia nobis ſuppeditat, referamus cogitationem ad ea tempora, quibus tanta erat rei tam neceſſariæ egeſtas, eáque, quòd multò erat miſerabilius, ignorabatur, cum toto ferè anno fame laboraretur. nunc verò res in contrarium verſa eſt. quo nomine maximas Deo opt. max. gratias agere nunquam deſinam, cuius munere factum ſit, vt, cum prius noua res videretur, ſi alio quàm quadrageſimæ tempore concio haberetur, & copioſam verbi Dei fertilitatem iudicaretis, quadraginta duntaxat dies toto anni vnius ſpatio concionatorem habuiſſe, iam nouum videatur, & verbi Dei penuria, ſi vel iuſtum menſem ceſſet illius prædicatio. hoc ingentem mihi lætitiam parit. fieri enim non poteſt, vt hoc deſiderium fructus ingens non conſequatur, qui fructus eò erit ſtabilior, ſi hoc munere non abutamini. quod tunc fiet, cum ſemper ante oculos habueritis, quod quidam ſapiens ait. qui gloriatur in ſubſtantia, *Eccl.10.* vereatur paupertatem: ita enim in his copijs gloriari in Domino debemus, vt metuamus, ne eæ noſtris vitijs atque peccatis nobis aliquando auferantur. qui eſt ſupremus ciuitatis interitus, cum enim defecerit prophetia (ait Salomon) hoc eſt, verbi Dei declaratio, populus corruet. qui verò audit legem, beatus eſt. nam homines omnes ijs quàm ſimillimi ſumus, qui vt ingredi valeant, baculo indigent, quo ſiquando deſtituuntur, feruntur in terram. ſic nimirum nos. vt ipſo experimento cernimus, tandiu ſtamus, dum Diuinis monitis ac ſacrarum ſcripturarum doctrinæ innitimur, quę vbi deſunt, continuò in aliqua peccata prçcipites ruimus. Eſt etiam Diuina lex inſtar calcarium, qui inertioribus equis adhibentur, vt currant, eántque velocius. iccirco aiebat Salomon. verba ſapientum *Eccl.12.* quaſi ſtimuli, & velut claui in altum defixi. hi ſtimuli & hi claui adhibendi nobis aſsiduè ſunt, ne in medio curſu ob inertiam deſtituamur, ſed ad metam feliciter victores feramur. Quare tempus eſt ad Euangelicum montem reuerti, ingentem ſanè montem, in quo cum iam penè duos annos tam multa confecerimus ſpatia, tertiam

tamen

tamen duntaxat partem illius tanto temporis ſpatio contigit abſoluiſſe, quod ſpatium, ſi libet, ante quàm ad ulteriora progrediamur, hodie ſedentes reſpectantes quæ contemplemur, imitantes eos, qui iter agentes metiuntur oculis, præſertim in montoſis atque editis locis, ſpatium quod peregerunt. quod neceſſarium etiam factu mihi videtur ob eos, qui vel non interfuerunt, quo primum tempore in montem hunc aſcendimus, vel certe egregia hæc ſpatia ſunt obliti. Diximus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſummam Euangelicæ philoſophiæ in hoc monte docuiſſe, atque in primis beatitudinem, quam omnes expetunt in ijs rebus colloca uiſſe, quæ longè ab hominum opinione ſunt diuerſæ. omnes enim diuitias rem beatam putant, & alijs eſſe ſuperiorem, nemini cedere, riſibus & iocis operam dare, nunquam ſame vel ſiti laborare, nulla habita indigentium ratione, ſua commoda quærere, cor ſuum laſciuijs & carnis appetitionibus exſaturare, excitare bella, nullius perſecutione, nullius probris fatigari. at ipſe nimirum Dei filius ac ſapientia patris contraria ijs omnia prędicat, & beatos appellat pauperes, & eos qui ſubmiſſę ſe gerunt. item eos qui cedunt repugnanti. qui lugent. qui eſuriunt & ſitiunt. qui de ſuis facultatibus largiuntur eleemoſynam, & aliquid ſibi de neceſſarijs, vt alienæ inopię ſubueniant, detrahere contenti ſunt. qui mundum ſeruant cor. qui pacem inter diſsidentes faciunt. qui perſecutionem patiuntur, & malè ab aduerſarijs audiunt. Hoc ſermonis procemium ſi bene penitus animo affigeretur, nulla re alia egeremus, vt Euangelici homines euaderemus. quid enim eſt, quod efficit, ut tam longè ab hac philoſophia ſimus, niſi hoc unum quòd paupertatem, quam Chriſtus rem beatam vocat, exhorreſcimus, expetimúſque diuitias? quòd ineptam lætitiam luctui anteferimus? quòd nemini cedere uolumus? quòd omnia tentamus, ne eſurire aut ſitire contingat? quòd miſereri negligimus, nequid de facultatibus imminuatur? quòd munditiem cordis auerſamur? quòd triumphamus cum diſcordijs ac litibus implicamur? quòd rem horroris plenam opinamur perſecutionem pati ac probris affici? cernitis quàm ingens malum ſit, Euangelica negligere fundamenta, quæ cum malè locata fuerint, nulla queat ſtructura perdurare? ſed pergamus reliqua. His iactis fundamentis docet, quales eos eſſe oporteat, qui inſtituuntur vt alijs præſint, admonét que,

cos

eos eſſe ſal terræ, & lumen mundi. qui & ipſi ſi hoc intelligerent, longè tranquilliorem orbis Christianus ageret vitam. cum enim ij, qui præferre alijs lucem debent, craſsioribus circunfuſi ſunt tenebris, quid reſtat, niſi quod in hoc eodem ſermone Dominus ait. ſi lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? *Mat.5.*
Geminis hiſce partibus tanquam præcipuis abſolutis, oſtendit ſe venisſe, vt legi ſuam adderet perfectionem, quæ nimirum erat, vt non ſolum externa facta, quod legis ſuperficies literæ uelle videbatur, cohiberet, uerum etiam interiores animi motus affectúſque perpurgaret. hoc enim ingreſſuris regnum cœlorum eſſe neceſſarium. quare quam pœnam lex ſtatuit homicidæ, eandem in Euangelio Dominus uult infligi ijs, qui ſine cauſa fratri iraſcantur. adulterium lex prohibet, at Euangelium, ipſam alienę vxoris concupiſcentiam pro iam patrato adulterio habet. lex periurium tantum non etiam iuramentum prohibet: Euangelium uult, ne omnino iuretur. lex vltionem permittit, oculum pro oculo, dentem pro dente. Christus verò prohibet reſiſtere malo, & præterea uult, vt percutienti maxillam obuertamus aliam, uolenti tunicam tollere permittamus & pallium. denique lex permittit odiſſe inimicum, at Christus iubet vt inimicos diligamus, ijs bene precemur, benefaciamus, ac pro ijs oremus, & cauſam reddit, cur hoc ſit faciendum. *ut ſitis* (inquit) *filij patris ueſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum exoriri facit ſuper malos ac bonos, & pluuiam mittit ſuper iuſtos & iniuſtos.* æquum enim ſanè eſt, vt qui filij Dei & eius hæredes regni futuri ſunt, patrem ſuum imitentur, alioqui tanquam ſpurij indigni ea hæreditate, quæ ſolis legitimis debetur filijs. addit pręterea aliud, quò magis ad id præſtandum exſtimulemur, quòd ſcilicet oporteat filios regni aliquid amplius efficere, quàm ij, qui ad regnum nihil pertinent. *ſi enim dilexeritis* (inquit) *eos qui nos diligunt, quod præmium habetis? non'ne & publicani idem faciunt? &, ſi ſalutaueritis fratres ueſtros tantum, quid amplius facitis? non'ne & publicani hoc faciunt?* & ſanè ita eſt, ſi enim nihil agimus ſupra id quod ij faciunt, qui à regni cogitatione ſunt alieniſsimi, quomodo regni mercedem audebimus expectare? qua in re cogitare licet, quo in gradu ſint ij collocandi, qui tantum abeſt, ut inimicos ament, ut etiam plerunque eos amicos auerſentur, qui eorum ſaluti conſulunt, vbi eorum appetitionibus non acquieſcunt, qui magna mihi ciuitatis pars eſſe ui-

Exo.20. Deu.5. Mat.5. Exo.20. Mat.5. Leui.19. Exo.20. Deu.5. Mat.5. Exo.21. Deu.19. Mat.5. Leu.19. Mat.5. Mat.5.

ſe uidentur. Hactenus in Euangelico hoc monte progreſſum eſt, nunc ad ea, quæ reſtant, attentius audienda præparemur. & ſequenti Dominico die frequentes adeſtote. nam ſatis ſit hodie, quod hactenus dictum eſt. faciendum enim eſt in hac parte, quod ijs fit, qui multorum dierum ſpatio ſame laborauerunt. datur enim illis cibus ad menſuram, quorum ſi appetitioni indulgeretur, ſtomachus, qui imbecillus factus ſit, ferre non poſset. ita & uos, cum duorum menſium famem ſitis paſsi, modico hodie cibo contenti eſſe debetis, dum ſtomachus aſſueſcat, fiát que robuſtior. tunc copioſiora alimenta ſuppeditabuntur, quæ nunquam nobis eſſe deſutura, pollicitus eſt Seruator ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus.. cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO XLVI.

Matt.6. ATTENDITE *ne iuſtitiam ueſtram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis, alioqui mercedem non habetis apud patrem ueſtrum qui in cœlis eſt.* Videte quàm opportunè ſuperiori oratione ſummam eorum, quæ hactenus in hoc Domini ſermone dicta ſunt, paucis fuerimus complexi. hoc enim niſi fuiſſet factum, non intelligeretis, quàm pulchrò ordine doctrina hæc pertractaretur. audiſtis additam fuiſſe legi ſuam perfectionem, & oſtenſum, eos qui in regnum cœlorum ſunt ingreſſuri, oportere ab radice ipſa peccata euellere, nequid impuri omnino remaneat. nunc admonet, plurimum referre, quo quis animo quid faciat. bonum enim (ait uir quidam doctiſsimus) non eſt bonum, niſi bene fiat. tunc autem bene fit, cum ad Deum refertur. eatenus enim res bona eſt, quò eam Diuinorum pręceptorum regulis metimur. Deus enim certa & iuſta rerum menſura eſt, non autem homo, ut quidam externorum philoſophorum opinabantur. qua in re obſeruandum eſt diligentius, quàm multa amittant homines bona, & quàm multis laboribus fruſtra tota uita conficiantur ob hanc unam cauſam, quòd in factis ſuis hunc ſibi ſcopum non proponunt. cernas parentes nullam pati requiem, & vſque ad mortem defatigari liberorum gratia,

qui

qui tantum abeſt, vt vllum tantorum laborum fructum à Deo refe-
rant, ut plerunque in Geennam etiam & ſempiterna illa incendia
relegentur. quamobrem? quia non proponunt Deum ante conſpe- *Pſal. 53.*
ctum ſuum; neque tam anxij ſunt, quo pacto eos in uia Dei edu-
cent, atque ad regnum, ad quod creati ſunt, forment, quàm qui-
bus artibus maximas illis relinquant facultates. & vide vt dignas in
hac ipſa etiam vita pœnas dent, neque expectent, dum in futura ex-
crucientur. ſolent enim huiuſmodi parentum filij cęteris eſſe mul-
tò intemperantiores, nimirum paternis facultatibus confiſi, & ſem
per aliquid agunt, quo parentes in perpetuis curis moleſtiis que de-
gere cogantur. totùm que non tam filijs quàm parentibus eſt aſcri-
bendum, qui ſi finem infinitę illi acquirendi cupiditati ponerent,
&, cum illis contigit quod ſatis eſt ad vitæ neceſsitatem, nihil am-
plius optarent, cernentes filij viuendum ſibi cum virtute eſſe, ſi vi-
uere honeſtè uelint, uiuerent temperatè, ſolatio eſſent parentibus;
inuenirent parentes ſemper aliquid, quo pauperes & Chriſti fra-
tres alerent, agerent vitam hanc tranquilliſsimam, ac demum in il-
la ęterna tabernacula reciperentur. nunc verò in contrarium omnia *Luc. 16.*
illis vertuntur. Quòd verò ea quæ diximus in cauſa ſint, inſpicite
eos liberos, qui tenuiori fortuna ſunt, intelligunt que oportere in *Gen. 3.*
ſudore vultus, quemadmodum homini fuit imperatum, veſci pa-
ne, maximo eſſe parentibus oblectamento, virtutibus operam da-
re, & rem ſemper amplificare domeſticam, quod illis alteris con-
tra accidit, ut in dies ſemper facultates imminuant. In eundem
modum mercatores, artifices, cæteri que negociatores, quicunque
negocia ſua non exercent hoc animo, vt in ipſis, omnibus in re-
bus Deus honorificetur, quod eſt, cum exercere artes ſuas cogi-
tant, non tam vt ipſi lucrentur, quàm vt Diuino præcepto obe-
diant, atque vt proximo cuique proſint, & habeant, quemadmo-
dum docet Paulus, vnde præbeant neceſsitatem patienti. ijs in- *Ephe. 4.*
quam, qui non ita affecti ſunt, tantos labores perdunt, ut nihil
apud Deum præmij mereantur. qui ſi eum, quem dixi, ſcopum ha
berent, fructum maximum repoſitum in cœlo inuenirent, non mi-
nus quàm ij, qui in ſolitudinibus uitam ob fruendi Dei amorem
agunt auſteriſsimam. Et hæc quidem dicta ſint, vt obſeruetis at-
tentius, quæ hoc loco a Domino dicuntur, & in factis omnibus
veſtris eorum recordemini, omnia que ad Deum referatis, ſi non

ſolum æternam aſſequi vitam , uerum etiam hanc habere tranquil-
lam vultis, nunc ad Domini verba reuertamur. *Attendite ne iuſti-
tiam ueſtram faciatis coram hominibus.* de eleemoſyna loquitur, ut
ex ſequentibus liquet. uerum in Græco uariat lectio. nam ubi nos
uertimus iuſtitiam , alij textus habent δικαιοσύνην alij ἐλεημοσύνην.
quam uariationem puto accidiſſe ob ignorationem proprietatum
Hebrææ linguæ. nam apud Hebræos opus eleemoſynæ iuſtitia vo-
catur, quemadmodum in pſalmo legitur. cum enim eleemoſynæ
feciſſet mentionem, dixiſſet que, diſperſit, dedit pauperibus, adie-
cit, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. quare uериſimile eſt, hoc
loco Euangeliſtam poſuiſſe *iuſtitiam*, quod in Græco dicitur δικαιο-
σύνην, eos uerò, qui cernerent hic ſermonem haberi de eleemoſy-
na, ſed ignorarent locutionis proprietatem, repoſuiſſe ἐλεημοσύνην.
ſtet ergo, vt uetuſta habent exemplaria, nomen iuſtitiæ, quo
tamen eleemoſyna ſignificatur, & rectè profectò. nam quid iuſtius
eſt, quàm eleemoſynam præbere indigentibus, quibus uel ſola com
munis naturæ cogitatio exſtimulat, ut benigne faciamus? contra
uerò quid magis iniuſtum quàm id non præſtare? quod niſi eſſet,
nunquam in terrifico illo Chriſti iudicio prætermiſsis tot tantiſque
tam ſceleratè factis, quæ tamen omnia ſeuerißimè caſtigabuntur,
Mat. 25. ſola fieret eorum mentio, qui miſericordes in pauperes non fuiſ-
ſent. qui ob hanc cauſam in primis in Geennam & ſempiterna in-
cendia, prædicuntur conijciendi. & mirum ſanè, cum iudicij illius
mentio fit, nihil commemorari aliud propter quod uel æternis præ
mijs donandi ſint homines, uel æternis pœnis afficiendi, niſi quòd
uel miſericordes fuerint uel immiſericordes. hoc autem nullam
aliam ob cauſam fieri poſſe uideo, niſi quòd & maximum eſt iuſti-
tiæ opus eleemoſyna, & crudelem eſſe ac non flecti miſericordia in
pauperes, neque eorum ſuccurrere neceſsitatibus, ſumma iniuſti-
tia eſt, & tanta ut nullæ excuſationes, quas uobis nunc prætexitis,
ſint ualituræ, quia inanes eſſe arguentur, quamuis eæ nunquam uo
bis deſint. nam rectè quidam externus dixit. negandi cauſam aua-
ro nunquam deficit. num ignoratis Seruatorem Chriſtum, qui eſt
Pſ. 140. ſapientia patris, ſciuiſſe omnia quæcunque adhibere ſoletis ad ex-
cuſationes in peccatis? & tamen nullas ipſe admittit. atque ut eas
uoſmet ipſi inanes eſſe poſsitis iudicare, ſic cogitate, & ſic breuiter
colligite. ſi excuſationes, quas adhibere ſolent ij etiam, qui ſe pro-
bos eſſe uolunt, admittantur, nunquam ea miſericordia, quam iu-

bet Chriſtus, poterit in pauperes exerceri. at Chriſtus eos condemnaturus eſt, qui eam non exercuerint, & iuſtè condemnaturus, neceſſe eſt ergo, ut eæ excuſationes iniuſtæ ſint, nulló que nitantur fundamento. ſed quando de hac materia ſæpe ac fuſius ex hoc loco ſumus locuti, ſatis ſit hæc obiter in præſentia tractauiſſe ut oſtenderemus, appoſitiſsimè eleemoſynam à Domino appellatam fuiſſe iuſtitiam. nunc cętera perſequamur. Iubet Dominus, *ne iuſtitiam noſtram*, hoc eſt, eleemoſynam faciamus coram hominibus. quid? nón ne omnia rectè facta in luce collocari ſe uolunt? quod ne me putetis externi alicuius ſententia niti, recordamini, quid ipſe Dominus in hoc ipſo ſermone admonuerit, cum ait. luceat lux ve- *Mat.5.*
ſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. quid ergo eſt, quod hic ait. *attendite ne iuſtitiam ueſtram faciatis coram hominibus?* ſed uide quid addat, *ut uideamini ab eis*. nihil ergo in hac gemina horum duorum locorũ ſententia contrarij eſt, cum & ſuperius iuſſerit, vt fiant recta opera coram hominibus, vt non nos ſed noſtra opera cernantur ad gloriam patris, nam gloria patris eſt filius ſapiens & probus, hic verò *Pro. 13.*
vetat fieri eadem opera, non vt opera non videantur, ſed ne opte- *20.*
mus nos videri ac laudari ab hominibus. iuſtitia ergo noſtra fiat quidem etiam coram hominibus, cum opus ſit, ſed non eo animo vt uideamur ab hominibus, hoc eſt, vt laudemur, & gloriam venemur ab eis. *alioqui mercedem* (inquit) *non habetis apud patrem ueſtrum qui in cœlis eſt*. diximus enim ea duntaxat eſſe recta opera ac præmio digna, quæ ob Dei gloriam fiunt. qui ergo facit eleemoſynam, vt ipſe probus habeatur ac laude dignus, non vt per illam in pauperes miſericordiam accedat Deo gloria, non rectè facit. at Deus recta duntaxat facta munerat. is ergo mercedem habere apud cœleſtem patrem non poteſt. at hæc vna merces eſt æſtimanda. quæ enim ea eſt, quæ haberi ab homnibus conſueuit? nimirum vmbrę ac ſomno ſimilis, quemadmodum omnia quæ ab hominibus queunt proficiſci. *Cum ergo facis eleemoſynam* (inquit) *noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & uicis, ut honorificentur ab hominibus*. hypocrita Gręca dictio eſt, quo nomine appellabantur mimi & hiſtriones, qui in ſcena aliorum perſonas ſimulant. ab illis ergo videtur accepta appellatio, vt cum aliquem cernimus ſimulare aliud quàm ſit, hypocritam appellemus. qui

ergo volebant exiſtimari miſericordes, & gloriolam venari apud homines, iubebant, vt cũ fiebat eleemoſyna, tuba pręcederet, quaſi ad acceſſendos pauperes, cum tamen per hoc ſuæ glorię ſtuderent. cupiebant que hæc fieri in conuenticulis & vicis, vbi frequens eſſe ſoleret turba. itaque ij, qui non ob miſericordiam in pauperes, ſed ad aucupandam gloriam hoc facerent, hypocritę erant, dum ſimulabant probitatem, vt eleemoſynæ pretextu gloriam apud homines aſſequerentur. de ijs itaque audi quid dicat Dominus. amen dico vobis habent mercedem ſuam. cum enim in hoc facto nulla rectè facta ſint, mercedem apud cœleſtem patrem habere non poſſunt. quid verò ſi ne apud homines quidem habent? ſit enim plerunque vt homines intelligant eorum hypocriſim, & pro laude illis crimen impingant. cum ergo hoc accidit, quo pacto verum ſit quod ait Dominus, illos habere mercedem ſuam? merces eorum eſt inanis illa opinio, qua opinantur ſe per illud factum gloriam aſſecuturos, ſi etiam nulla ex hoc hominum commendatio conſequatur. hoc enim commune eſt cum rebus omnibus, quæ huius tantum vitæ contẽplatione fiunt, vt eorum fructus in ſola opinione verſetur. putat ſe beatum auarus & ſibi plaudit, dum nummos in arca contemplatur, quamuis populus illum ſibilet, ac omnes execrentur. alius quòd dominetur, & multis pręſit, tametſi vt tyrannum illum omnes auerſentur. mulieres placere ſe putant, & felicitatem ſummam arbitrantur, cum ornatæ in ſimilitudinem templi (vt ait pſaltes) incedere poſſunt, & tamen eas optimus quiſque deteſtatur, quę tot opes perdant, dum ſuo mundo muliebri inſeruiunt, quę ſolę pauperum inopię idoneę eſſent ſubuenire. ij omnes ne ab hominibus quidem fructum vllum referunt, nedum ex Deo, ſed inani ſolum opinionis errore paſcuntur. ſed videamus quid in his admoneat Dominus. *Tu verò cum facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quod facit dextra tua, ut ſit tua eleemoſyna in occulto, & pater tuus qui uidet in occulto, ipſe reddet tibi in propatulo.* ſiniſtram neſcire quid faciat dextera, prouerbium eſt, quo ſignificatur rem fieri quàm poſſit occultiſsimè. verum in eiuſmodi locutionibus mens loquentis potius inſpicienda eſt quàm iſta verba, alioqui illud ſequetur, quod

Pro. 19. ait Salomon, qui tantum verba ſectatur, nihil habebit. quin & in

Matt. 5. peſſimos errores incidemus, ſi hoc fiat. ſi enim, cum Dominus

Mar. 9. de eruendo dextro oculo, & abſcindenda manu loquitur, ſerua-

re

re hoc ad literam velis, nequaquam ſententię Domini ſcopum aſſe
queris. ita & hoc loco ſi intelligas velle Dominum vt nullo ſpectan
te fiat eleemoſyna, primum facis illum ſibi contrarium, cum alibi
dicat. luceat lux veſtra, nimirum rectè factorum, coram hominibus, *Luc. 16.*
vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum, qui in
cœlis eſt. deinde cogeris eos vituperare, qui in Euangelio laudan-
tur. nam ſummę laudi datur Zacchæo, quòd dimidium bonorum *Luc. 19.*
ſuorum pauperibus dederit. at is palam coram Chriſto & omnibus
qui præſentes erant, prędicauit ſe id agere. Sunt quædam è cœno
bijs Caſinatis reipublicæ meę, quæ veteri inſtituto præter quotidia-
nas eleemoſynas, ſolennes præterea quaſdam alias faciunt certis die
bus, ad quas magno campano ęre, quod ad aliquot millia paſſuum
auditur, circumiacentes pagi accerſuntur, neque tamen contra Euã
gelicũ pręceptum hoc fit. non quia pro tubis campano ęre vtantur,
hoc enim eſſet ridendum, ſed quia ſonitu illo non gloriam accupan
tur, quod damnatur à Chriſto, verum admonentur pauperes, qui
longius diſtant, alioqui ob rei ignorantiam non acceſſuri. Præterea
ſi aliquot è ciuibus veſtris de facienda eleemoſyna colloquerentur,
& certatim contenderent alter altero plus dare, atque inuicem ſu-
perare, hoc illis daretur vitio? Deus meliora. Quid? cum ſequen
ti Decembri menſe, naſcituro Chriſto inſtaurandę erunt nuptiæ,
nõn ne erit neceſſe (ſi egregij aliquid agere volueritis) eadem vti lau
datiſsima æmulatione, & ſingulas ciuitates conuentum agere, & co
nari pro viribus, nequa alteri cedat, ac inferior reperiatur, quam-
uis futurum ſit, vt, quemadmodum ſuperiore anno eſt factum, epi
ſcopus omnium ſocietatum nomina ex hoc loco pronunciet? quod
cum fiet, non poterunt omnino latere etiam priuati, ex quibus co
getur hæc eleemoſyna. neque tamen contra Euangelicum præce-
ptum quicquam erit factum. cernis vt oporteat circunſpectè ac
prudenter verba Domini interpretari, & intelligere hunc eſſe ver-
borum illius ſenſum, ne in facienda eleemoſyna quæratur homi-
num gloria, & ſolus Deus præ oculis habeatur? quod cum fit,
tunc neſcit ſiniſtra quod facit dextera: tunc enim animus ſolus eſt,
& ab omni hominum aſpectu ſemotus, ſi etiam ſpectante toto ter-
rarum orbe id faciat. neque diſplicet pia quorundam interpretatio,
qui per ſiniſtram accipiunt animum non rectè affectum, vt eſt eo-
rum, qui in ſuis rectè factis, quærunt humanam laudem, per dex-

teram

teram verò rectum opus, vt ſit ſenſus. tuis rectè factis non intermi
ſceatur peruerſæ quicquam voluntatis. tunc enim erit eleemoſyna
tua in occulto, *& pater tuus qui uidet in occulto*, hoc eſt, qui cer-
nit id, quod homines non intuentur, cuius intuitus ſolus eſt æſti-
mandus, *reddet tibi in propatulo*, nimirum in reſurrectione iuſto-
rum. Idem ipſum facere admonemur, cum precamur Deum. ait
enim. *& cum oraueris non eris, quemadmodum hypocritæ*. nam illi
ſolent in conciliabulis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt con
ſpicui ſint hominibus. Ii ex eorum genere erant opinor, de quibus
Mat. 23. ait Dominus. væ vobis Scribæ & Phariſęi hypocritæ, qui comedi-
tis domos viduarũ, id q; prætextu prolixæ orationis. quibus vereor
plenum eſſe nunc Chriſtianum orbem, qui vt quotidianum victum
corradere poſsint, ſpiritualem vitam profitentur, & quemadmo-
2. Ti. 3. dum ſcribit Paulus, & admonet Timotheum vt eos deuitet, qui pe
netrant domos & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis,
quę ducuntur varijs deſiderijs, ſemper diſcentes, & nunquam ad
ſcientiam veritatis peruenire valentes. hos appellat idem Paulus &
eodem loco, voluptatum amatores magis quàm Dei. habentes ſpe
ciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. &, quo-
niam ait hoc in nouiſſimis diebus futurum, & ea tempora fore pe-
riculoſa, hæc opinor eſſe illa tempora. hi enim implent orbem ſu-
perſtitionibus prętextu vitę ſanctioris, & nihil minus docent, quã
Euangelicam & Chriſtianam vitam, & magis anilia introducunt,
Tit. 1. quàm olim Iudęi, quos ad Titum ſcribens Paulus taxat, & appel-
lat mentium ſeductores qui totas domos ſubuertunt, docentes quę
non oportet, turpis lucri gratia. & paulo poſt arguit, quòd atten-
derent pręceptis hominum, auerſantium veritatem. mirũ eſt enim
quàm fabulas introducant, quibus mulierculis ac ſimplicioribus
perſuadent, ijs vitam ęternam comparari. erant ergo & tunc eiuſ-
modi homines, qui vbi cernebant hominum conuenticula, & vbi
poterant à pluribus conſpici, vt ſunt anguli platearum, vbi videli-
cet plures concurrunt vię, ibi ſe in preces dabant, vt conſpicui eſ-
ſent, ex quo & gloriolam venabantur, & pecuniam corradebant,
hi familiares habent domos viduarum, & eas deuorant. ſuſpecta
eſt mihi prorſus eiuſmodi oſtentatio. ob hanc cauſam ſuperioribus
menſibus cum hic vidiſſem in templo quendam, qui Chriſti cruci-
fixi figuram ligno affixam circunferebat, iuſſi illum mox à Fulgina

te di-

te diœceſi recedere, neque vſquam concionari. vix enim adduci poſſum vt credam, eiuſmodi circumforaneos recta vti mente, & non potius eſſe impoſtores, à quibus moneo vt diligentiſsimè caueatis. Hos vbi damnauit Dominus, oſtendit que & iſtos habere mercedem ſuam, docet, quid agendum in hac re ſit, & ait. *tu uerò cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio tuo ora patrem tuum, qui eſt in occulto, & pater tuus qui uidet in occulto, reddet tibi in propatulo.* Etiam hoc loco eadem obſeruanda ſunt, quę de eleemoſyna ſunt dicta, cum declararemus quo pacto facienda in occulto eſſet. quod niſi fiat, in multos laqueos induemus. à quibus non erit facile nos expedire. primum enim uideretur Paulus contraria docuiſſe, cum dixit. uolo uiros orare in omni loco, ſuſtol- *1. Ti. 2.*
lentes puras manus, nec ueritus fuit, ne illo manuum geſtu orare deprehenderentur. deinde quid ſi deſit conclaue? ſi oſtium non adſit? ſi ſit ſine lare & foco? ſi in media hominum multitudine captus detineatur? num ob hęc impedimenta ceſſandum à precatione eſt? aut ſiquis inter hæc precetur, pręcepto Domini aduerſabitur? quis hoc ſanę mentis dicat? quid ergo? ad animum ingrediendum eſt, qui optet ſolum Deum eſſe ſuarum precum inſpectorem, & alienus ſit ab hac appetitione, ut ſcilicet conſpicuus hominibus fiat, tunc in medio etiam foro erit ſolitarius nihilo minus, quàm ſi intra cubiculum clauſo oſtio ſe recepiſſet. neque enim cum *1. Reg. 1.*
Anna petijt Samuelem, in conclaue ingreſſa fuit, nec Eli ſacerdotis præſentiam eſt verita, quia perinde erat ei, ac ſi non affuiſſet. & altera Anna filia Phanuel non diſcedebat è templo, ieiunijs & obſe- *Luc. 2.*
crationibus ſeruiens nocte & die. apoſtoli quoque erant perdu- *Act. 1. 2.*
rantes vnanimiter in templo. & Petrus ac Ioannes aſcendebant in *Act. 3.*
templum ad horam orationis nonam. hi autem omnes cum ubicunque eſſent, nil ſpectarent aliud, quàm ipſum Deum, perinde erat, ac ſi intra conclaue ſemper clauſi eſſent, & ſemper orabant patrem in occulto, qui & ipſe in occulto eſt, quia aſpectibus hominum non patet, tametſi præſens ubique ſit. Concludit autem hanc ſententiam, quemadmodum & ſuperiorem, & ait. *& pater tuus qui uidet in occulto, reddet tibi in propatulo.* quando? cum in conſpectu totius orbis terrę & hominum & angelorum reddet vnicui- *Mat. 16.*
que ſecundum opera ſua. illa erit vera retributio ac vera merces & gloria. nam hominum gloria, quid eſt aliud quàm ſomnium quod

dam?

dam? nam & ſomniamus plerunque nos eſſe reges aut ingenteis theſauros reperiſſe, & dum ſomnium illud perdurat, tandiu id eſſe uerum putamus, at ubi ſumus experrecti, tum demum intelligimus nos è ſomnio fuiſſe deluſos. hos uidetur notaſſe propheta cum

Pſal. 75. dixit. dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus ſuis. quòd ſcilicet tota uita dormiant. ac ſomnient, quod non prius agnoſcunt, quàm hoc uitæ ſomnium finiatur. tum denique ſed ſerò intelligunt, hoc ſomnium ſibi impoſuiſſe. nos ergo dormimus nunc, & mira ipſi nobis fingimus ſomnia, quoties humanis honoribus nos credimus honeſtari, quibus plerunque minus fruimur, quam ij, qui illos per ſomnium habent. quàm multi enim in ipſo honoris initio extincti ſunt, & plus moleſtiarum quàm voluptatis eo ipſo tempore habuerunt, quod in ſomnio non accidit? rectè autem uir quidam inter externos eruditus uitam hanc appellauit umbrę ſomnium. perinde cum fallantur omnes, quicunque his rebus fidunt, ij tamen minus falli ſolent, qui interea quandoque, quemadmodum interdum fit in ſomno, ſuſpicantur, ſecúm que ipſi dicunt, fortaſſe uera non ſunt, quæ nunc nobis apparent, fortaſſe nunc ſomniamus. qui inter hæc ſomnia ſic affectus eſt, ſolus ſapere uidetur. quod de Tireſia quidam poëta ait, cæteri umbræ uolant. & ſanè gloriam hic expetere abiecti prorſus animi eſt, neque facile inuenias generoſiores homines, qui admodum gloriæ ſint appetentes. & quo pręſtantiores ſunt, eò minus hanc curant. cogitate enim. ſiquis corporis uiribus ſibi placet, ſi lupum ingentem aut aprum ſolus interficiat, ſummam expectat ab hominibus laudem, quòd ſi urſum uel leonem, dignus ſibi

Iudi. 4. uideretur, qui inter Deos numeraretur. at Samſon fortiſsimus omnium, quos unquam hiſtorię prodiderunt, obuium habuit catulum leonis ſęuum ac rugientem. at is leonem dilacerauit, perinde quaſi hœdum in fruſta diſcerperet, cum telum nullum in manu haberet. quod tamen ita egregium facinus ne parentibus quidem indicauit, qui in eodem erant itinere, ſed non fuerant ſpectatores.

1. *Re.* 17. ſic Dauid cum paſceret gregem patris adhuc puer, cum leo aut urſus accederet ac tolleret arietem, perſequebatur eos & cædebat, demúm que prædam ex eorum ore eruebat. cúm que illi inſurgerent in eum, ipſe apprehenſo eorum mento illos ſuffocabat, atque interficiebat. neque unquam ex hoc facto gloriatus eſt, niſi cum

coactus

coactus fuit narrare hęc Sauli regi, metuenti ne in tam tenera ętate giganti illi Philiſtæo nequiret obſiſtere. tunc enim rem narrauit, & totum Deo acceptum retulit. dixit enim. Dominus qui eripuit me de manu leonis & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſtæi huius. cernis, ut quò quis eſt animo generoſiore, hunc eò minore teneri glorię appetitu? quare ueriſsimum eſt, abiecto plurimum eſſe animo, quicunque eius deſiderio vehementius tenentur. quid? quòd ſępiſsimè qui gloriam expetunt, fruſtratur illos ſua ſpes, ij uerò laudem aſſequuntur magis, qui eam contemnunt? eſt enim genus hominum natura contentioſum, & quod libenter alterius factis ſeſe obijciat. cum ergo cernunt quempiam gloriæ honorúmque appetentem, nulla non excogitant impedimenta, quibus optatis priuetur honoribus, uel quia illi inuident, vel quia indignantur eum uelle alijs antecellere, cum ferè huius generis homines multò ſibi plura arrogent, quàm par eſt. cum verò quempiam intuentur pręſtantem multíſque virtutibus præditum, & nihilo tamen minus nihil ſibi arrogantem, ſed potius multa ſibi de animi dotibus detrahentem, quò hic magis honores auerſatur, eò maioribus honeſtare illum omnes certatim ſtudent. Cogita, præterea quàm ſit verum, quod quidam externus dixit, nihil poſſe videri magnum ei in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiúſque mundi nota ſit magnitudo. finge enim quempiam totius terrę imperium fuiſſe adeptum, quod tamen nemini adhuc legimus contigiſſe. quantum tandem illud eſt? cum terra, ſi cum hoc vniuerſo conferatur, inſtar puncti ſe habeat. ſi ergo nihil magni eſt, totius terræ eſſe Dominum, cum nihil ſit aliud quàm ex hoc vniuerſo punctum duntaxat poſſediſſe. qui huius puncti partem quamuis magnam tenent, quò pacto ſe aliquid poſsidere queunt gloriari? ſi cerneremus geminum formicarum agmen infenſis animis decertare pro unius laterculi ſpatio, rideremus earum contentiones, nec ridemus regum ſtultitias, qui pro longè minoribus rebus tantas opes, tantum humani ſanguinis temere profundant. Adde hic quàm anguſtis vitæ terminis ſimus circunſepti, & hac vna contemplatione, ſi totius vniuerſi huius imperium ſub tanta vitæ breuitate promitteretur, non deberemus eo eſſe contenti. confer enim quamuis longiſsimam ætatem cum æternitate, ne vnius quidem horæ rationem habebit. at vnius horæ ſpatio velle nomen aſſequi, nón ne puerile

 eſt?

eſt? quare deſinamus tandem aliquando eſſe pueri, quorum proprium eſt parua duntaxat ac ludicra cogitare, & viriles induamus cogitationes, eáſque ad illam æternitatem referamus, quæ parata nobis eſt, & ad quam ſumus facti. ſpectemus illa ampla cœli ſpatia & penè immenſa, quæ tanta ſunt, vt minima è ſtellis, quę ſentiri aſpectu poteſt, maior tota terra eſſe deprehendatur. illuc accerſimur, illuc eſt feſtinandum, vbi vera & ſolida gloria eſt, eá que immenſa ac ſempiterna. hic nihil ſynceri eſt, omnia vmbræ & ſomnia,
Iob. 13. fluxa omnia, & nunquam eodem in ſtatu permanentia. illic ſolida omnia, & in perpetuas æternitates eadem duratura. ibi ea merces eſt, quàm Seruator Chriſtus dixit nobis eſſe reddendam in propatulo à cœleſti patre, qui cum eodem filio & ſpiritu ſancto, eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO XLVII.

ORANTES *autem nolite multum loqui ſicut ethnici. putant enim ſe ob multiloquium ſuum eſſe exaudiendos. ne ergo efficiamini ſimiles iſtorum.* Superioribus uerbis reprehenderat Iudæorum vitium, qui peccaturi ſtudebant magis humanæ gloriæ, quàm vt per eam precationem Deo coniungerentur, cuius rei gratia oratio eſt inſtituta. nunc aliud vitium reprehendit, quod ethnicorum eſſe dicit. qui cum nihil ſyncerum de Diuinitate haberent, putabant idem eſſe cum Deo agendum, quod cum hominibus ſolemus, quos uerborum artificio & copia ſæpe in ſententiam noſtram trahimus, dum vel rem apertius illis explicare ſtudemus, nequid ob ignorantiam peccent, vel inclinare illorum animum ac nobis conciliare, quem metuimus, ne abalienatus à nobis ſit, uel ab aduerſarijs in contrariam ſententiam inflectatur. at nihil horum cadere in Deum poteſt. nam ſcit omnia, neque doceri à quoquam opus habet, & preterea paratus ſemper eſt ad nobis benignè faciendum, modo ne vitia noſtra atque peccata impedimento ſint, quò minus copioſiſſimè ſua in nos conferat beneficia. Sed cauendum eſt, nequis in eorum uerborum intelligentia decipiatur. cum enim dicit, nos in pre-

 catio-

cationibus noſtris non debere eſſe multiloquos, non prohibet, quia prolixa vtamur oratione, ſed dicit non eſſe imitandos ethnicos, qui ſola nituntur verborum multiplicatione, & eo pacto ſe putant exaudiendos. quod apertius Græca uox oſtendit, μὴ βαττολογήσητε quæ vox à quodam Batto inepto poëta formata fertur, qui in uerſu ſæpius eadem repetebat. ſola ergo replicatione verborum abſque affectu nihil opus eſt. nam profuſum ſermonem verborúmque vo lubilitatem nulla ſubiecta ſententia neque ſcientia, etiam clariſsimi oratores rem furioſam appellauerunt. vbi verò vehemens atq; intentus affectus eſt, nulla vituperatur quamuis longa precatio. non enim ibi eſt ſonitus inanis verborum, ſed piè atque ex intimo pectore deprompta precatio. nam & de ipſo Domino ſcriptum eſt, *Luc. 6.* quòd pernoctauerit in oratione, quódque prolixius orauerit. qua *Luc. 22.* in re exemplum nobis ad ſe imitandum præbere voluit, iubebátq; vt ſine intermiſsione oraremus. ſtat ergo vtrunque vt videlicet, ne *Luc. 18.* que orantes debeamus multum loqui, & tamen ſine ceſſatione ora *1.Theſ.5* re. is multum loquitur, qui in ſola multorum verborum prolatione nulla adhibita attentione neque mente confidit. is uerò ſine intermiſsione & multum orat, nec tamen multiloquus eſt, qui continuato affectu, ac diuturna & pia cordis excitatione in fide ſpe & charitate Deum pulſat, intentus in vnum illud, quod Chriſtus dixit ne *Luc. 10.* ceſſarium. neque enim Chriſtus hoc volebat, vt nullis verbis orantes vteremur, alioqui non docuiſſet nos, quibus verbis patrem alloqueremur, ſed per multiloquium ſignificauit inanem ſine mente ſonum. Sed videtur mihi maxima hominum pars exiguum atque adeo nullum penè fructum nunc ex hoc orandi actu referre, dum vel nunquam intellexerunt, vel audita non meminerunt neque obſeruauerunt hæc Domini monita. ſunt enim qui precationes quaſdam memoriæ mandatas eáſque ingenti numero quotidie recitant, atque ipſam etiam Dominicam orationem centies vno atque eodem temporis ſpatio repetunt, mente interea per inanes cogitationes vagari permiſſa. ij proculdubio in errorem incidunt illum, quem hic Dominus reprehendit, qui ſi ſemel tantum ſingulis diebus eam orationem pronuntiarent, obſeruantes interea eius orationis ſententias, multò hoc eſſet vtilius, ſcopúmque doctrinę Domini aſſequerentur, quod non faciunt, dum morem, quem diximus, ſeruant. Neque verò eos damnauerim,

qui infantes & eam ætatem, quæ nondum capax eſt eius intelligen tiæ, quæ ad hanc intelligendam orationem requiritur, docent ſæpius repetitam Dominicam orationem recitare, & plures etiã alias precationes. hoc enim pacto aſſueſcunt, & quendam contrahunt habitum, vt, cum fuerint capaciores, facilius capeſſant eum precandi morem, quem Dominus docet. eos verò, qui quod proferunt, intelligere idonei ſunt, optarem, ut potius mente quàm voce precarentur. ea enim oratio eſt, quæ in aureis Domini Sabbaoth

Eſai. 5. penetrat. nam in auribus Dei deſiderium vehemens (ait vir quidã pius) clamor magnus. contra verò, remiſſior intenſio vox ſubmiſ-

Exo. 14. ſa. nil loquebatur Moſes, & dixit illi Deus. quid clamas ad me? huic precandi conſuetudini ſi aſſueſcatis, ingentem, & quem exper ti nunquam antea fuiſtis, fructum reperietis. Cum ergo reprehendiſſet Dominus & Iudęorum & ethnicorum vitioſum morem in precando, admonuiſſet que, ne ſimiles eorum efficeremur, adiecit. *nouit enim pater ueſter, quibus rebus opus ſit uobis prius, quàm petatis ab illo*. quę verba videntur mihi ad illud referenda, quod dixerat, reprehendens ethnicorum morem, qui putarent ſe in multiloquio eſſe exaudiendos. non eſt (inquit) cœleſtis pater eorum ſimilis, quibus opus eſt ſingillatim declarare neceſsitates veſtras, vt longa verborum narratione vtendum ſit, quo eorum, quibus egetis, fiat capax. *ſcit enim ipſe ante, quàm petatis eum, quibus rebus opus ſit uobis*. tantum à vobis requiritur, vt pio & fideli & ſubmiſſo animo illum adeatis. Sed fortaſſe quęrat quiſpiam. ſi Deus nouit quid nobis opus ſit, ac præterea amantiſsimus eſt noſtri, ac paratus ad benignè nobis faciendum, quid expectat, dum rogetur, & non potius nobis minimè petentibus ſponte ſe exhibet ad præſtandum, præſertim cum multis egeamus, quibus noſtra vel ignorantia vel ſocordia, ne, an egeamus quidem ſcimus? quin & multa ſunt nobis neceſſaria, ac plurimum quæ ad animę ſalutem ſpectant, quæ auerſamur, tantum abeſt, vt ea poſtulemus. huic ita reſpondendum eſt. primum nihil eſſe dubitandum, Deum, qua ſumma eſt bonitate, nunquam deſinere nos quidem perpetuis donis (vt prophetæ verbo vtar) onerare. neque vllum eſſe momentum, quo illius non fruamur beneficijs, qui ſi expectaret dum peteremus, peſsimè ac miſerrimè nobiſcum ageretur. verum cum inuitat, vt petamus, non id icciro facit, vt ipſe nobis magis affectus ſit, quàm antea

antea fuerit, ſed vt nos capeſſendis illius muneribus euadamus aptiores. neque enim iuſtum eſt, eiſdem beneficijs dignos æquè atque indignos afficere. alioqui tollenda eſſet è medio Geenna. qui enim ad Deum per precationes adit, perinde facit, ac ſi ſoli ſe oſtenderet, de quo quamuis ſcriptum ſit, non eſſe qui ſe abſcondat à calore eius, vt vis eius efficax, atque in omnia penetrans declaretur, minus tamen illius virtutis participes fiunt, qui illum fugiunt, & ſeſe abdunt tenebris, vel vmbraculum ei opponunt, tanquam nubem. quos imitantur ij, qui peccatorum tenebris gaudent, de quibus ait Eſaias. Ecce non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat, ſed iniquitates veſtrę diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. eſt ergo oratio (quemadmodum magnus ille Dionyſius ait) veluti catena aurea è cœlo demiſſa, per quam qui aſcendunt, videntur quidem catenam ad ſe trahere, ſed re vera ipſi ab ea trahuntur in cœlum. ſic dum precamur Deum, non ipſe fit aptior ac paratior ad nos audiendos, ſed nos capiendis illius beneficijs præparamur. nã quod legimus dicentem prophetam, inclinauit Dominus aurem ſuam mihi, perinde quaſi ante precationem minus affectus fuiſſet, hoc fit ex ſcripturę ſacræ conſuetudine, quæ, vt aliquo pacto ad Diuinas res introducamur, humanos affectus Deo tribuit, vt nunc iratus, nunc placatus & exoratus noſtris precibus videatur. nam iratum putamus, cum non pręſtat, quæ volumus, placatum & exoratum, cum præſtat. quamuis ſemper idem ſit, cuius rei pulchrum habes in eodem regio propheta exemplum, qui, cum ex voto res ei cederent, vt diceret, non mouebor in æternum, Domine in voluntate tua pręſtitiſti monti meo virtutem, repente rerum ſtatu mutato, arbitratus eſt Deum ſibi eſſe inſenſum, quamuis nihilo minus amaretur, quàm filius, quem pater verberat, vt fiat melior, & ait. auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. quare conuerſus ad preces, priorem beneuolentiam quęrens recuperare, addit. ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor. quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam? hac humanæ imbecillitatis commemoratione ſenſit Dei miſericordiam, & adiecit. audiuit Dominus & miſertus eſt mei, Dominus factus eſt

adiutor

Pſ. 18.

Eſa. 59.

Pſ. 114.

Pſ. 29.

adiutor meus. cernis vt has mutationes, quæ tantum in ipſo fiebant, etiam ad Deum referat humano more? nos enim cum quempiam caſtigamus, neſcimus hoc agere ſine indignatione & animi perturbatione; ſic cum ignoſcimus, depoſita ira affectum mutamus. at in Deo non fiunt iſtæ mutationes, ſed & ſeueritatem & miſericordiam exercens in eodem ſemper eſt ſtatu. preces ergo, vt diceb amus, fiunt, non vt ipſe permoueatur, ſed vt nos ad illius capienda beneficia promoueamur. Et vide, vt nos ad has precationes exercendas ſummo cum artificio formauerit, & non ſolum interiorem hominem dato rationis ac mentis vſu, quo ad id opus eſſemus inſtructiſsimi, ſed exteriorem etiam ita aptauerit, vt ad hoc ipſum factus homo eſſe videatur. cum enim precatio ſit erectio mentis in Deum, erectum etiam corpus fabricauit, quod nulli alij ex animantibus contigit, quò attollere oculos & vultum ad cœlum, quò dirigenda precatio eſt, facilè posſit. eodem modo brachia & manus compacta ſunt, vt formam implorantis opem aptiſsimè præbeant. & quoniam oratio ſubmittentis ſe penetrat nubes, vt quidam ait ſapiens, non ſolum curuare ceruicem & humeros & dorſum idonei ſumus, vt imaginem ſubmiſsi & deiecti animi præbeamus, ſed illa ad genua curuanda aptitudo quàm mira eſt, quantámque habet efficaciam? cum enim fixis in terram genibus, vel attollimus oculos ac manus ſupplices ad cœlum, vel vultu in terram demiſſo adoramus, ſentitur interioris animi admiranda compoſitio atque commotio. additur lacrymarum efficacia & gratia. quæ omnia ſimul coniuncta, quantum efficere apud Deum posſint, exemplum ab hominibus capite, qui quamuis alioquín efferi ſint & immites, vbi conſpiciunt precantis lacrymas, & curuati figuram corporis, omnem continuò exuunt feritatem. quin ferunt hiſtoriæ mulierem quandam in ſolitudine obuium leonem habuiſſe, eam verò, quæ nihil poſſet aliud, ſupplicem leoni factam, infirmum genus ſuum narrauiſſe, & illis corporis motibus (nam vocem ac verba qui intelligere beſtia poterat?) permotum leonem mulieri peperciſſe. ſi ergo nos, qui ſumus mali, ſi beſtiæ & ratione caretes & crudeliſsimę hoc pacto ad noſtras precationes molliuntur, quid non à benigniſsimo Deo, & amantiſsimò patre non eſt expectandum, cum ita nos ſupplicibus eiuſmodi precationibus illi ſubmittimus? Hæc autem quæ diximus, corporis inſtrumenta,

Eccl. 35 (margin, beside "mè præbeant")

ita

ita ſapienter à ſummo ac ſapientiſsimo artifice fabricata, turpe eſt non à nobis ſæpius exerceri, & re tam ad comparandum cœlum apta non vti frequentiſsimè. addunt enim animo vires quaſdam ob arctam animę cum corpore coniunctionem, iccirco aiebat Paulus; volo orare viros in omni loco, ſuſtollentes puras manus. & alibi de *1. Ti. 2.* ſeipſo, huius rei gratia (inquit) flecto genua ad patrem Domini no *Eph. 3.* ſtri Ieſu Chriſti. huius muneris à Deo nobis donati flectendorum genuum maxima pars ignara, vnum tantum genuflectere contenta eſt, nimirum non intelligens quid agat, vt in reliquis etiam omnibus cerimonijs, quæ ſi attenderentur, multum ad interioris hominis compoſitionem eſſent vtiles. verum inter cæteras illa vtriuſque genu curuatio multum in animum agit, illiúsque arrogantiã, ſiqua in eo reſidet, frangit. cum enim genua curuamus, videmur robur omne noſtrum proſternere, cuius bona pars videtur in genibus reſidere. propterea cum propheta adderet animos populo Dei, horum præcipuè meminit, cum ait, genua debilia roborate. con- *Eſa. 35.* tra verò alius cum ſignificaret, ſe imbecillum factum, aiebat, ge- *Pſ. 108.* nua mea infirmata ſunt à ieiunio. quin & apud vetuſtiſsimos poëtas reperias, cum quis principem adiret, ſolere eum genua illius tangere, quaſi ad potentiam illius implorandam eo ſigno ſe accurrere ſignificaret. & quidam eorum cum dicere vellet, ea, de quibus loqueretur, in poteſtate Dei eſſe, genua poſuit pro ipſa poteſtate. dixit enim. θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Non contentus autem Dominus hęc nos admonuiſſe, quod ad precandũ pertinet, nequid rei tã hominum generi neceſſariæ deeſſet, docuit quæ eſſent petenda, quod antea ignorabatur. quo nomine quantum Deo debeamus, quis non videt, niſi qui tam vehementer externis rebus affixus eſt, vt nihil ab ethnicis differat? quàm verò ſumus tanto muneri ingrati, qui alia petamus ab ijs, quæ ipſe Dei filius, ſapientia patris petenda eſſe præſcripſit. nam, ſi quęras, plerique omnes ea poſtulant, quæ ab ijs poſtulationibus, quas in hac oratione poſuit Dominus, longè ſunt diuerſa, vt opes, honores, dignitates, liberos, incolumitatem, robur, pulchritudinem, & huius generis alia, quæ ſi aſſequamur, perniciem plerunque nobis afferunt, tantum abeſt, vt ſint ſalutaria. quæ verò in hac oratione docemur petere, ſemper nobis & in hac & in futura vita ſunt profutura. tantum verò hęc Dominica oratio eccleſiæ viſa eſt neceſſaria, vt, qui eam ignorent, indigni iu-

dicentur,

dicentur. qui inter Chriſtianos ſint numerandi. ob hanc cauſam pueri vbi primum fari incipiunt,hanc ediſcere iubentur. ſed res accidit miſeranda, cum enim Latino ſermone ediſcatur, & maxima hominum pars eam linguam ignoret, fit, vt tanquam picæ illam recitent, ac multi ad ſenectam vſque perueniant, qui nunquam illius vim intellexerint,neque fructum vllum ex ea perceperint. quare oporteret, vt parentes curarent eam ipſi intelligere, deinde filijs declarare, & efficere præterea vt non ſolum Latina lingua, ſed vernacula etiam ediſcerent. non intelligitis miſeri, quàm ſit probroſum, rem Chriſtianam ſinere tam eſſe neglectam, vt quæ partes in ea ſunt prçſtantiſsimæ, ex tota vita ignorentur id que ab ijs ſæpe, qui aliorum magiſtri eſſe debuiſſent. nam interdum data opera ſacerdotes interrogaui de hac oratione, & reperi eos quoque æquè penè ignorare, ac reliquum populum. & impletum eſt, quod di-
Eſa. 24. ctum fuit olim per prophetam. & erit ſicut populus ſic & ſacerdos. miſerandum profectò & ſtupidum genus ſumus, qui tam ingentia in nos collata beneficia ita peſſundemus. Apud ethnicos Plato Diuinos honores propterea eſt aſſecutus. quòd excelſius aliquantò quàm cęteri ſit philoſophatus, ac tanto ſtudio eius ſententię à philoſophis ſeruantur. venit Chriſtus filius Dei,attulit è ſinu patris hanc verè Diuinam philoſophiam, & ij, qui ab illo cognomen habent, tam oſcitanter tractant, atque adeo negligunt & contemnunt dogmata tam vtilia, & tam ad pręſentem vitam feliciter degendam, quàm ad futuram comparandam neceſſaria. qua in re cum omnes peccent, quicunque hæc contemnunt, tum illi in primis maximè ſunt reprehendendi, qui prędití ingenio & literis omnem ætatem inſumunt in ijs ſtudijs, quæ plus vanitatis quàm ponderis in ſe habent, neque in hos cœleſtes theſauros unquam ingrediuntur, qui-
Eſa. 55. bus illud obijci poteſt ab Eſaia dictum. quare expenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? nihil eſt enim aliud, quod quietum interiorem hominem reddat, niſi verbum Dei & panis vitę. reliqua ſtudia ac labores addunt dolorem,
Ecc. 1. de quibus dixit Salomon. in multitudine ſapientiæ multitudo furoris, & qui apponit ſcientiam apponit dolorem. ſola autem doctrina Euangelica explere animum idonea eſt. ea eſt enim ſolidus cibus & panis vitę, qui è cœlo deſcendit. Expergiſcimini obſecro aliquando & damnatis ſuperiorum annorum erroribus agnoſcite

veſtra

veſtra bona veſtrás que diuitias, & pręparamini ad diſcendum vim huius à Domino inſtitutę precationis. accedat omnis ętas, & ſexus, & conditio, atque, vt ait propheta, iuuenes ac uirgines, ſenes cũ iunioribus frequentes adeſtote, ne poſthac dicatur de vobis, populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me, ſed diſcatis, quemadmodum dixit Dominus, orare patrem in ſpiritu & veritate. cui cum filio & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen. *Pſ. 148.* *Eſa. 29.* *Ioan. 4.*

ORATIO XLVIII.

AGGRESSVRI hodie interpretationem eius precationis, quam à Seruatore Chriſto docti fuimus, communibus uotis eundem precemur, qui ſapientia eſt patris, & in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, ut deliteſcentes in ea theſauros aperire non dedignetur, paritér que gratias ei agamus, qui docuerit, quid à nobis ſit præſtandum, alioquin ignoraturis, quemadmodum ait Paulus, quid oraturi ſimus, ſicut oportet. vt nihil mirum ſit, eos, qui apud ethnicos plus aliquid videbantur conſpexiſſe, cum neſcirent quę ſingillatim eſſent petenda, ſolere poſtulare, vt eis bona à Deo darentur, quę tamen bona neſcirentur ab ipſis. nos verò hic diſcemus, bona ipſa quæ ſint, à quorum poſtulatione, ſi vel latum (quod dicitur) vnguem receſſerimus, digni erimus profectò, qui longius à Chriſtianis finibus relegemur, quàm ipſi erant ethnici, qui in illa rerum ignoratione quandam præ ſe indolem ferebant, qua ſignificarent, optare ſe aſſequi quod ſibi deeſſe intelligebant. quibus inferiores proculdubio ſunt, quicunque è noſtris tantam veritatis oblatam lucem auerſantur. quantum enim eſt, paucis verbis diſcere, quicquid vnquam venire in mentem homini poſsit, quod cum fructu peti à Deo debeat? ſi enim quæcunque vel in ſcripturis ſacris uel extra eas poſtulata à ſanctis viris unquam ſunt, curioſius perueſtiges, omnia miro compendio hic reperies comprehenſa. ſed ueniamus ad ipſa Domini verba. *Ad hunc ergo modum* (inquit) *orabitis vos. Pater noſter qui es in cælis. ſanctificetur* *Col. 2.* *Rom. 8.*

ficetur nomen tuum. adueniat regnum tuum. fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo, ita & in terra. panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. & remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. & ne nos inducas in tentationem. ſed libera nos à malo. quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Hic eſt precandi modus, quem ille docuit, cui teſtimonium perhibens cœ-

*Mat.*17. leſtis pater dixit. hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene com placui, ipſum audite. quem ſi audiri vult, & ex illius inſtituto hęc quotidie uerba proferimus, qui fieri poteſt, ut, ſi ex animo precemur, non exaudiamur? ipſe enim pater agnoſcet hæc filij ſui eſſe uerba, &, ſi non aliam ob cauſam, certè illius contemplatione exau diet. quæ cogitatio ingentem nobis præbere fiduciam debet ad accurrendum ad hunc patrem in neceſsitatibus noſtris omnibus. quem certo ſcimus auditurum, quicquid in nomine filij petieri-

*Ioan.*15. mus. ipſe enim dixit. quæcunque petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis. quid verò magis in nomine filij Dei petimus, quàm cum ea petimus, quæ ipſe docuit eſſe petenda? Aggrediamur ergo hodie prima huius precationis verba, & pro viribus theſauros in eis latentes peruestigemus. *Pater noſter, qui es in cœlis*. quàm multa prima ipſa vox complectitur digna, quæ attentiſsimè obſeruemus: & primum incomprehenſam erga nos Dei charitatem & benignitatem etiam, qui velit appellari à nobis pater, qui ſumus pul-

Eſa. 41. uis & cinis, atque adeo, quemadmodum ait Eſaias, minus quàm nihil. cum interea homines, quamuis natura inter ſe pares ſint, vt ab vno omnes profecti, ob id duntaxat, quòd opibus aut viribus aut honore aliquo alter alteri antecellat, domini ab hominibus ac Dij interdum uelint appellari. ſignificat etiam per hoc, ſe amari po tius velle quàm timeri, & ſub Euangelio abiecto ſeruili timore oportere nos ſpiritum adoptionis induere. iccirco in lege, quæ per Moſen data fuit, cum populus ille ſeruorum præ ſe imaginem fer-

Eſa. 45. ret, frequentiſsimè repetebatur vox illa. ego Dominus. at vbi ve-

Gal. 4. nit plenitudo temporis, & miſit Deus filium ſuum factum ex mu-

*Heb.*4. liere, & per omnia ſimilem noſtri abſque peccati, ſed in ſimilitudine tamen carnis peccati, declaratúm que eſt, hominem iam non eſſe ſeruum, ſed filium, cuius vnigenitus Dei patris frater effectus

Gal. 4. ſit, miſit etiam ſpiritum filij ſui in corda noſtra, clamantem abba pater. quare & voluit, vt precaturi, patrem eum non Dominum appel-

appellaremus. Deinde ingentem hoc primo verbo petenti fiduciam dat, & impetrandi etiam quę petierimus. ſi enim (quemadmodum Dominus Dixit) nos, cum ſimus mali, nouimus bona dare filijs noſtris, quantò magis pater cœleſtis, bonitas ipſa dabit multò meliora petentibus ſe? inuitamur prętereà ad generoſos animos induendos, & præſtandum, ne degeneres vnquam tanto patri videamur, vt qui regio genere nati dedignantur ad humiliora & regiam dignitatem obſcurantia ſe demittere. hæc huius nominis cogitatio ſola idonea eſſet peccata omnia prohibere, quæ ſola nos à dignitate noſtra degenerare faciunt. quid enim? titillat ſenſus voluptas? huius patris recordare, & cogita carnis laſciuiam efficere, vt à tanto gradu, quantus hic eſt, habere patrem Deum, in equorum ordinem redigare. ſic enim de ijs dicitur à propheta. equi ſaginati & emiſſarij facti ſunt, vnus quiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. Rurſus cupiditate glorię flagras? veniat in mentem cœleſtis pater, & ea gloria, quam is tibi præparauit, immenſa, incomprehenſa. deinde refer animum ad gloriam, quam in hac vita maximam aſſequi potes, quam ſi expetas paternam illam in cœlo ſis amiſſurus, & confeſtim dicere licebit cum Seruatore Chriſto, regnum meum non eſt de hoc mundo. quicquid enim magni haberi hic poteſt, luſus puerorum eſt, ſi cum illo regno, quod hic pater tibi præparauit, conferatur. Idem accidet, ſi diuitiarum amor animum ſubeat. ſi enim cogites theſauros in cœlo ab hoc patre reconditos, quorum Seruator ipſe fecit mentionem, qui amittuntur, ſi has huius mundi opes quæras, facile apud te colliges, ſtultum eſſe, immenſas illas opes amittere ſpe vnius teruncij. nam quicquid opum hic comparari poteſt, ſi cum cœli theſauris conferatur, ne teruncij quidem ſummam ęquabit. tantóque id magis cogitabis, ſi memineris dictum à Domino, rem penè impoſsibilem eſſe, vt, qui humanis diuitijs fidunt, in regnum cœlorum admittantur. Mulier, quę tam vehementer ſpeciem corporis amat, ſi meminerit, hunc eſſe patrem, in cuius regno futurum ſit, vt fulgeant iuſti ſicut ſol, tam felicibus promiſsis inflammata, metu amittendi tanti boni fucum abijciet, à ſuperuacuis ornamentis & infinito illo mundo muliebri abſtinebit, quæ ſciat certiſsimè ad tam beatam pulchritudinem comparandam ſummo eſſe impedimento. Et hęc quidem, quod ad dignitatem noſtram tuendam ſpectat. ſed non minus pa-

Matt. 7. *Iere. 5.* *Ioan. 18.* *Mar. 10.* *Mat. 19.* *Mat. 19.* *Mar. 10.* *Luc. 18.*

terni honoris ſtudium. ſi legitimi filij eſſe volumus, eſt haben-
Mala. 1. dum, nec minor ratio. iccirco ipſe per prophetam dicit, ſi ego pa-
ter ſum, ubi eſt honor meus? hoc maiorem afferre deberet vim ad
cohercenda peccata, quàm propriæ utilitatis conſideratio, & cum
ſciamus illum non ſolum factis ac verbis, uerum cogitationibus
etiam ipſis omnibus præſentem eſſe, oporteret longe maiori com-
poſitione uti, quàm ſi coram rege quopiam ſtaremus, ante regem
enim quis auderet minus compoſito uerbo aut geſtu corporis uti?
ne dicam iurgijs & contentionibus, quibus quotidie inſpectante
uos cœleſti hoc patre intemperantiſsimè abutimini? idem ipſum
de impudicis & dictis & factis ſentiendum eſt. Quòd ſi prætereà
addas, quàm benignus ac ſuauis ſit hic pater, & quàm incompre-
henſa ſit erga nos charitate, quanta adhiberetur cura ne offendere-
Luc. 12. tur? is enim eſt, qui capillos etiam capitis noſtri numeratos habet,
quod neminem unquam inter homines, ex ijs etiam, qui filiorum
amore inſanierint, ne ſomniaſſe quidem uſquam reperies. ſi hæc
cogitaremus, primum nunquam committeremus, ut tam uehe-
menter amans noſtri pater noſtris uitijs atque peccatis offendere-
tur. deinde infinitis leuaremur curis, quibus quotidie obruimur
ob hanc unam cauſam, quòd non ſinimus, ut ueniat nobis in men-
Pſal. 64. tem huius paternæ curæ. icciro admonebat propheta, proijce (in-
quiens) onus tuum in Dominum, & ipſe te enutriet. quem imita-
2. Pet. 5. tus apoſtolus Petrus aiebat. omnem ſolicitudinem ueſtram proij-
cientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de uobis. Videte obſecro
quàm ſtultè noſmet ipſi nobis mala ac moleſtias acceſſimus. ſiquis
ueſtrum haberet patrem, quem ſciret ſui amantiſsimum, qui præ-
terea eſſet ditiſsimus & ſapientiſsimus etiam, ut ſine ulla filij po-
ſtulatione ſciret quid opus eſſet, ac uellet, ut omnibus filij neceſsi-
tatibus ſubueniretur, quid ſub hoc patre metueretis? nequid deeſ-
ſet? at hoc in ditiſsimo & amantiſsimo fieri non poſſet. num ne-
quid eius incuria pateremini? at finximus illum eſſe ſapientiſsi-
mum. quid ergo reliquum eſſet, niſi ut tranquillè ſub eo uiuere-
tis, tantum id daretis operam, nequid ageretur à uobis quod il-
Rom. 8. lum offenderet? at quis eſt noſtri amantior cœleſti patre, qui ne
proprio quidem filio pepercit, ut nos ſibi adoptaret? quod à nemi
ne unquam hominum eſt factum, ut expectanda ſint ab eo optima
Pſal. 23. quæque. quis ditior, cuius eſt terra & plenitudo eius, & cœlum
etiam

etiam ipſum & omnia quæ cœli ambitu continentur? quid uerò noſtræ neceſsitatis latere, non ſapientem, ſed ipſam ſapientiam poteſt? cum uerò ſciat, poſsit, ac uelit nos tanquam chariſsimos filios curare, unde tanta noſtra omnibus in rebus ſolicitudo niſi ex noſtra infidelitate proficiſcitur, & quòd nunquam in huius patris ex animo recordationem uenimus? ex hac incuria tam auerſi ſunt homines, ut nihil minus quàm hunc patrem cogitent, ſimiles nimirum iis, qui à regio genere profecti, ab ipſo ortu proiecti in ſiluas ſunt, & inter paſtores educati, nihil niſi paſtoralia curant. ecquis enim apud nos, ſi non amor, certe pudor? ecque religio? ecque reuerentia tanti patris? erga quem ſi tantillum legitimi filiorum affectus reſideret, qui fieri poſſet, ut eius honori non accuratius ſtuderemus? at uerò quàm honoris eius habemus rationem, ſi nobis ſpectantibus, audientibus, & ridentibus interdum, tam fœde laceratur, tam horrendis blaſphemiis impetitur, neque dum quiſquam repertus eſt ex hac mea urbe poſt tot clamores meos, qui uel minimum generoſi filij præ ſe indicium tulerit, & huius patris ulciſci iniuriam cogitauerit. quid enim eſt quod illi nõ anteponamus? reuocate ad memoriam quotidiana facta ueſtra, niſi inueneritis nullam eſſe tam exiguam pecuniam, cuius contemplatione hunc patrem poſt tergum non proiiciatis, cui tamen omnia, pecuniæ, honores, opes, facultates, liberi, uita denique ipſa eſſent anteponenda. O ingratum genus, qui ſi non ob tanti patris dignitatem ad eum amandum permouemur, non eius ſaltem immenſis flectimur beneficiis. neque uerò excuſare quiſquam poteſt, deeſſe ſibi eius memoriæ occaſionem, cum nihil ad oculos, ad aureis, ad reliquos ſenſus perueniat, quod illius non ſit, & quo illius benignitate non fruamur. cùm ergo intueris homo aurum, gemmas, uirentia prata, tantum diuerſorum florum gratiam, arborum tam uarios tám q́ ſuaueis fructus, tot fruges terræ, tot genera animalium, uolucrum quadrupedum, piſcium, pulchra item corpora, illam cœli, ſolis, lunæ, ſtellarum admirandam ſpeciem, inuitaris ad habendam patris memoriam, ad illum toto animo contemplandum, tota mente amandum, de eo cum proximo quoque loquendum, atque ad eius quotidiana recolenda beneficia, & dicendum identidem cum propheta. benedic anima mea Domino, & omnia quę intra me ſunt, nomini ſancto eius. benedic anima mea Domino, & noli o- *Pſ.* 102.

bliuiſci

bliuiſci omnes retributiones eius. multò frequentior huius patris. quàm parentum carnis eſſe debet cogitatio. quamobrem aiebat Do
Mat.23. minus. nolite uocare uobis patrem in terra. unus eſt enim pater ve ſter qui in cœlis eſt. non quòd nolit ut carnis parentes agnoſcamus, quos ipſe coli iubet, ſed ut illi ita cœleſtem patrem prȩferamus, vt prȩ eo cȩteri parentes non ſint appellandi. In aduerſis uerò hæc uox quantam uim cum ad ferendum, tum ad fidendum eſt habitu ra? ſic enim tecum colliges, cum moleſtiæ aliquȩ ingruunt. non hæc ſine cœleſtis patris numine aduerſa eueniunt. at is eſt, qui in
Eſai.49. nobis amandis omnium matrum affectus ſuperat. ſi illȩ (inquit) oblitæ fuerint filios, ego te non obliuiſcar. quid ergo? uel aliquid
Pſ.18. omnino deliqui, quod plerunque ignoratur. nam delicta quis in-
Pro.3. telligit? corripior ergo nunc, ne cum hoc mundo damner. quem enim diligit Deus corripit (ait Salomon) & quaſi pater in filio ſibi placet. quare eodem loco dicitur. caſtigationem Domini fili mi ne abiicias, nec tædeat te cum ab eo corriperis. ſin exercendi mei cau ſa hoc agit, quemadmodum generoſo illi athletȩ Iob accidit, multo libentius hoc eſt ferendum, quando hac uia uult hic pater me quàm honeſtiſsimum habere filium. in ſumma utrocunque modo res cadat, utilitatis hoc meæ gratia fit, atque iccirco eius incomprehenſa erga me bonitate ac prouidentia eſt fidendum. qui ſalutis
1.Co.10. duntaxat meȩ cauſȩ iſta diſpenſet, neque paſſurus ſit me tentari ſupra id quod poſſum, ſed faciet cum tentatione etiam euaſionem, ut poſsim ſuſtinere. Hæc & huius generis alia quis in maximis afflictionibus apud ſe reputans, non eas facillimè & æquiſsimo animo ferat? Cernitis quàm multȩ diuitiȩ in hoc primo huius precationis uerbo repertȩ ſint, quȩ ſolæ Chriſtianum hominem ita ditare poſſint, ut cum his uitam agere liceat tutiſsimam atque tranquilliſsimam? quàm ingentes uerò cenſetis reperiendos theſauros prius, quàm ad eius finem ſit peruentum? quos theſauros quàm turpe eſt à Chriſtiano homine, cui uni propoſiti ſunt, per totam uitam ignorari? neque uero exiſtimetis, me omnia oratione aſſecutum, quæ hic contemplari liceat, ſed hæc pro exemplo ſint dicta, ut horum imitatione uos talia ac maiora etiam excogitetis. nunc in ſequenti etiam uerbo aliquantiſper immoremur, cur ſcilicet uoluerit ut diceremus, *pater noſter*, non ſimpliciter ac abſolute, pater, neque ut quiſque noſtrum diceret, pater meus, quemadmodum

ſæpe

ſæpe in ſcripturis ſacris legimus prophetas dicentes, Deus meus, quod frequentisſimum reperitur in pſalmis. Et hoc quoque ſumma cum ſapientia ab eo, qui eſt ſapientia patris, fuit factum. admonemur enim hac appellatione, nos omnes fratres eſſe, qui unum patrem habeamus. quę conſideratio, quantum efficit ad omnes mutua charitate coniungendos? ob hanc enim etiam cauſam uoluit Deus, ut ab uno ſecundum carnem patre proficiſceremur, non ut terra paſsim homines procrearet, quemadmodum pecudes ac cętera animantia. quanta ergo inter eos deberet eſſe coniunctio atque æqualitas, qui eundem atque unum in cœlo & in terra patrem habent? hæc cogitatio duo efficere maxima idonea eſt. unum, ne ditior inſoleſcat, alterum, ne pauperes atque inopes cadant animo. cur enim tu propterea quòd plus terrę poſsides, maiorem auri ſummam in arca habes, illum inferiorem te putas, qui nihil habeat facultatum? originis ac naturæ dignitas eſſe debet, non fortunæ. alioqui aſellus circuntextus auro prętantiſsimo equo anteponetur, atque adeo homini egeno ſine lare ac foco, ſi non natura ſed opibus dignitas ęſtimatur. num parum hoc eſt, ad cuiuſuis ditiſsimi ac potentiſsimi hominis deijciendam arrogantiam, ut nihil ob diuitias & opes, & ea, quæ ſola inſoleſcere homines faciunt, ſibi placeat? rurſus pauper ſi intelligat, nihil ſe in rebus, quę ad naturę ſuæ conditionem pertinent, minus habere, quàm quiuis potentiſsimus rex, non habebit, cur ſe ob paupertatem uehementius excruciet. eaſdem naturę dotes habet in corpore & animo, & pręſtantiores interdum. fit enim ſæpenumero, ut pauper ob exercitationem utriuſque partis, uidelicet corporis atque animi, utranque habeat multò uegetiorem quàm diues, qui ob luxum & uitę molliciem utrunque plerunque corruptum habet. deinde ſi originem ſpectes, idem genus ab uno Adam poſsidet, quòd quę maximum eſt, appellare patrem Deum poteſt æquè atque diues, atque adeo plus quàm diues. inuenies enim in ſcripturis ſacris pauperes ſummæ curæ eſſe *Mat.* 19.
Deo, quod nunquam de diuitibus reperias, ſed contra potius, in- *Mar.* 10.
crepationes & minas in eos coniectas. quare deprehendimus rem *Luc.* 18.
in contrarium cadere, atque homines opinantur, pauperem uide- *Ioan.* 12.
licet meliore eſſe conditione, quàm ſit diues, cum in iis, quę hominem conſtituunt, & eum magnum faciunt, longo pauper ſuperet interuallo. nam diuitię iſtæ, quibus tantopere ſibi diuites placent,

cent, nihil magis addunt homini, quàm ſiquis ungues aut crines quæ ſuperuacuæ corporis ſunt partes, habuerit longiores. Quòd ſi præterea recordere, faciliorem eſſe pauperi uiam ad cœlum, atque ad illius patris regnum ſempiternum, quàm diuiti, fatearis neceſſe eſt, pauperes omnibus nŭmeris eſſe diuitibus ſuperiores. Finge enim eſſe patrem quendam, qui duos filios habeat, quorum utrunq; eſſe quidem uelit hoñeſtisſimum, ſed cum alterum uideat, impatientem laborum, & negocia omnia grauia iracŭdè detrectantē, patitur eum frui uoluptatibus, illum uerò alterum continuis exercet laboribus, quibus ad maximum imperium prouehitur. huius nimirum longè meliorem dixeris fuiſſe conditionem. eadem eſt diuitum ac pauperum ratio, quorum illi dum uoluptatibus diſſoluuntur, & ob corporis commoda uirtutem aſpernantur, nihil præter præſentem uoluptatem aſſequuntur, eam tamen non ſynceram ſed multis permixtam moleſtiis. hi uerò ubi temporariis hiſce ac momentaneis laboribus, quibus interim non deſunt ſua ſolatia, fuerint exercitati. in æternum huius patris regnum admittuntur. quid ergo diues inſoleſcis ob ea, quæ te de eo gradu deiiciunt, in quo à natura fueras collocatus? quid eiſdem ipſis intumeſcēs fratrem propter inopiam contemnis, quæ inopia illum cœleſti patri efficit chariorem? Ex hac item conſideratione, quòd unum habeamus patrem, ac ſimus fratres, admonemur unanimitatis atque concordię, cum ob commune genus, tum ob eiuſdem patris reuerentiam. nam & turpisſimum eſt fratres inter ſe disſidere. quamobrem cum paſtores Abrahę &
Gen. 13. Loth altercarentur inter ſe, dixit Abraham ipſi Loth. ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & paſtores meos & paſtores tuos, fratres enim ſumus. & præſtantisſimi alicuius patris reuerentia idonea eſt, filios in officio continere, ne in iurgia contentionés que prorumpant. quantò autem magis hoc ob cœleſtis patris contemplationem
2. *The.* 3 eſt faciendum, qui Deus pacis appellatur, cuius tam ſtudioſus eſt, ut non expectauerit, dum nos, qui inimici eramus, pacem ab eo poſtularemus, ſed miſſo filio unigenito, nos ſibi per illum reconciliauit? cuius poſtea reconciliationis legati ac nuntij fuerunt apo-
2. *Cor.* 5. ſtoli, ut Paulus diceret. nomine Chriſti legatione fungimur, tanquàm Deo uos obſecrante per nos, rogamus pro Chriſto reconciliamini Deo. pudeat ergo nos, qui patrem ita pacis ſtudioſum habemus, ob leuisſima quęque exercere lites, & disſidia & ſimultates. &

tes, & ſanè id accuratius præſtaremus, ſi hiſce nos, quemadmodum æquum eſſet, cogitationibus exerceremus. ceſſarent inuidię & æmulationes, & detractiones, quæ charitatis atque unitatis uenena ſunt. quibus qui operam dant, qua fronte appellare hunc patrem poſſunt? digni potius quibus dicatur, uos ex patre Diabolo eſtis, & *Ioan. 8.*
deſideria patris ueſtri uultis implere. quis non exhorreſcat, ob inuidiam atque odia ex filio Dei euadere Diaboli filium? quod longè deterius eſt, quàm eum, qui regis filius ſit, à uiliſsimo aliquo mancipio in filium adoptari. & tamen in hęc mala miſeri homines incidunt quotidie nec intelligunt. Sed uideamus pręterea quod adiectum eſt, *qui es in cœlis*. cum enim Deus ubique ſit, atque ubique totus, non minus in terra quàm in cœlo, cur uoluit Seruator Chriſtus, ut illum inuocantes, cœlum potius memoraremur? nihil dubitandum quidem eſt, ubique eſſe Deum, atque in rebus omnibus, neque id ſolum, uerum etiam ſuper omnia & extra omnia. neque enim ita in omnibus eſt, ut ab illis concludatur. ſed ipſe omnia circumplectitur, ut rectè dictum ſit à Salomone. cœlum cœ- *Ecc. 16.*
lorum illum non capere. & à Paulo, omnia in omnibus adimple- *1. Cor.*
re, & omnia in ipſo conſiſtere. ſed per hæc uerba uult nos originis *15.*
noſtræ admoneri, unde ſimus profecti, ut meminerimus, hic eſſe nos exules, patriam uerò noſtram ibi eſſe, ubi ſit pater, nempe cœlum. hoc exilium ueteres illi patriarchę, ante etiam quàm regni cœlorum fieret mentio, intellexerunt, de quibus in epiſtola ad Hebręos ita ſcribitur. Iuxta fidem mortui ſunt hi omnes, cum non ac- *Heb. 11.*
cepiſſent promiſsiones, ſed procul eas uidiſſent, & credidiſſent, ſalutaſſent que & confeſsi fuiſſent, ſe hoſpites atque aduenas eſſe in terra. nam hæc qui dicunt, declarant ſe patriam inquirere, &, ſi illius quidem memores fuiſſent, unde fuerant profecti, habebant opportunitatem reuertendi, nunc autem meliorem expetunt, hoc eſt, cœleſtem. quapropter non erubeſcit ipſe Deus uocari Deus illorum, parauerat enim illis ciuitatem. quę poſteriora uerba ſignificant, eos, qui cœlum non uotis omnibus expetunt, dignos eſſe, quorum Deum pudeat, ut uocetur eorum Deus. rurſus regius propheta eodem deſiderio flagrans aiebat. quemadmodum deſiderat *Pſ. 41.*
ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. ſitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum, quando ueniam & apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac no-

cte, dum dicitur mihi quotidie ubi eſt Deus tuus? & hæc illi quidem tot ſeculis ante appellationem huius regni philoſophabantur, & hoc regnum, quemadmodum dudum audiſti, è longinquo ſalutabant. nunc uerò cum iam uolentibus omnibus peruium factum
1.Cor.15. eſt, & primitiæ generis noſtri Chriſtus in illud aſcendit, in illo regnat, nondum illuc transferimus noſtras cogitationes, adhuc exilium patriæ anteponimus. quin audio multos eſſe, qui ad illius nomen exhorreſcant, tantum abeſt, ut illud exoptent, ita huic exilio ſunt affecti. de quibus quid dicam? quæ idoneę aduerſus eiuſmodi homines obiurgationes reperientur, qui in tanta ueritatis luce tantis adhuc tenebris ſunt circumfuſi? non pudet eos ethnicis, & iis, qui ſine Deo erant, eſſe inferiores? nam reperimus ex iis fuiſſe, qui dicerent, nos, dum his ſumus incluſi compagibus corporis, munere quodam neceſsitatis & graui opere perfungi. animum enim eſſe cœleſtem; ex altiſsimo domicilio depreſſum & quaſi demerſum in terram, locum Diuinę naturæ æternitati que contrarium, Deúm que ſparſiſſe animos in corpora humana, ut eſſent qui terras tuerentur, quí que cœleſtium ordinem contemplantes, imitarentur eum uitæ modo atque conſtantia. aiebant, tum denique nos uicturos, cum eò peruenerimus, & uitam hanc eſſe mortem: optabant paſsis uelis illuc ferri. aiebant tantum abeſſe, ut mors eſſet malum, ut uererentur, ne homini nihil ſit non malum aliud certè, ſed nihil bonum aliud potius, plurima quę in hanc ſententiam
Luc. 11. alia reperias. ſurgent ergo in iudicio iſti aduerſus generationē hanc, & condemnabunt eam, qui cum ſola coniectura ferrentur, tam erecto erant animo. non aderant illis prophetæ, quorum teſtimonio niterentur, nulla erat apud eos reſurrectionis fama, non dictum fuerat illis, fore, ut fulgeant iuſti ſicut ſol in regno patris eorum.
Phil.3. non audierant dicentem apoſtolum, è cœlo Seruatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit corpus humile noſtrum, ut conforme ſit corpori eius glorioſo. breuiter non lex, non prophetæ, non Euangelia illos inſtruxerant, & tam egregiè tamen philoſophabantur. nos uerò, quibus terra ipſa cœlum facta eſt, quibus ea reuelata ſunt, quę cœleſtibus illis ac Diuinis mentibus non niſi per eccleſiam fuerunt peruia, terram duntaxat more pecudum ſpectamus, & oblatum cœlum auerſamur: horror me inuadit hęc cogitantem, & mecum reputantem, quàm ingens

ingens Geenna tam alienos à cœlo animos expectet. O curuas in terram mentes, quæ non erubeſcunt tam pudendam inflexionem, dum interea corpus ſuam erectam naturam ſeruat. quæ figura icirco data homini eſt, ut originem ſuam recordaretur, & ad illius recordationem frequentius ad ſuperiora erigeretur. & cum graue uideatur, ſi cui contingat, morbo aliquo curuari corpus, ut erectum conſiſtere nequeat, non dolent homines, cum ſentiunt eam animi curuationem, ut ſemper ima proſpectet, neque unquam niſi ſumma cum difficultate, ídque rariſsimè, erigi ſe patiatur. corpore ob morbum curuato, continuò quęruntur medici, morbi cauſa perueſtigatur, nullum curationis genus prætermittitur. at cum ſentimus tam miſerè curuatum animum, nemo ſpiritualem medicum accerſit, non inquiruntur tam periculoſi morbi cauſæ, nulla adhibentur remedia ad tollendum morbum, perinde quaſi nullius ſit res momenti, cum tamen ſola ſit digna quam curemus. Et quidem ſi hæc cœli recordatio infeliciorem hanc, quam tantum amatis, uitam efficeret, ne ſic quidem eſſet auerſanda, quando ſæpe demonſtratum eſt, omnia quęcunque accidere maxima homini in hac uita poſſunt, quamuis ea mille & eo amplius annorum ſpatio prorogaretur, umbræ & ſomnio eſſe quàm ſimillima. cum uerò nihil iucundius, ſiquis mente uti uellet, occurrere homini poſſit, quàm illius patrię contemplatio, mirum eſt, homines à re tam iucunda tam uehementer abhorrere. cum enim uenit in mentem, hinc citò migrandum eſſe, & mortem omnibus horis atque adeo momentis impendere, ſi poſt hanc uitam nulla expectaretur alia, & peracta hac ſcena nullus ſupereſſet ſenſus, quantum deterreret nos infinitum illud tempus, ut externus quidam dixit, quo futuri non fuiſſemus? ſed ubi breuitati huius ſomnii contemplamur ſuccedere beatam illam in cœlo æternitatem, quis tam amaro eſt animo, qui non mox ad tam felicem expectationem recreetur? Sed horum errorum, quòd ſcilicet, neque de cœlo cogitemus, & pręterea harum rerum memoria perturbemur, duo in cauſa ſunt. primum, quòd nimis nos à terrenis curis deprimi ſinimus, atque illis ita uehementer affligimur, ut nullum relinquamus locum cœleſtia cogitandi. deinde peccata, quæ ex terrenarum rerum commercio contrahuntur, efficiunt, ut pulchra illa cœli conſuetudine non fruamur, ut dicere cum Paulo liceat, conſuetudo noſtra in cœlis eſt. ſed *Phil. 3.*

cum alterius uitę occurrit memoria, ob conſcientiam ſcelerum noſtrorum, Gennæ potius, quàm ſumus meriti, occurrunt animo ultiones ac pœnæ, quàm cœli præmia, à quibus nos ob noſtra ſcelerate facta facimus alienos. at uel hoc ipſum excitare nos aliquando deberet, ut mores mutaremus, & metu ſaltem, more ſeruorũ coërceremur, cum exploratum ſit, eos, qui indigni cœlo fuerint, in ſempiterna incendia eſſe relegandos. qui uerò uel periculo tanti impendentis mali non commouentur, ij non ratione carentibus animantibus, ſed uerò ſtipitibus & ſaxis ſunt quàm ſimillimi. Sed turpiſsimum eſt hominem, qui Chriſto nomen dederit, & in hęc cœleſtia myſteria fuerit introductus, adhuc ſpiritu timoris duci. quin & parum decorum eſt, ſpe mercedis ſola atque ęternę retributionis in rectè facta incumbere. mercenariorum hoc eſt, non filiorum proprium. optandum eſt potius cœlum, non ipſius cœli, ſed inſpicien-
Pſ. 72. di & fruendi patris gratia, & dicendum cum propheta. quid enim mihi eſt in cœlo. & pręter te quid uolui ſuper terram? cernis generoſum uirum, qui filij affectum induerat, ne cœlo quidem ipſo, quo nihil maius excogitari poteſt, nedum terra eſſe contentũ? quid ergo? defecit (inquit) caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in ęternum. nihil mihi (inquit) in cœlo aut in terra arridet pręter te, neque quiſquam tibi conferri poteſt, qui unus es omnia in omnibus. iccirco & alibi reſpuit conſolationem omnem.
Pſ. 76. pręter illam Dei, & ait. renuit conſolationem anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum. Si ergo & nos uera ſolatia & ſolidam tranquillitatem uolumus, nunquam ab huius patris memoria recedamus.
2. Cor. 1. mus. eſt enim Deus omnis conſolationis, quemadmodum ait Paulus, à quo cum receſſeris, nihil quod animum expleat, inuenire unquam poteris. erigamus in cœlum, hoc eſt, ad paternam ſedem oculos, ne fruſtra erectam figurã aſſecuti uideamur. relinquamus brutis aſpectum in terram & uentrem & ea quæ ſub uentre ſunt. me-
Ephe. 2. minerimus quod ait Paulus, nos iam non eſſe hoſpites & aduenas, ſed ciues ſanctorum & domeſticos Dei, & uitam agamus cœleſti reipublicę conſentaneam. recordemur identidem, patrem nos ha-
Rom. 8. bere in cœlo, qui nos uelit filios, quòd ſi filios & hæredes, hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti, cui cum eodem patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO.

ORATIO XLIX.

PATER *noſter, qui es in cœlis*. Quamuis ſequentia huius orationis uerba hodie à nobis, quantum temporis ratio patietur, declaranda ſint, libuit tamen hæc eadem repetere, à quibus ęgrè diuellor, uenít que in mentem, quod propheta admiratus tantam maieſtatem non dedignari hęc humilia curare, aiebat. quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra? licet (inquit) Deus ſupremum inhabitet locum, & rebus omnibus ſupereemineat, tamen nihil eſt tam humile tám que abiectum in mundo, quod non uideat, ac ſua prouidentia gubernet. habitare quidem dicitur in cœlis propterea, quòd ibi magis illius gloria ac maieſtas elucet, uerum quia bonus eſt, nihil ſuæ curæ expers eſſe patitur. quo magis eorum philoſophorum parca prouidentia redarguitur, qui ueriti fortaſſe, nequid Diuino honori deperiret, nolebant Diuinam gubernationem in hæc ſe inferiora tanquam humilia porrigere. quamuis ij, qui inter illos fuere præſtantiores, contrarium ſentiebant, Deum ſcilicet non minus minimarum quàm maximarum rerum curam habere, dicebánt que cauendum eſſe, ne Deum mortalibus opificibus uiliorem putemus. nam ij ſanè quantò peritiores ſunt, tantò arte una in propriis ipſorum operibus & parua ſimul & magna exquiſitius abſolutiús que perficiunt. Deus uerò qui ſapientiſsimus eſt, & curare poteſt ac uult, magnis quidem prouidebit ſolú, parua autem, quæ facilius gubernari poſſunt, propter pigritiam & ignauiam negliget? hæc illi. Non metuendum eſt ergo, ne pater, quia in cœlis eſt, noſtra minus curet. ſed quęrat fortaſſe aliquis, cur dictum ſit patrem eſſe in cœlis plurali appellatione. cui reſpondendum eſt, non ſolum hic obſeruari Hebræam locutionem, apud quos, uox, qua cœlum appellatur, pluralis eſt tantum numeri, uerum etiam hoc numero euidentius declarari, latiſsimè fundi illius imperium ac gubernationem. ut nihil in illa cœlorum uaſtitate fiat ſine ipſius nutu ac uoluntate, ne ſit neceſſe ab ulla creatura, modo Deum propitium habeamus, metuerę. nam cum patrem noſtrum,

Pſ. 112.

noſtrum, qui non poteſt ſuis filiis non bene uelle, in cœlis eſſe profiteamur, fruſtra metuimus à ſtellis & ſignis cœli, quę à benignisſimo patre noſtro cœleſti ad bonum proculdubio filiorum reguntur. atque hoc ipſo ſecernimur à gentibus idololatris, quas ne
Iere.10. imitemur, Dominus apud Ieremiam pręcipit dicens. iuxta uias gentium nolite diſcere, & a cœli ſignis nolite metuere, quæ timent gentes. quia leges populorum uanæ ſunt. atque, ut ab hoc patre diſcamus expectare etiam illa, quę per cœlos fiunt, in eodem propheta di-
Iere.14. citur, nunquid cœli poſſunt dare imbres? quia uidelicet, & ſi pluuia à cœlis proficiſcatur, tota tamen eorũ uirtus à cœleſti patre eſt, neq; ſine illius nutu poſſunt quicquam cœli uel audēt, ut in omnibus ad illum ſit proſpectandum. ſed pergamus reliqua huius Diuinæ precationis. Hæc uerba quæ hactenus fuerunt declarata, procemium quoddam ſunt, quo mens ante omnem poſtulationem præparatur, & afficitur, & fiduciam acquirit, ut non ſolum poſtulare, uerumetiã fidere audeat, ſe, quod petit, aſſecuturam. hæc enim ſolida fides eſt
Mar.11. prorſus neceſſaria. quamobrem admonebat Dominus dicẽs, quæcunq; orantes petitis, credite quòd accipietis, & erunt uobis. & bea-
Iac. 1. tus Iacobus. poſtulet (inquit) cum fiducia, nihil hæſitans, nam qui hæſitat is ſimilis eſt fluctui maris, qui uentis agitur, & impetu rapitur. neq; enim exiſtimet homo ille, ſe quicquam accepturum à Domino. cum ergo nos Seruator Chriſtus per illa uerba, *Pater noſter qui es in cœlis*, ingenti fiducia inſtruxerit, & quaſi armauerit, mox docet, quę petenda ſint, quorum primum eſt. *ſanctificetur nomen tuum*. quod ante quàm declaremus, uidendum eſt, quid ſit ſanctificare, & quid intelligatur per nomen Dei. Sanctificandi uerbum in ſcripturis ſacris non uno modo accipitur. cum enim dicitur, Deum ſanctificaſſe diem ſabbati, ſignificatur, uoluiſſe illum eſſe ſelectum diem, ac præ cęteris accuratius obſeruari. ſignificat etiam præpara-
Iere.22. re, ut in Ieremia, ſanctificabo ſuper te interficientem, hoc eſt, præpa-
Eſa. 13. rabo cõtra te. & alibi ſanctificatos ſuos appellat Deus eos, quos pręparauerat ad perdendam Ieruſalem, & accepta uidetur ſimilitudo à rebus ſacris, quas in alienum uſum non licet conuertere, ſed paratas eſſe ſemper oportet ad eum uſum, ad quem ſunt dedicatę. interdum accipitur pro mundare & purificare. cum enim iubetur, ut, qui te-
Leui.6. tigerit ſacrificia, ſanctificetur, præcipitur, ut mundus ac purus ſit. in
Leui.20. eum ſenſum illud eſt dictum, ſanctificamini & ſancti eſtote, quia ego ſanctus

ſanctus ſum Dominus Deus ueſter. interdum dedicare, ut illud. quicquid eſt ſexus maſculini, ſanctificabis Domino Deo. interdum dignum ueneratione apparere, ut, cum Nadab & Abiu filii Aaron propter oblatum alienum ignem contra præceptum Domini, deuorati fuerunt ab igne, dixit Moſes ad Aaron: hoc eſt quod locutus eſt Dominus, ſanctificabor in ijs, qui appropinquãt mihi, hoc eſt, ſignis declarabo, oportere eos, qui mihi ſunt miniſtraturi, me uenerari, oſtendam que in eos maieſtatem meam. quare adiecit. & in cõſpectu omnis populi glorificabor. in hunc ſenſum & hoc loco accipiẽdum eſt. *ſanctificetur nomen tuum*, hoc eſt, glorificetur, magnificetur, ſanctum ab omnibus agnoſcatur, & apud omnes illuſtretur. Per nomẽ uerò Dei intelligitur ipſe Deus: eius que maieſtas, potentia, ſapientia, bonitas. eſt enim familiaris ſcripturę Hebraiſmus, quo prophetę, præſertim pſalmi pleni ſunt. ut, adiutoriũ noſtrum in nomine Domini. &, nos in nomine Dei noſtri inuocabimus. &, nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos. & ſexcenta alia in hunc modum. Prima ergo poſtulatione (quod ſanè ingenti conſideratione eſt dignum) docemur in omni & ante omnem cuiuſcunque rei deliberationem optare, ut honorificetur Diuina maieſtas in nobis, ut, quemadmodum ait Petrus, in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtũ, neq; ſolum ut id in nobis fiat, uerumetiam ut in omnibus gentibus illuſtretur & glorificetur hoc ſanctum nomen. hoc legitimorum filiorum proprium eſt, honori patris in primis ſtudere, & illius gloriam proprijs commodis ac uitę etiam anteponere. hoc in natura rerum cernimus fieri, ut humilior & minus digna pars ſponte ſeſe periculo exponat ob dignioris ſalutem conſeruandam. nam ubi periculum imminet capiti, mox brachium, ipſius ſponte naturæ obijcit ſeſe, ut caput tueatur. multò magis nos, qui nihil omnino ſumus cõram Deo, tantę maieſtatis contemplatione, debemus in cogitationibus & factis noſtris omnibus ſummo ſtudio id quęrere, quod illius gloriam ac maieſtatem illuſtret. & meritò ſanè, cũ quicquid ſumus totum illius ſit. quamobrem aiebat Paulus. non eſtis ipſi veſtri iuris, nam empti eſtis pretio. glorificate & portate Deum in corpore ueſtro & in ſpiritu ueſtro, quæ ſunt Dei. Neq; uerò quiſquam exiſtimet, cum docemur petere, ut ſanctificetur nomẽ patris, uel Deum his egere, uel aliquid ei ſanctificationis accedere noſtris precationibus, qui per ſe omni ſanctitate, gloria, maieſtate plenus eſt. nõ enim ita eſt.

Deu. 15.
Leu. 10.
Pſ. 123.
Pſ. 19.
Iere. 14.
1. Pet. 4.
1. Co. 6.

ita eſt. ſed hoc rogamus, ut nomen Dei, quod per ſe ſanctiſsimum
eſt, gloriæ que pleniſsimum, ſanctificetur etiam & glorificetur, ſan-
ctúm que ac celebre in nobis & in omnibus gentibus habeatur. quę
Eſa. 52. res ut apertior fiat, exemplum à ſenſu contrario accipiamus. ſolet in
Eze. 36. ſcripturis ſacris conqueri Deus, quòd hominum uitijs atq; peccatis
Rom. 2. nomen ſuum pollutum ſit in gentibus, non quòd tam ſancto nomi-
ni allini à quoquam posſint ullæ ſordes, aut tantæ gloriæ ſplendor, quod ad ſe attinet, obſcurari queat, uerum quòd, quantum in nobis eſt, illud nomen contumelia ac ignominia in noſtram ipſorum perniciem afficiamus. quod qua ratione fiat, iam oſtendemus, ut intelligatur, quæ ſit huius poſtulationis ratio atq; uis. Nomen Dei hac, quam diximus, ratione multis modis afficitur cõtumelia. in primis ab ethnicis, qui uel ignorato uel contempto rerum omnium conditore, uenerantur & adorant contemptisſimas etiã creaturas, de qui-
Rom. 1. bus ait apoſtolus, cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. quin potius mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum & quadrupedum & ſerpentium, coluerũt que & ſeruierũt potius creaturæ quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula. amen. Iudæi quoq; qui tametſi idola abominentur, nomen tamẽ Dei probris afficiunt, cum Chriſtum Dei filiũ aſpernantur ac reijciunt. nam
Ioan. 15. qui odit me (dixit idem Chriſtus) odit & patrem meum. & rurſum. & uiderunt & oderunt & me & patrem meum. nam unius contumelia in alterius redundat contumeliam. ſed multò magis ſanctum hoc nomen à malis Chriſtianis cõtumelia afficitur, qui cum ſoli uerum cultum uerám que teneant religionem, multò eſt ignominioſius contrarijs factis illam ſordidare. quemadmodum turpius eſt. familiares regis alicuius illum offendere, quàm externum quẽpiam, & qui ad illius familiam minimè pertineat. Sicut ergo ſanctificatur in nobis nomen Dei, cum agnoſcentes eius maieſtatem, potentiam, ſapientiam, bonitatem, iuſtitiam, illum unum ueneramur, illius nos poteſtati committimus, fidimus prouidentię, ab illius benignitate toti pendemus, nihil nobis uirium arrogamus, nihil gloriæ, omnem eius erga nos diſpenſationem, non minus in aduerſis quàm in proſperis æquo animo ſuſcipimus, in utroque gratias agentes, quòd & bona nullis noſtris pro meritis nobis det, & caſtigationes nõ ſolum iuſtè adhibeat, uerumetiam ad noſtram utilitatem. ſic contra, ij no-
men

men Dei ignominioſè tractant,qui fiduciā ſuam à Deo uiuo in creaturas transferunt,& diffidentia ac ſuperſtitione laborantes, magicis artibus aut incantationibus operam dant, hęreſes ac impias doctrinas ſectantur, aut qui ſibi aliquid arrogant uel ſapientię uel potentiæ,uel rerum eiuſmodi, ſuo non Dei nomini gloriam tribuentes. quod faciunt quicunq. ſuis diuitijs, aut terrenis honoribus fidunt, aut ſuis benefactis tanquam à ſe profectis gloriātur, quęrūt que ab hominibus gloriam,cum ſoli Deo gloria debeatur. Iniuriam etiam afferunt huic patri ij Chriſtiani,qui cum in filios fuerint adoptati,nō imitantur cœleſtis patris mores,ſed veluti degeneres filij omnia cōtraria faciunt. qui mihi maxima ſanè pars eſſe uidētur.cogitate enim facta veſtra omnia,ſi non,vt diximus, ita eſt. Diximus ſanctificari nomen huius patris,cum illius omnibus in rebus gloriā quęrimus, unum illum quàm honeſtisſimum cupimus,in ſuſceptione & educatione liberorum,in facultatibus,in honoribus, in gubernanda republica,in victu cultú que corporis,in vſu mentis & ſenſuum membrorúm que omnium. videamus ergo quid in his à vobis fiat. Primum in educandis liberis, qui ſeminarium reipublicę eſſe debent, & pro eorum educatione talis ſperatur futurus ciuitatis ſtatus,nunquam cogitatis vt Deus in illis glorificetur, neq; eos ita imbuitis veſtris monitis atq; conſilijs,vt ſperetur in eis,cum adoleuerint, cœleſtem patrem eſſe glorificandum. atq; vtinam non contraria ſaltem via eos ingredi prauis veſtris cum factis tum dictis doceretis. nihil enim ferè à vobis audiunt,aut in vobis cernunt,niſi quod Chriſtianæ philoſophię aduerſatur, auaritiam, fraudes, æmulationes, inuidias, diſſenſiones, lites, honorum appetitiones, inſatiabilem habendi cupiditatem, eám que tam ingentem ut ne Chriſti quidem patrimonio parcatis, propter quod vnum filios ueſtros in clerum aſciſci optatis. cuius rei indicium euidentiſsimum illud eſt, quòd non ſolum nō datis operá, ut ii,quos ſacris initiari uultis, ita uiuát, quemadmodum eccleſiaſticos homines decet, ſed ne cultu quidem ac ueſtitu eccleſiaſtico uultis eos uti, & cum epiſcopus, ut ſuo fungatur officio, coërcere eos uult, ut ſecundum canonicas leges veſtiantur, illum tanquam hoſtem habeatis, cui adiutores uos eſſe, atque hoc nomine agere gratias oportuerat. quę cum fiunt, quæ ſpes honorificandi ac ſanctificandi Dei reliqua eſt, cum ætas parentum peior auis ferat filios nequiores, mox daturos progeniem uitioſiorem?

tioſiorem? & hoc quidem pacto nomen cœleſtis patris à patribus ſanctificatur in filiis. nihilo uerò minus idem præſtatur in comparandis pecuniis ac facultatibus. qua in re tantum abeſt, ut ſtudeatur huius patris gloriæ, ut ſi decretum uobis eſſet data opera illum ignominia afficere, non aliis modis uteremini. omnia fraudibus ac mendaciis plena cernas. ne aſſe vno priuemini, nullas recuſatis ſubire inimicitias, nullum uobis pacis ſeruandæ ſtudium, nemini parcitis, ne conſanguineis quidem, & germanis ipſis fratribus. quin hiſce ego oculis uidi filium aduerſus matrem impudentiſsimè in iudicio litigare. nulla commouemini in exigendis pecuniis veſtris egenorum ac pauperum miſericordia, quibus ob inopiam alia etiam fuerant condonanda. quod autem hoc in Dei opprobrium cedat,
Pro. 17. audi quid dicat Salomon. qui deſpicit pauperem, probro afficit factorem ſuum, honorat autem illum, qui miſeretur pauperis. at in gubernanda republica, cui non minus quàm ueſtris ipſorum genitoribus ſtudere debetis, diſtribuendis que honoribus ac magiſtratibus, quo uos pacto geritis? legite ethnicorum, & eorum, quos
Eph. 2. Paulus ſine Deo appellat, hiſtorias, ſi non ab illis longo interuallo ſuperamini. ſtudebant illi publicæ rei amplificandę, priuatam rem nihil curabant. uos contra, rem priuatam augere curatis, publicam non ſolum augere, ſed expilare potius properatis. hoc certè eſt, eſſe ethnicis inferiores. idem facitis in magiſtratibus diſtribuendis, non quid reipublicę expediat cõtemplantes, ſed omnia ueſtris commodis ueſtris q; vtilitatibus metientes. iam cum paucos poſt menſes eligendi erunt, qui per aliquot annos inuicem alter alteri de more huius ciuitatis ſucceſſuri ſunt in magiſtratu, idem ſumus, niſi alios erga cœleſtem patrem affectus induatis, inſpecturi. ut nulla publicæ vtilitatis ratio habenda ſit, ſed omnia ad priuata commoda referenda. neque cogitatis miſeri, mala omnia, quęcunque ex malè creatis magiſtratibus proficiſcentur, in eos, qui harum electionum auctores fuerint, redundatura. & uos non ſaltem Geennę & inextincti ignis recordatio perterrefacit? O ſtupidos animos, & admiranda metamorphoſi in ſaxa conuerſos. Eadem utimini ſtu
Rom. 13. piditate in uictu & cultu, dum comeſſationibus & ebrietatibus, quas cubilia & impudicitiæ comitari ſolent, aſsiduè incumbitis, quo nil homini Chriſtiano eſt pernicioſius. cultus uerò multò turpior nunc eſt, & uirorum & mulierum, quàm unquam apud ethnicos fuerit,

ſuerit. nam uiri eam caligarum formam excogitauerunt, quę pudendarum partium & anteriorum & poſteriorum figuram non minus fœdè, atque adeo longè fœdius potius mea ſententia referant, quàm ſi nudi homines incederent. & hęc eſt gloria, qua cœleſtem patrem cupimus honeſtare. idem de mulieribus eſt ſentiendum, quę ſi iniuria afficere hunc patrem de induſtria conarentur, aptiorem excogitare uiam non poſſent. quas cum ſępe hoc nomine ſeuerisſimè redarguerim, uideo me hactenus oleum & operam perdidiſſe. Contemplemur nunc totum hominem & interiorem & exteriorem, & reperiemus nullam prorſus paternę glorię & eius nominis ſanctificandi uobis ineſſe cogitationem. primum ratio & mens, quæ facta eſt, ut Diuinitatis eſſe poſſet domicilium.. habitabo (inquit) & inambulabo in eis, Dæmonum potius habitationi uidetur dedicata, ita fœdis ſordidiſque cogitationibus addicta eſt, iræ, inuidię, auaritiæ, odiis, laſciuię impudicitiæ, reliquiſque uitiorum ac peccatorum monſtris, ut ferarum luſtris ſit quàm ſimillima. eadem exterioris hominis ratio eſt, ut omnibus partibus ſic utantur homines, ut nihil de patris ſanctificatione cogitetur. oculi, qui contemplandæ huic admirandę mundi fabricæ, quę (ut hominum uſibus ſeruiat) facta eſt, fuerunt creati, qua contemplatione ad auctorem ſuum agnoſcendum, amandum, celebrandum erigeretur, in ſolis nunc uanitatibus occupantur, laſciuis ſpectaculis, aſpiciendis mulieribus ad eas concupiſcendas, ſpectandis in arca nummis, ſeruiendumque auaritię. aures item, quę diſciplinis percipiendis, & audiendę Diuinæ legi, ex qua auditione cœlum, & beata illa atque immortalis uita comparatur, creatæ ſunt, nugis & fabulis & impudicis plurimum narrationibus audiendis occupãtur. in reliquis ſenſibus idem fit. uoce uerò & lingua, Deus bone quàm perditè utimur, ut nunc quàm maximè, ſi unquam aliâs, dici illud prophetę poſsit. ſepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolo sè agebant, uenenum aſpidum ſub labiis eorum. & illud. filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. & profectò ſepulcra graue olentia non ita fœtent, ut quorundam ora, dum ex eis prodeunt ſpurciſsima illa colloquia, fœdiſsimique ſermones, ſic in detrahendo & lacerãdo proximo quoque, quod huic ciuitati peculiare eſt, uenenum aſpidum non eſt ita pernicioſum, neque ſagittę ac gladii grauiora infigunt uulnera,

Adag. *Leui.26.* *Pſal.5.* *Pſal.56.*

quàm deteſtandę ueſtrę linguæ. quæ una res ſatis eſt ad inteſtina o-
dia, quibus pleni eſtis, & generanda & nutrienda. atque utinam
eiuſmodi homines contenti eſſent terra, & hominibus, qui in ter-
ra habitant, diuexandis. ſed ponunt in cœlum os ſuum, & omni-
potentiam illam ac maieſtatem Dei fœdius appellant, quàm nos ui
liſsimum quodque mancipium tractaremus. ò bonitatem Dei in-
ęſtimabilem atque inuictam, qui cum nos audit precantes, & dicen
tes, *ſanctificetur nomen tuum*, cum interea contraria omnia pręſte-
mus, tantam ferat impudentiam noſtram ac ſubſannationem. nam
quid eſt ſubſannare Deum, ſi hoc non eſt? ſi quis epiſcopo hono-
rem uerbis precaretur, atque interea omnibus illudendi generibus
aduerſus illum uteretur, non diceretis illum in epiſcopi deriſum
uerba illa protuliſſe? hoc quotidie in Deum facimus, neque aduer
timus, ita ſtupidi ac ſine ſenſu facti ſumus. Miror uerò ſi ad tam
horrendam rerum faciem non contremiſcitis, cui procelloſum ma-
re, cum maximè feruet, ſi comparetur, non ita uehementer ad eius
aſpectum deberemus commoueri. & miramur nos quotidianis ca
ſtigationibus exerceri? miremur potius, tam ſceleratum genus ra-
dicitus non euelli. atque hoc uno nomine Dei incomprehenſam
benignitatem quotidianis laudibus proſequamur, intelligamúsq;
eam nos hoc pacto ad pœnitentiam inuitare, quemadmodum ad-
Rom. 2. monet Paulus, neq; imitemur eos, qui ſecundum duritiam ſuam,
& cor pœnitere neſcium, theſaurizant ſibi iram in die iræ & iuſti iu
dicii Dei. Excutiamus iam tantum ueternum craſſámque ſupinita
tem, & cum poſthac uerba iſta proferimus, intelligamus quod lo-
quimur, ſtudeamúsque id pręſtare quod precamur, ut ſcilicet in
factis omnibus noſtris, ſermonibus, cogitationibus, ſanctificetur
nomen ſanctum huius patris, qui cum filio & ſpiritu ſancto unus
eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO L.

Non difficile quidem eſt ex iis, quæ ſuperiore oratione ſunt dicta, intelligere, quibus rationibus ſanctificare liceat nomen cœleſtis patris, quando ſola eorum contemplatio, quibus ignominia illum afficimus, idonea eſſet ad nos admonendos, quo pacto nomen eius ſanctificemus, ſi uidelicet facta contraria introducamus. verum nequid in re tam vobis neceſſaria deſit mea negligentia, aliquid hodie quoque addendum eſt prius, quàm alias huius precationis partes perſequamur. Cum ergo dicimus *ſanctificetur nomen tuum*, petimus primum, ut nomen Dei, quod per ſe celſiſsimum ac ſanctiſſimum eſt, & per omnia ſecula benedictum, toti etiam mundo clareſcat, ut gentes relicto ſimulacrorum cultu, ſolum uerum Deum uenerentur & adorent, vt Iudęi perfidia ſua relicta & impia ſuperſtitione, Diuino ſpiritu edocti, non ſolum patrem Deum, ex quo omnia, ſed & filium Deum, per quem omnia, & ſpiritum ſanctum in quo omnia, agnoſcant, atque in tribus perſonis eandem maieſtatem, & in ſimplici eſſentia triplicem perſonarum proprietatem adorent. atque in hunc modum omnes ſancti, quotquot ab origine mundi fuerunt, non ſine ardentiſsimo affectu oraſſe leguntur, & frequentiſsimus eſt is orandi modus in pſalmis: ut agnoſcamus *Pſal. 86.* (inquit) in terra uiam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum. & in libro, qui Eccleſiaſticus appellatur. alleua (inquit) manum *Eccl. 35.* tuam ò pater ſuper gentes, quæ non exquirunt te, ut agnoſcant, quòd non eſt Deus niſi tu, & enarrent magnalia tua. & paulò poſt. vt agnoſcant te, ſicut & nos te agnouimus. hæc eſt imitatio doctrinæ Seruatoris Chriſti, qui in terris agens, nil magis curauit, quàm ut nomen patris ſui per orbem omnium terrarum illuſtraretur. hunc nos ut morigeri filii imitati, eiſdem deſideriis optemus, vt adorandi Diuini nominis gloria cœlum ac terram impleat. ut omnis creatura eius ineuitabilem potentiam metuat, æternam ſapientiam veneretur, amet ineffabilem bonitatem. atque hoc optandum eſt, non quòd hoc Dei referat, qui his non eget, ſed ut optimorum filiorum officium impleamus, qui dare operam debent, ut pater honoretur.

noretur. deinde hoc petendum humani generis gratia, ad cuius hoc
Ioan. 17. ſalutem pertinet. hęc enim eſt (inquit ueritas) uita æterna, ut agno
ſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Hac etiam
particula petimus, vt non tantum craſſa idololatria, ſed & omnis ſpi
ritualis infidelitas, qua gloria & honor Diuini nominis imminui-
tur, à nobis tollatur, vt omnes magicæ artes aboleantur, vt Dæmo
num aliarúm que creaturarum incantationes omnino ceſſent, vt
omnis diffidentia ac ſuperſtitio è mentibus noſtris eliminetur. vt o-
mnes hæreſes & impiæ doctrinæ redigantur in nihilum, & verbum
Dei ſyncerè currat ac prædicetur. Rurſus precamur, ne nobis aut
ulli creaturæ ſed ſoli Deo fidamus, vt omnem ſalutis ſpem in Deum
inclinemus, & ab vno illo toti pendeamus. vt quicquid eſt in nobis
Pſ. 113. virtutis, non nobis ſed illi acceptum referamus, dicentes cum Da-
uid. non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. pe
timus etiam, vt quemadmodum nomen filiorum Dei gerimus, ita
& caſti, & inculpatis moribus gloriam tanti nominis ſanctificemus
ac illuſtremus. quod facimus cum ſedulo ac pro viribus conamur
ſequi Chriſti veſtigia. Deum ſuper omnia, & proximos tanquam
noſmet ipſos diligentes, atque adeo bene uolentes iis, qui malè no
bis uolunt. hæc enim propria eſt imitatio cœleſtis patris, quemad-
Matt. 5. modum admonuit Dominus dicens. vt ſitis filii patris veſtri qui in
cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit
ſuper iuſtos & iniuſtos. tunc enim pro modulo imbecillitatis no-
ſtræ ſanctificatur & glorificatur Deus in nobis, ſicut perfectiſsimè
glorificatus eſt in filio ſuo, ſi mundus nos conſpiciat iuxta eiuſdem
filii ſui doctrinam viuentes, quod idem admonuit, vt faceremus.
ibidem. luceat (inquiens) lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra
bona opera, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. petimus
demum, ne in ea crimina, à quibus abluti, iuſtificati, & ſanctificati
ſumus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei no
ſtri, rurſus incidamus. ſed vt hęc ſanctificatio integra in nobis per
petuò perſeueret. his enim modis nomen patris ſanctificabitur &
honorificabitur in nobis. ſed tempus eſt, aliam, quę ſequitur, ui-
dere poſtulationem. *Adueniat regnum tuum.* ſuperior quidem po-
ſtulatio, quæ prima fuit omnium, in hoc unum ſpectauit, ut no-
men patris honeſtaretur, nulla habita noſtrę vtilitatis ratione. quam
uis enim totum in noſtram vtilitatem redundet, eo tamen animo
eſſe

eſſe debemus, vt nulla quamuis maxima damna recuſemus, modo illa in maiorem dei gloriam cedant. cuius rei egregium prębuit exemplum Paulus, qui ob ingentem affectum in Chriſtum, contentus erat anathema fieri ab ipſo Chriſto, & ab eo in Geennam relegari, ſi hoc in eius gloriam eſſet magis redundaturum. eius ergo generis fuit prior poſtulatio. hæc autem, quæ prima eſt earum, quibus aliquid, quod ad vtilitatem noſtram pertinet, poſtulatur, uide quid petat. ut regnum patris ueniat: qua re admonemur, ut intelligamus, id in primis noſtra intereſſe, atque utile nobis eſſe, ut ante omnia de hoc regno cogitemus. atque hoc eſt, quod Dominus ipſe admonebat, cum iuberet, ne ſolliciti eſſemus, quid ederemus, aut quid biberemus, aut quo ueſtiremur. quærite (inquit) primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hęc omnia adijcientur uobis. Sed uideo non à multis intelligi, quid ſit regnum Dei, quo non intellecto, conſequens etiam eſt, ut neſciatur, quid his uerbis ſit poſtulandum, cum dicimus. *adueniat regnum tuum.* quare hoc prius declarandum eſt. Cum Dominus ſępe in ſermonibus ſuis huius regni faceret mentionem, atque adeo initium prædicationis eius hoc fuiſſet, cũ dixit. pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. cum ergo frequens apud illum eſſet eius mentio, interrogatus fuit à Phariſęis, quando regnum Dei uenturum eſſet. qui reſpondit eis. non uenit regnum Dei cum obſeruatione. neque dicent, ecce hic & ecce illic. ecce enim regnum Dei intra uos eſt. & paulò poſt. ſicut fulgur coruſcans è regione, quæ ſub cœlo eſt, in alteram, quę ſub cœlo eſt, fulget, ita erit filius hominis in die ſua. quaſi diceret, non uenire regnum Dei cum obſeruatione loci ac temporis, quemadmodum in regnis huius mundi uſu uenit: ſed regnum hoc parari nunc in ſpiritu (hoc enim eſt quod ait, regnum Dei intra nos eſſe) ſuo autem tempore, hoc eſt, in futuro ſeculo totum ſimul declarandum in morem fulguris: in hunc modum interpretatus eſt Paulus, cum dixit. regnum Dei non eſt eſca & potus. ſed gaudium & iuſtitia & pax in ſpiritu ſancto. & cum Seruator Chriſtus dixit Pilato, regnum meum non eſt ex hoc mundo, non illud ſolum aſpexit, quòd in cœlo eſſet regnaturus, ſed quòd eius regnum tale non eſſet, quale homines agnoſcunt, corporeæ huius ſcilicet ac temporariæ gloriæ, ſed in ſpiritu omnia agi, & illum regnare in animis hominum. regnum autem hoc etiam in mortali

Rom. 9. *Mat. 6.* *Luc. 12.* *Mat. 9.* *Luc. 17.* *Rom. 14.* *Ioan. 18.*

hac uita exercetur. & quicunque, dum in hac uita degunt, huius regni uirtutem in ſe minimè ſentiunt, non uideo quo pacto illud in futurum ſibi poſsint polliceri. Regnum hoc ſæpe in Euangelio appellatur regnum cœlorum, quo item ſignificatur ipſa Chriſtiana reſpublica, quæ nunc extat. Cum ergo dicimus, *adueniat regnum tuum*, non petimus, ut regnet in terra, cum ſemper in ea

Tho. 13. regnauerit, & regnum eius appelletur regnum omnium ſeculo-

1.*Ti.* 1. rum. ſed optamus, ut hoc ſpirituale regnum ignoranti mundo fiat manifeſtum. regnum hoc etiam gratiæ appellatur, quod nihil eſt aliud, quàm ſpiritualis liberatio à peccato. quam liberationem ef-

Col. 1. ficit Deus per filium ſuum, qui, ut ait apoſtolus, eripuit nos de po teſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilecti ſui, in quo habemus redemptionem & remiſsionem peccatorum. hoc gratiæ regnum eſt iuſtitia conſcientię, quod dudum diximus appellatum

Rom. 14. à Paulo, gaudium, iuſtitiam & pacem in ſpiritu ſancto. cõſtat enim

Rom. 5. iuſtificatum ex fide pacem habere erga Deum, quæ iucundiſsimam animi tranquillitatem & ineffabile gaudium parit, ac ſecuritatem, aduerſus carnis, mundi, & Diaboli tyrannidem. de quo gaudio di

Pſal. 5. ctum eſt à propheta. Lætentur omnes, qui ſperant in te, in ęternum exultabunt & habitabis eis. ab hoc gratiæ regno ad illud gloriæ iter

Mat. 25. eſt, cuius meminit Dominus, cum ait, ſe dicturum in iudicio. ueni

Mat. 7. te benedicti patris mei, poſsidete regnum. & rurſus. qui facit uolun tatem patris mei, qui in cœlis eſt, hic intrabit in regnum cœlorum.

1.*Cor.* 6. & Paulus. an neſcitis, quòd iniqui regnum Dei non poſsidebunt?

Eph. 5. & ad Epheſios. hoc ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hęreditatem in regno Chriſti & Dei. His declaratis minus difficile erit agnoſcere, quid nos iubeat Dominus his uerbis petere. cum enim Diabolus & ante Chriſti aduentum regnum ſuum ita propaga

Ioan. 4. uerit, ut princeps mundi huius à Domino, & Deus huius ſeculi à

2.*Cor.* 4. Paulo ſit appellatus, & nunc etiam ne uictus quidem ſemel & regno pulſus ceſſet, quin potius à ſua tyrãnide liberatos, ac filios Dei effectos oppugnare non deſinat tandiu, dum in hoc mortali corpore degimus. ſolicitat enim ueteris peccati reliquias, & humanas ingerit cupiditates, quibus carnis defectionẽ aduerſus ſpiritũ molitur. idcirco petimus non ſolum vt qui nondum huius regni famã accepe runt, illã agnoſcant, uerum etiã ut Deus quos ſemel à Satanę tyrannide

nide liberatos eſſe voluit, regere et & gubernare dignetur, ne rurſus in eandem tyrannidem reuoluantur, né ue deinceps regnet peccatū in noſtro mortali corpore, vt obediamus concupiſcentijs eius, aut exhibeamus membra noſtra mēbra peccati, ſed magis liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, & in regnū eius aſciti, exhibeamus membra noſtra ſeruire iuſtitiæ, vt eiecto ſemel per Chriſtum regem noſtrum Satana huius mundi principe, poſthac ſeruiamus Deo in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus noſtris. vt quemadmodum Chriſtus ſpiritu cœleſti impium huius mundi ſpiritum ac principem vicit, & ſua innocentia peccatum ſuperauit, ita nos per eundem feliciter vincamus, & in Deo regnemus, ac viciſsim Deus in ſui nominis gloriam regnet in nobis. ſic regnauit in ſanctis martyribus, incorruptis cōfeſſoribus, caſtisſimis virginibus. qui ſemel in Chriſto ſanctificati & regenerati, carnis laſciuiam, mundi malitiam & ſapientiā, & Satanę molitiones fortiter feliciter que vicerunt, quorum recordatione optemus & nos, vt eadē fide donemur, vt ſpreto huius mundi regno, contemptis que, quæ pulchra ac dulcia hic videntur, ſequamur promiſſa regni cœleſtis. Petimus item his verbis, vt pater ille cœleſtis aream eccleſię ſuę purget, & de regno ſuo tollat omnia ſcandala, vt ſublatis hæreſibus & ſchiſmatibus vniuerſis, eccleſia trāquilla gaudeat libertate. petimus vt principes ac magiſtratus, qui ſępe in Dei ignominiam poteſtate ſibi ab ipſo Deo data abutuntur regnū hoc ſpirituale agnoſcant, ac ſanctæ eccleſię Dei moleſti eſſe deſinant, quin potius in viua eccleſiæ membra coaleſcant. demū petimus, vt recepti in regnum gratiæ & miſericordiæ Dei, tandē & regnum gloriæ, poſt temporarię huius vitæ curriculum adipiſcamur. hoc ſummum illud votum eſt, quod de optima conſcientia & rebus hiſce fluxis caducis que exuta oritur, quod omnes ſancti intimis affectibus ſemper optarunt. cupio (ait Paulus) diſſolui, & eſſe cum Chriſto. & rurſus. & ipſi qui primitias ſpiritus habemus, nos ipſi in nobis ipſis gemimus adoptionem filiorum, expectantes redemptionem corporis noſtri. ſed nunquam in huius regni deſiderium toto animo veniemus, niſi diſcamus hic regnare, quod tum facimus, cum dominamur intemperatis affectibus, eós que rationi ac menti & Euangelicis præceptis ſubijcimus. hoc enim verè regnare eſt, ac multò magis, quàm in terreno regno, vbi quis cum maximum imperium adeptus ſit, vitijs tamen ſeruit atq; peccatis. qui enim facit peccatum, (ait ipſe

Rom. 6. *ibidem.* *Luc. 1.* *Phil. 3.* *Rom. 8.* *Ioan. 8.*

ipſe Dominus) ſeruus eſt peccati, quæ ſeruitus eſt ipſa morte odioſior, teſtibus etiam ethnicis, qui dicunt, expedire ei, qui vti ſenſibus & anima neſciat, vt non viuat, quàm vt viuat, & ſui iuris minimè ſit. quem ſi qua neceſſitas cogat viuere, melius huic eſſe, vt ſeruus uitã ducat, quàm liber. Cernis virum ethnicum iudicauiſſe melius eſſe mori, quàm ſeruire peccatis, & prҿterea ſeruitutem peccati corporea hac atque humana ſeruitute eſſe deteriorem? hæc enim vna eſt pudenda ſeruitus, non ſiquis ob inopiam, corpoream exerceat ſeruitu-
1. Cor. 7 tem. quod intelligẽs Paulus nihil referre, aiebat. ſeruus vocatus es? tu ne curaris. non inquam pudor eſt, hanc ſeruitutem ſeruire, ſed cũ interior homo vitijs & prauis affectibus ſubiectus eſt. nam eiuſmodi homines etiam in maximo imperio mancipia vilisſima ſunt, neq; fateri quiſquam debet, qui ratione vti velit, illos regnare. an tu regnare illum rectè cenſeas, cui plures tyranni dominantur? apage. at quiſque tot tyrannos patitur, à quot vitijs eſt poſſeſſus. quare nõ ineptè externi philoſophi declarant ſolum ſapientem (quo nomine accipiebant probum virum & omnibus numeris abſolutum) eſſe liberum, nec dominationi cuiuſquam parere, qui non obediret cupiditatibus. ſolius item ſapientis omnia eſſe, qui ſciret vti ſolus omnibus. ſolum eſſe pulchrum, cum animi lineamenta ſint pulchriora quàm corporis. ſolum inuictum, cuius etiam ſi corpus conſtringatur, animo tamen vincula inijci nulla posſint. hæc ethnici in medijs tenebris intellexerunt, nos verò in tanta luce veritatis erimus ethnicis inferiores? hoc nullo modo eſt ferendum. quare optemus ſummis votis, vt veniat hoc regnum patris, hoc eſt, vt ipſe regnet in no-
Rom. 6. bis, cui ſeruire regnare eſt. neq; poſthac regnet peccatum in noſtro mortali corpore. hoc enim quædam erit reprҿſentatio illius regni, quod nobis poſt mortalem hanc vitam paratum eſt, & præterea hac vna via ad illud præparamur. ſicut enim neceſſe eſt ſpiritualem reſurrectionem illam corpoream prҿcedere, de qua ſpirituali videlicet,
Colo. 3. dixit Paulus. ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, ſic ſpirituale hoc regnum prius experiri nos oportet in nobis, quàm illud in cœlo habeamus. quod erit conſummata ac plena felicitas, quam agnoſcamus obſecro, atq; identidem meminerimus, nos ad regnum eſſe factos, idque ſempiternum, atq; vt filii regni ambulemus, & caueamus indigna nobis poſtulare. at is indigna poſtulat, qui hoc regno inferiora poſtulat, ſi etiam totius terrҿ imperiũ poſtularet. quid

enim habet terrenum regnum,quod cum cœleſti queat comparari? primum ſi regnandi ſpatium ſpectes, nihil à duarum horarum fabula differt,quę in ſcena agatur.quod quis mente præditus plurimi faciat? deinde continuis etiam in ſumma pace perturbationibus ac ſuſpicionibus diuexatur, vt mittam quàm ſæpe bella intercedant, tum rex ipſe,præter animi quotidianas curas, quibus ſi ſuo fungi officio vult, nunquam liber eſt,atq; in hac parte deteriore, quàm ſubiecti, eſt conditione,præter hæc inquam,nihilo magis ſecurus eſt à corporis morbis,aut eius neceſsitatibus liber, quàm quiuis è populo, vt preter illam erroris opinionem,qua creditur à vulgo magnum quippiam eſſe regem,nihil præterea reperias quod mirere. taceo interea ſi contingat illum,quod frequentiſsimè vſu venit, vitijs atque peccatis eſſe obnoxium,tunc enim non regnum illud ſed miſeranda ſeruitus appellanda eſt. at in regno Dei contraria omnia reperias, atq; in primis nullum finem eſt habiturum, quod ad ſolidam felicitatem tanti refert,vt ſine hoc felicitas appellari non poſsit. quamuis enim longiſsimum tempus tibi proponas,finem aliquando eſt habiturũ. at ſi amitti vita beata poteſt (vt rectè quidam externus dixit) eſſe beata non poteſt, dum confidere non poteſt ſemper ſibi illud bonum ſtabile & firmum permanſurum. qui autem diffidit perpetuitati bonorum ſuorum,timeat neceſſe eſt, ne aliquando amiſsis illis ſit miſer, beatus autem eſſe in maximarum rerum timore nemo poteſt. primum ergo eſt huius regni bonũ æternitas,cui coniuncta eſt ſumma pax & perpetua tranquillitas. faceſſunt illic curæ & pericula & bella & metus. nullę vel animi vel corporis moleſtiæ accidere poſſunt,ſumma & interioris & exterioris hominis libertas eſt.breuiter, oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, *Eſa. 64.* quæ præparauit Deus diligẽtibus ſe. quod ſi totius terrę imperium præ illo regno eſt contemnendum, quantò magis hæc minima quibus tam anxiè affixi eſtis? quare contemnamus has ineptias, & animum ad regnum illud transferamus,ubi cum beatiſsimis illis ſpiritibus cœleſti patre frui liceat. ne quęſo committamus, ut ſuperent nos ethniei generoſitate animi,& optando illo regno. videte enim, quid eorum quidam dixerit. O pręclarum (inquit) diem,cum ad illud Diuinorum animorum cõcilium cœtúm que proficiſcar,& cum ex hac turba & colluuione diſcedam. quantò id magis nobis filijs regni eſt votis omnibus expetendum, quorum aures frequentiſsi-

mè iſta circunſonant? optemus ergo quotidie, quemadmodum hic docemur, vt veniat regnum patris in nos, hoc eſt, vt dum ſumus in hac vita regnet in nobis, vt in futura cum illo regnemus. qui cum filio & ſpiritu ſancto vnus eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

ORATIO LI.

FIAT *uoluntas tua, ſicut in cælo & in terra*. Superiore precatione poſtulatum fuit, ut ſublato Satanæ regno, cœleſtis patris regnum introduceretur. nunc verò huius regni ſtabilimentum, atque perfectio mihi videtur poſtulari. vt ſcilicet nihil ſit aliud Chriſtiana reſpublica, quàm eius vitę quæ in cœlo ſit, repręſentatio. quare non his verbis petitur, quod fortaſſe quiſpiam ſuſpicetur, ne impediatur vo-
Pſ. 113. luntas Dei, quò minus faciat, quod vult. nam Deus noſter in cœlo,
Heſt. 13 omnia quæcunque uoluit, fecit. & alibi, non eſt qui poſſit tuę obſiſtere voluntati. non ergo petimus vt faciat Deus, quod vult, ſed vt nos, quæ ipſe vult à nobis fieri, facere poſſimus. ipſe enim eſt, qui operatur & velle & perficere pro bona voluntate. & profectò hoc votis omnibus eſt poſtulãdum, vt nunquam voluntas noſtra fiat, quæ
Gen. 8. ſemper aut mala eſt, aut propẽdens in malum. ſenſus enim (inquit) & cogitatio humani cordis in malum prona eſt ab adoleſcentia ſua. iccirco quidam ſapiens admonebat, poſt concupiſcentias tuas (in-
Eccl. 18. quiens) non eas, & ab appetionibus tuis auertere. inuenies enim ſemper in ſcripturis ſanctis propriam hominis voluntatem damnari. cum enim quererentur homines, & quaſi cum Deo expoſtula-
Eſa. 58. rent, ac dicerent, quare ieiunauimus & nõ aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras & neſciſti? ecce (inquit) in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. quę? nempe ea, quę hominibus eſt familiariſſima, vt non aliam ferè agnoſcant. omnes (inquit) debitores veſtros repetitis, ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impio. quòd ſi accuratius perueſtigare volueritis, inuenietis propriam voluntatem eſſe, quę omnia confundat atque peruertat, dum volumus ea duntaxat, quę ſatis noſtris appetitionibus faciant,

neque

neque eam uoluntati Dei ſubiicere ſtudemus. hinc odia, inimicitię, lites, contentiones, diſsidia, cędes, bella, urbium prouinciarúm q; euerſiones, atque adeo Geenna ipſa, æternáq; incendia. nam rectè uir optimus quidam dixit. tolle propriam uoluntatem, & infernus non erit. ex hac noſtra uoluntate, qua pro arbitrio uti libet, nec patimur à Dei uoluntate regi, fit, ut nunquam ſimus quieti, ſed per totam uitam quibuſdam quaſi fluctibus agamur. hinc inſatiabilis habendi cupiditas, honorum appetitio infinita, cupiditatum ęſtus. cum uerò omnia, quæcunque optari uanis hiſce appetitionibus poſſunt, fuerimus aſſecuti, tunc nihilo minoribus, quàm antea perturbationibus agitamur, atq; huius mali una cauſa eſt, quòd puerorum more neſcimus quid optemus, et ea plurimum petimus, quę nobis futura ſint pernicioſa. & niſi quòd Deus, tanquam noſtri amantiſsimus pater, impedit ſępenumero ne uotorum noſtrorum compotes ſimus, longè eſſemus infeliciores. quanquam & in hac parte ſumus ingrati, qui, cum gratiæ Deo agendæ eſſent, quòd non omnia, quę in hac uita à nobis expetuntur, utilitatis noſtræ gratia habere nos paſſus ſit, dolemus ac querimur, tanquam ſtultiſsimi infantes. qui, cum ceduntur, non intelligunt, hoc eſſe ingens parentum beneficium erga ſe. & uę nobis tunc, cum cernens Deus indeflexam durám que ceruicem noſtram, quæ ſe domari ac regi non ſinat, dicit, dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt *Pſ. 80.* in adinuentionibus ſuis. quare poſthac ne ſimus imprudentes, quemadmodum admonet Paulus, ſed intelligentes, quę ſit uolun- *Ephe. 5.* tas Dei. quę quantum accuratè à nobis perquirenda ſit, alibi idem Paulus admonet, cum ait. ut probetis, quæ ſit uoluntas Dei bona, *Rom. 12.* & bene placens & perfecta. neque contentus fuit dicere ſimpliciter, quærendum eſſe, quæ ſit uoluntas Dei bona. eſt enim uoluntas Dei quædam, quę propria ratione bona appellatur. at illa ſi præter tempus ac perſonam fiat, non placet Deo. quod intelligens propheta aiebat, ſe plerunque ſiluiſſe à bonis, cum cerneret eos, qui- *Pſ. 38.* bus cum loqueretur, magis ex ſuis uerbis offendendos, quàm iuuandos. quòd ſi ſeruatio & tempore & perſona, atque huiuſmodi rebus adhibeatur, præterea ingens ſtudium, nequid inerter fiat, ne quid deſit, tunc & bona & placens & perfecta eſt. quæ apoſtoli uerba optarim, ut in ipſis rectè factis etiam ueſtris recordaremini. cerno enim, cum aliquid boni inſtituitis, dum uel rei, quę fit, uel temporis

poris uel perſonarum ratio non habetur, id, quod alioqui bonum eſſet, in contrarium commutari, ac fieri malum. cuius rei unum ſatis erit exemplum proferre, in quo maximo cum animarum ueſtrarum damno peccatis. inuiſere quidem templa, exercendę pietatis gratia, bonum quidem per ſe eſt. at ſi fiat eo tempore, quo in hunc locum cum omni eccleſia eſt conueniendum, ad audiendum uerbum Dei, ad accipienda Euangelica dogmata & ueſtri paſtoris monita, hoc non placet Deo. quare etiam eſſe bonum deſinit. ſit q; ex uno bono, quod uidelicet bonum eſſet, ſi cum iudicio ac ſuo tempore fieret, duo exiſtant mala. nam & id, quod faciunt, dum eo pacto fit, non placet Deo, hoc eſt, euadit malum, & res tam neceſſaria, quàm eſt auditus uerbi Dei, prætermittitur, ex quo uno auditu, quæ ſit uoluntas Dei, poſſumus intelligere, qui ſi deſit, in il-
Eſa.5. lud incidimus, quod Eſaias reprehendit, ut dicamus malum bonum & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras. Lu-
Pſ. 118. cerna enim eſt uerbum Dei (ut ait pſaltes) pedibus noſtris, & lumen ſemitis noſtris. quamobrem idem propheta in alio pſalmo, quem ob gratias agendas compoſuit, inter alia Dei beneficia populo ſuo
Pſ. 102. collata, & hoc numerat. notas fecit (inquiens) uias ſuas Moſi, filiis
Pſ. 147. Iſraël uoluntates ſuas. & alibi, qui annunciat uerbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraël. quod etiam ſingulare munus agnoſcẽs adiecit. non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. in his agnoſcitur uoluntas Dei, quam in hac precatione petimus fieri, ut ſcilicet, nos qui in regnum gratiæ admiſſi ſumus, & agnouimus, quæ ſit uoluntas Dei, illam etiam rectis atque honeſtis factis aſſequamur, alioqui in regnum gloriæ non ingreſſuri, dicente
Mat.7. Domino. non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. hoc eſt, non ſatis eſt agnoſcere me Dominum, atque huius philoſophię ueritatem, niſi etiam ea, quæ præcipiuntur, efficere quis ſtudeat. Et fortaſſe, cum de Dei uoluntate fiat mentio, expectet quiſpiam, dum hic explicem, quot modis uoluntas Dei accipiatur, & quæ ſit uoluntas adoranda tantum non curioſius peruestiganda, de
Rom.9. qua dicit apoſtolus, cuius uult miſeretur, & quem uult indurat, quæ ad præſcientiam ac prædeſtinationem pertinet. item quæ agnoſcenda, ut ea ſunt, quæ ob ſalutem noſtram uoluit operari. & quæ ſequenda & facienda, quam declarauit in iis, quæ nobis præcepit.

quę

quæ etiam ſit illa uoluntas Dei, quæ ſemper impleatur, quę uerò illa, cui homines aduerſentur. & alię nonnullæ de Dei uoluntatibus diſtinctiones. uerum hæc omnia pro dignitate tractare, ratio temporis non patitur, neque uerò uideo eſſe iis, quos adeſſe cerno admodum neceſſaria. quare ſatis erit in pręſentia uos ſcire, duabus in primis rębus agnoſcendam uoluntatem Dei. primum in eo quod Paulus ſępe commemorat, pręſertim eo loco, ubi dicit, ſe orare & *Col.1.* poſtulare, ut fideles impleantur agnitione uoluntatis Dei, gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilecti ſui, in quo habemus redemptionem & remiſsionem peccatorum, qui eſt caput corporis eccleſię, primogenitus ex mortuis, in quo placuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſum, dum pacificauit per ſanguinem crucis eius ſiue quę in terris, ſiue quę in cœlis ſunt. quæ uerba ſummam complectuntur eorum, quæ Deus ſua liberaliſsima uoluntate egit erga genus noſtrum, cuius uoluntatis memoriam ſemper ante mentis oculos habere conſentaneum eſt. altera Dei uoluntas eſt, in lege eius comprehenſa, ac ſita in Diuinorum mandatorum cuſtodia, quam Dauid ſæpe doceri poſtulat. benedictus (inquit) es *Pſ. 118.* Domine, doce me iuſtificationes tuas. &, deduc me in ſemita mandatorum tuorum. &, tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis. quare impensè orat adijciens. utinam dirigantur uiæ meę ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. cuius etiam rei ingentem fructum narrat dicens. tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. hanc uoluntatem ſuam Deus perſpicuè demonſtrauit nobis in filio, quem ob hanc cauſam iuſsit ut audiremus, cum è cœlo intonans dixit. hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè com- *Matt. 3.* placui, ipſum audite. docuit uerò ipſe filius factis ipſis, uoluntatem Dei propriæ anteponere, factus obediens uſque ad mortem & eam *Phil.2.* crucis, quo circa dicebat, deſcendi de cœlo non ut faciam uolunta- *Ioan.6.* tem meam, ſed uoluntatem eius qui miſit me. & ad patrem, non mea uoluntas ſed tua fiat, docuit nihil amori Dei anteponere. & *Luc. 22.* meritò ſanè, cum cœleſtis pater & ipſe nihil ſaluti noſtræ antepoſuerit, ne filium quidem (O bonitatem, ò charitatem) illum unigenitum, per quem facta ſunt omnia. proprio (inquit) filio non pe- *Rom.8.* percit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. docuit, ſoli Deo con-

ſtantiſsimè

*Mat.*10. ſtantiſsimè fidere, qui tantum amet nos, ut & capillos noſtros ha-
*Deu.*6. beat numeratos. docuit, proximos noſtros ęquè atque nos amare,
Luc. 10. atque adeo pro illis uitam ponere, quod ipſe in primis præſtitit. do
*Mat.*5. cuit, non ſolum neminem iniuria afficere, ſed eum, qui affectus in
iuria ſit, ferre generosè, & pręterea beneficentiam reddere pro ma
leficio. docuit, pacem cum fratribus ſeruare, cordis munditiem
amplecti, uerecundiam in uerbis, iuſtitiam in factis, humilitatem
in conuerſatione, in moribus diſciplinam, in operibus miſericor-
1.*Io.*2. diam exhibere. Hęc eſt uoluntas Dei, de qua Ioannes ait, qui facit
1.*Theſ.*4 uoluntatem Dei, manet in ęternum. & Paulus, hæc eſt uoluntas
Dei ſanctificatio ueſtra. cum ergo dicimus, *fiat uoluntas tua*, hæc
omnia in nobis Deo iuuante agi petimus, ſine quo nihil boni facere
re poſſumus. ut hanc uoluntatem faciamus, monemur meditari in
Pſal. 1. lege Domini die ac nocte. ob hanc cauſam præcepit Deus Ioſue. ne
Ioſue. 1. recedat (inquiens) uolumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis
ris in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quę ſcri-
pta ſunt in eo: tunc diriges uiam tuam, & intelliges eam. non decli
nes à uerbis legis huius ad dexteram uel ad ſiniſtram, ut intelligas
cuncta quę agis. & ſanè hoc prorſus neceſſarium eſt. cum enim ab
ea recedimus, confeſtim uoluntas noſtra interſeritur, quę tantum
1.*Ioan.*2 ad errores & uitia propendet, neque aliud eſt, quàm concupiſcen-
tia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitę, quæ non
Deu. 11. ſunt ex patre. quare de hac lege rurſus populo dictum fuit. ponite
hæc uerba mea in cordibus & animis ueſtris, & ligate ea pro ſigno
in manibus, & inter oculos ueſtros collocate. docete filios ueſtros
ut loquantur de illis quando ſederis in domo tua, & ambulaueris in
uia, & accubueris atque ſurrexeris. ſcribes ea ſuper poſtes & ianuas
domus tuæ. cernis quanto uoluerit Deus ſtudio in legem eius in-
cumbi unam tantum ob cauſam, ut uolũtas eius intelligeretur, qua
intellecta, facta omnia noſtra ad illius normam dirigerentur? quę
una uia eſt ac ratio, qua non rectè ſolum ac iuſtè, ſed etiam trãquil-
lè hanc uitam agamus. cum enim hoc affectu eſſe decreuerimus, ut
nihil optemus, niſi ut Dei uoluntas in nobis fiat, & cum præterea
certò ſciamus, nihil nobis ſine huius cœleſtis patris uoluntate acci-
dere poſſe, mox quicquid ingruerit, ęquiſsimo ac paratiſsimo a-
nimo ferimus. hoc affectu niſi inſtructus fuiſſet Abraam, atque ar
matus, nunquam profectò egregium illud facinus aggredi potuiſ-
ſet

ſet immolandi (quantū in ſe fuit) filii illius unigeniti ac dilecti Iſaac, in quo tam felicia acceperat promiſſa, fore ſcilicet, ut in eo omnes cognationes terræ benedicerentur. uide uerò quàm hoc pręſtiterit generosè. ipſe aſinum, qui negocio peragendo erat neceſſarius, ſtrauit, ipſe concidit ligna in holocauſtum, ipſe duxit filium, non ueritus ne toto illo trium dierum ſpatio (quod ſpatium data opera proculdubio imperatum à Deo fuit, ut uiri conſtantia magis clareſceret) dolore conficeretur, ac interiret. ipſe demum colligauit filiū, atque in altari ſuper ſtruem lignorum immolandū collocauit, rem peracturus (extenderat enim manum, & gladium arripuerat, ut filium immolaret) niſi cœleſti angeli uoce fuiſſet ei prohibitum. hæc omnia, quæ profectò humanam ſuperant imbecillitatem, confecit conſtans ille ac paratus animus ad uel præſtandum uel ferendum, quicquid ſciret à uolūtate Dei proficiſci. Sic beatus ille Iob omnium & facultatum & filiorum iacturam, eodem atque uno tempore audiens, non eſt fractus animo, ſed mox ad uoluntatem Dei, tanquam ad inexpugnabile aſylum accurrens dixit. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. demum crudeliſsimo affectus morbo à planta pedis uſque ad uerticem, ſponte ſe ad pœnitentiam parat, tantum abeſt, ut malum deprecetur, & in medio cineris ſedet. pœnitentis enim erat indicium, ſedere in medio cineris. ueteri more, quo ſe aſpergebant cinere pœnitentes, induebantur ſacco, ſic que teſtabantur. ſe è puluere ortos, in puluerem reuerſuros. & cum totus ſanie ſcateret, ut cum hac humilitate magnanimitatem prę ſe ferret, ad ſiccanda ulcera non molliculis linteolis utebatur, ſed immundam ſaniem teſta excipiebat. tanta eſt uis humanæ uoluntatis cum Diuina uoluntate coniunctæ. quam noſtram uoluntatem vt Seruator Chriſtus doceret in hac precatione qualis eſſe oporteret, non ſolum uoluit, ut diceremus. *fiat uoluntas tua,* ſed ut adderemus, *ſicut in cœlo, ita & in terra*. hoc enim cum dicimus, poſtulamus ut uoluntas noſtra abſolutiſsimè uoluntati Diuinę ſubiiciatur. in cœlo enim purgatiſsimę illę mentes nihil omnino uolunt pręter id, quod cœleſtis patris uoluntati placere conſpiciunt. nullum quamuis humile miniſterium detrectant, non dedignantur eſſe adminiſtri ſpiritus, & in miniſterium mitti propter nos, qui lutoſas domos incolimus, & hęc faciūt propterea, quòd cernunt ita Diuinę placere uoluntati. Neque uerò

Gen. 22. *Iob. 1.* *Heb. 2.*

dubitandum eſt, nos, ſi impensè atque ex animo hæc uerba profer remus, cum dicimus *fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra*, aſſecuturos uitam illi cœleſti quàm ſimillimam. quod ut non incredibile nobis uideatur, innumeros habuit Chriſtianum regnum huius generis & viros & mulieres, qui angelorum uitam in hoc fragili corpore repræſentauerunt. ſed ne nunc quidem deſunt, & non dubito ne impoſterum quidem unquam defuturos. quo in genere (ne audita tantum aut lecta, ſed quæ per triginta iuſtos annos expertus ipſe ſum, narrem) monachorum ac cœnobitarum ſacer ordo eſſe conſpicitur. primum enim, quemadmodum in cœlo communia omnia ſunt, concordes inter ſe omnes ab unius patris uoluntate dependent, ſic in iis, qui communitatem uitæ ac uictus per fectiſsimè amplexantur, in qua priuatarum facultatum poſſesſio relegatur, controuerſiæ & opinionum contrarietas abierunt, turbatio omnis & contentio & lites è medio ſublatæ ſunt, communia uerò omnia, animę, ſententiæ, corpora, & quibuſcunque corpora nutriuntur, atque curantur. quemadmodum communis Deus, ſic communis pietatis negociatio, communis ſalus, communia certamina, communes labores, communes coronæ, multi unus, & ille unus non ſolus, ſed in pluribus. Quid huic reipublicę par? quid ea beatius? quid hac morum & animorum contemperatione gratioſius? homines diuerſorum generum & regionum incitati, in tam exquiſitam (ut ſic dicam) identitatem coaptati ſunt, vt anima una in multis corporibus, & multa corpora unius uoluntatis inſtrumenta uideantur. Tales nos à principio Deus eſſe uoluit, & in iis ut eſſemus, condidit. antiquum ij renouant bonum, primi parentis Adæ peccatum obtegentes. diuiſio enim & diſſenſio & bellum non eſſet inter homines, niſi peccatum naturam diſſecuiſſet. Hi naſcentis eccleſię primordia præ ſe ferunt, & manifeſti Seruato-
Mat. 10. ris imitatores, eiús que in carne conſuetudinis exiſtunt. nā quemadmodum ille chorum diſcipulorum conſtituens, communia om-
Luc. 9. nia, communem ipſe ſe apoſtolis præbuit; ſic & hi magiſtro ac duci obtemperantes, apoſtolorum ac Domini formam uiuendi accuratè imitantur. hi uitæ hominum apertè declararunt, ſe diruptam hominum naturam, & infinitas in parteis diſſectam, quantum in ipſis eſt, rurſus ad ſeipſam, & ad Deū reuocare atque colligere. Quid, ſi comparemus, pręter cœleſtem rempublicam, ad tanti boni ęqualitatem

tatem accedat? ubi pater quidem unus ſupernum imitans patrem, filii uerò multi mutua erga præſidem ſuum beneuolentia certant, inter ſe unanimes,& patrem amplexantes factis cum uirtute cõiunctis. nullam hi profectò niſi cœleſtem hic imaginem referunt. incorrupti filii ſuperni patris, & hos incorruptio uindicauit. dilectio colligat ſuperiora, dilectio & hos inter ſe coaptauit. angeli in cœlo Deum perpetuis laudibus proſequuntur, hi diebus ac noctibus eiſdem laudibus incumbunt. angeli ſuis in miniſteriis nil cogitant, quod ad priuatam pertineat rationem. hi nihilo minus toti à patris pendent arbitrio, ſuá que officia pro illius exercent uoluntate. & hi homines tamen ſunt, eandem uobiſcum naturam ſortiti, nequis ueſtrum excuſet, cur uobis eiuſmodi mores ac uitam non liceat imitari. hanc uitam docemur à Seruatore Chriſto in hac precatione optare, atq; adeo perfectiorem, eam nimirum, quę in cœlo agitur, cui etſi ea, quam deſcripſimus, perſimilis ſit, non tamen prorſus illam æquare idonea eſt. hunc rerum ſtatum multò ante prædixit Eſaias in eccleſia futurum, cum de eadem eccleſia loquens dixit. uocaberis uoluntas mea in ea. quibus uerbis declarat, quanta futura fuiſſet ueræ eccleſię (nam eius nunc ſolum ſupereſt nomen) cum Dei uoluntate coniunctio, ut hoc nomen illi aſſignari poſſet, ut pro nomine proprio, uoluntas Dei in ea, appellaretur. quod ſane in naſcentis eccleſię initiis perſpicuum fuit, ubi credentium numerus erat cor unum & anima una. & quotidie erant in templo laudantes & benedicentes Deum. neque erat illis ulla cogitatio alia, quàm ut uoluntati Dei obtemperarent. Et uide ut omnia hæc in noſtram demum utilitatem redundent. cum enim nos plenè illius uoluntati fuerimus ſubiecti, tunc omnia pro uoluntate noſtra ab illo aſſequemur. ſic enim ipſe per prophetam pollicitus eſt. uoluntatem (inquit) timentium ſe faciet. quo quid beatius excogitari à quopiã ueſtrum poſſit? hęc enim ſumma cenſetur felicitas, cum alicui pro uoto omnia cedunt. uidemur quidem nunc, quod uolumus, non aſſequi, dum facimus uoluntatem Dei, quemadmodum & infantes, dum uoluntati parentum obediunt. ſed ubi adoleuerint, nil optare aliud uoluiſſent, quàm quod illis à parentibus fuit imperatum. hoc ipſum ut aſſequamur, monemur in hac precatione dicere. *fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo ita & in terra.* quod ut pręſtare poſſimus, donet nobis idem cœleſtis pater, qui cum filio & ſpiri-

Eſa. 62.

Act. 4.

Pſ. 144.

tu ſancto unus eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LII.

PANEM *noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Cum anima conſtemus & corpore, noluit is qui utrunque finxit Seruator Christus, ullam in hac precatione partem prętermittere, ſed cum longo interuallo anima corpori antecellat, prius memorandum id fuit, quod animæ ſalutem proſpicit. quæ cum ad æternitatem facta ſit, in primis de illa eſt cogitandum ei uiro, qui
2.*Cor*.4. hanc Euangelicam ueritatem intellexerit. cogitantibus nobis (ait Paulus) non ea quæ uidentur, ſed quæ non uidentur. quare? quæ enim uidentur temporaria ſunt, quæ autem non uidentur, ęterna. uerum hanc ęternitatem, niſi felicem ſimus habituri, pręſtaret non
Mat.26. habere. melius enim(inquit) erat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille.
Mar.14. quare ut habere eam liceat beatam, docuit nos ea petere, quibus paratur, ut ſcilicet cœleſtis pater, dum in terris agimus, regnet in nobis, neque dominetur nobis quęuis iniuſtitia, & doceat nos facere voluntarem ſuam. hac parte rectè compoſita, docet quid ob corporis neceſſitatem ſit poſtulandum, cuius poſtulationis uerba mecum quęſo diligentius perſpicite, & non populari trutina, ſed aurificis (ut dicitur) ſtatera examinate. Nihil dubitandum eſt, Seruatorem Chriſtum hanc è cœlo attuliſſe Euangelicam philoſophiam, quę doceret homines eam uitam, quę in cœlo agitur, imitari. quod non difficile erit cuiquam veſtrum intelligere, ſi illud recordemini, quod ſuperiore poſtulatione petere docti eſtis. ut ſcilicet fieret uoluntas patris quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra. hoc autem aſſequi nemo poteſt, niſi qui claudat ſenſus, & extra carnem ac mundum poſitus, & in ſeipſum conuerſus, nihil que humanarum rerum attingens pręter id, quod omnino neceſsitas cogat, ſecum & cum Deo loquens, viuat ſupra ea, quę aſpectu ſentiuntur, & Diuinas illuſtrationes ſemper puras in ſeipſo ferat, quibus permixta non ſint rerum inferiorum ſigna errantia, uerè ſine macula ſpeculum Dei, & Diuinarum rerum, iam futuri ſeculi bonum,

ſpe

ſpe percipiendo, cum angelis uerſetur, adhuc in terra terram relinquens, & à ſpiritu in ſupernis collocatus. Hęc ergo cum Euangelica philoſophia requirat, nõ ea aſſequimur, niſi quàm minimum cum corpore, rebúsque corporeis cõmercium habeamus. id enim in hac parte accidit, quod in ſtateris vſu venit, vt quod vni addideris, ſit alterius imminutio. corporis propenſior cura in animę redundat detrimentum, quòd ſi corpori ſuperuacua dempſeris, accesſio uirium animę euadit. ob hanc cauſam Dominus cum uellet nos tota mente atque omni animo in hoc incumbere, ut operemur cibum, qui non perit (quemadmodum dixit Iudæis) ſed qui permanet in uitam æternam, docet quęnam ſint pro corporei uictus neceſſitate poſtulanda, ut ſcilicet rogemus dari nobis *panem noſtrum quotidianum*, id'que *hodie*. quæ ſingula uerba maxima egent obſeruatione. dicit enim petendum eſſe panem, quo nomine intelliguntur ea duntaxat, ſine quibus corporea hæc uita conſiſtere non poteſt. eſt enim Hebręæ linguę mos, panem appellare id, quod ſuſtentandæ uitæ eſt neceſſarium, ut, cum Deus uellet Adam ob pœnam peccati, ſuo labore uictum quærere, dixit, in ſudore uultus tui ueſceris pane. qui loquendi mos Hebræis, qui antiquiſſimum omnium genus ſunt, introductus fuiſſe credendus eſt propterea, quòd prior hominum ætas ſimplici uictu contenta erat, nequedum artifex gula tam multa ciborum genera, & ſuffocandi potius quàm nutriendi hominis inſtrumenta excogitauerat. eadem erat ratio ueſtitus & habitationis. quod ita eſſe, affirmat cuiuſdam ſapientiſſimi uiri ſententia, qui ait, initium uitę hominis aqua & panis, & ueſtimentum & domus protegens turpitudinem, ne ſcilicet ferarum more nudi & uagi ageremus. neceſſitas ergo poſtulanda eſt, ſuperuacua etiam recuſanda. atque hoc eſt, quod in prouerbijs Salomonis dicitur. mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum uictui meo neceſſaria. cur uerò utrunque horum, tanquam extrema recuſauerit, adiecit, ne forte ſatiatus alliciar ad negandum, & dicam, quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & peierem nomen Dei mei. quibus uerbis docet egeſtatem quidem ac famem, quæ etiam à poëta malè ſuada appellatur, compellere interdum hominem ad malè agẽdum, ſed diuitias multò eſſe perniciosiores, quibus turgens homo & elatior factus, ne Deum quidem ipſum, à quo tamen habet omnia, uelit agnoſcere. Tu uerò cogita, quantam curarum turbam Seruator

Chriſtus

[Margin: *Ioan. 6.* — *Gen. 3.* — *Eccl. 29.* — *Pro. 30.*]

Chriſtus doceat nos declinare, cum dicit, poſtulandum eſſe panem, hoc eſt, res tantum ad uictum cultúm que neceſſarias. etenim hoc unum eſt, quod homines diuexat, dum non contenti mediocritate, & rebus quę humanę ſuccurrant indigentię, nullis terminis ſuas appetitiones circunſcribit. non ſatis eſt parare cibos, qui & incolumitatem & uitam tueantur, niſi gulę mille irritamenta adijciantur. ueſtitus ſimplex & honeſtus etiam optimi cuiuſque iudicio non facit ſatis, ſed ſericum & gemmas & aurum exquirimus, non ob neceſſitatem, ſed ad luxum & pompas. non cōtenti ſumus domo, quæ nos ac familiam honeſte excipiat, ſed mutamus quadrata rotūdis, ut gloriosè habitemus. atque ut hęc uictus cultús que & ſuperbè habitandi luxuria expleatur, aliud ſequitur malum, multò his moleſtius uitę hominum, inſatiabilis uidelicet habendi cupiditas, ut nemo tantas tam que immanes opes unquam parauerit, ut non multò maiore ſumma egere ſe arbitretur, ita miſeri nobis attrahimus mala, ut Cæcias nubes, & eligimus perpetuis in tota uita ærumnis ac moleſtijs fatigari, dum ſtultas cogitationes noſtras ſequi malumus, quàm ſaluberrima ipſius filij Dei ac Seruatoris Chriſti conſilia. ***Panem*** (in-
Luc. 17. quit) ***noſtrum***. non qui nobis debeatur. ſi enim, cum omnia perfecerimus, quę pręcepta nobis ſunt, fateri debemus nos ſeruos eſſe inutiles, quibus nimirum nihil debeatur pręter uerbera, quātò minus debetur nobis quicquā boni tam ſceleratis ac perditis? ſed ***noſtrum*** dixit, uſibus noſtris accommodum ac neceſſarium. Quòd uerò ait, ***quotidianum***, in Gręco eſt, ἐπιούσιον, quam uocem interpretari poſſumus ſubſtantialem, ut ſit, quemadmodum eruditisſimi Græcorum theologi interpretantur, ἐπιούσιος, τῇ ἑκάστῃ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων, hoc eſt, uniuſcuiuſque noſtrum ſubſtantię congruens, uel ad quotidianum uictum ſubſtantię noſtrę neceſſarius, atque hoc idem intellexit, qui uertit, ***quotidianum***, nimirum utens uerbo, quod magis tritum eſſet, quàm ſubſtantiale. at ſubſtantiæ noſtrę tunc datur panis congruens, cum quotidie neceſſaria uitæ ſubminiſtrantur. & quoniam ἐπιοῦσα ſignificat craſtinam diem, & ἐπιούσιος pro craſtino accipitur, iccirco quidam hunc locum uerterunt, ***panem noſtrum craſtinum***. qui uerò interpretati ſunt superſubſtantialem, uidentur uel legiſſe ὑπερούσιον, uel in eum ſenſum accepiſſe ἐπιούσιον, & pro ſacratiſſimo Chriſti corpore acceperunt. quam ſanè
Ioan. 6. interpretationem deoſculari debemus. eſt enim ille panis uerus,

qui è cœlo deſcendit,de quo rectè idem Dominus dicit. non Moſes dedit uobis panem de cœlo,ſed pater meus dat uobis panem è cœlo uerum. & in hunc ſenſum uiri pleni pietate & doctrina ſunt interpretati. ſed nos interea quod cœpimus perſequamur. hæc adiectio, *quotidianum*, uel ſubſtantialem,hoc eſt,ſuſtentādæ uitę neceſſarium, tollit ſuperuacua omnia,quorum inani appetitione maxima hominum pars totam uitam calamitoſam degunt,dum erroris magis opinione feruntur,quàm recto iudicio uti uelint. Obſerua uerò, potuiſſe Dominum,ſicut in ſuperiori oratione docti ſumus dicere,*Fiat uoluntas tua*, ita & hic docere,ut diceremus,fiat, ut adipiſcamur panem,hoc eſt,omnia ad uictum cultúm que neceſſaria,ſed uoluit, ut diceremus, *da*, ut intelligeremus,nō noſtram eſſe induſtriam, quæ hæc compareret,ſed Dei prouidentiam. cur ergo (inquies) docet Paulus,noſtro manuum opere debere uictum quærere? hoc pręcipitur, ut præcepto Dei obediamus,qui uoluit,ut in ſudore uultus ueſceremur pane,ne ocio marceſcamus. ſed tamen Deo referre acceptum debes,quicquid habes unde uiuas. nam, ut omittā, quòd quicquid uirium & animi & corporis,quibus opes paras,in te eſt,ab ipſo Deo habes, ſi uim terræ auferret,aut ſolem & imbres prohiberet,ne terram fœcundarent,quid tua prodeſſet induſtria? ita uerum eſt,quod ait Paulus,neque qui plantat,eſt aliquid,neque qui rigat,ſed qui incrementum dat Deus. Cum uerò docet petendum *panem*, non illi aduerſatur, quod in eodem hoc ipſe ſermone admonet, cum dicit. *nolite ſoliciti eſſe animæ ueſtræ quid edatis,neque corpori ueſtro quo operiamini*. ſed optimè potius cum eo facit. cum enim iubet petere, ut det *panem*, non ideo fit, ut patrem admoneamus, quid facto opus ſit,qui ante etiam,quàm petamus,ſcit, quibus unuſquiſq; noſtrum egeat,ſed huius poſtulationis ſenſus eſt,ut agnoſcamus à cœleſti hęc patre proficiſci, & ab eo expectandum quicquid nobis eſt neceſſarium,non noſtrę fidendum induſtriæ. quare contrarium hoc illi potius eſt,quod opinaris. nam ſolicitudo omnis humana per hęc uerba tollitur,iubemúr que totum à Deo expectare,& certiſſimè nobis perſuadere, non noſtrum ingenium noſtrós ue labores, neque paratas ipſas opes ac facultates, ſed benignitatem unam Dei eſſe, quæ nos paſcat,nobis que proſpiciat. hæc cogitatio ingentem uim habere idonea eſt ad nos in optima quæque animandos. hoc enim pacto euadimus grati,cum recordamur, quicquid nobis accedit cōmodi,

Eph. 4. 1. Ti. 4. Gen. 3. 1. Cor. 3. Mat. 6.

fatendum

ſatendum omnino eſſe, totum ab una illius prouidentia ac paterna
noſtri cura eſſe profectum. ex hac gratitudine duo ſequuntur, quæ
maxima ſunt,& ex quibus non ſolum futurę uitę paratur ęterna fe-
licitas,ſed pręſentis etiam tranquillitas ſumma. Primum enim dum
Pro. 10. intelligis, benedictionem Domini (quemadmodum ait Salomon)
eſſe quæ diuites faciat, nō ſolicitudinem noſtram, ceſſabit irrequie-
ta illa anxietas parandarum opum,qua finem habente, tanquā ma-
rinorum fluctuum tempeſtate,pacata habebis omnia. hoc quantum
eſt? ita magnum,ut ſolum hoc humanam parare felicitatem poſſit.
deinde alacres fiunt homines ad implendum præceptum alēdorum
pauperum,in quo penè uno uidetur poſita adipiſcendi æterni regni
Mat. 25. ſpes,ſi uerba quæ Seruator Chriſtus in iudicio dicturus ſit, cogites.
ſic enim quiſque apud ſe reputabit. is, qui opes ac facultates nobis
Rom. 10. dat,Deus eſt,diues in omnes (ut ait Paulus) qui inuocant illum. is
eſt,qui per ſuum unigenitum filium pollicitus eſt, ſe omnia ſubmi-
Luc. 12. niſtraturum,quę nobis ſint neceſſaria, tantum quæramus regnum
Dei & iuſtitiam eius. at hęc iuſtitia regni in primis eſt, Chriſti fra-
trum ſuccurrere neceſſitatibus. quin ille idem ipſe pollicetur,ſe pro
Mar. 10. his factis in hac ipſa uita cēties repetitum fructum redditurum, quo
fœnore nullum apud homines,nō ſolum maius, ſed ne æquale qui-
dem in uſu eſt. cur ergo parci in dāda eleemoſyna ſimus. cum par-
citas huic etiam uitę damnum afferat,dandi uerò liberalitas, & hu-
ius uitæ opes locupletet,& ſempiternas pręterea diuitias in cœlo pa-
ret? *Panem noſtrum quotidianum da nobis*, inquit. neque uoluit ut
ſeorſum quiſque per ſe poſtularet,ac diceret, panem meum quoti-
dianum da mihi. hoc quid eſt aliud, quàm docere, non minorem
nobis proximorum noſtrorum, quàm noſtri ipſorum habendam
curam eſſe,& æquè pro illis atque pro nobis ipſis ſolicitos eſſe de-
bere. quod arbitrari debemus nos pręſtare, cum non ſolum in hac
precatione iſta petimus,ſed factis ipſis declaramus, nos ita eſſe affe-
ctos. nam iſta poſtulare,& contraria deinde facta adhibere, hoc illu
dere eſt non hominibus tantum,uerum & ipſi Deo. qui ergo in hoc
toti incumbunt, ut ſoli diuites ſint, & uſque proximos reuellunt
agri terminos,& ultra limites clientium auari ſaliunt, atque(ut Eſa-
Eſa. 5. ias ait) addunt domum domui,& agrum agro copulant, ut non ſit
terminus loci, qui pro eo ut pauperes iuuent, eos expilant potius,
qui non contenti prophanis facultatibus, in Chriſti patrimonium
&

& eccleſiaſticos fructus inuolant, breuiter qui nihil niſi de ſe ac ſua domo ditanda atque amplificanda cogitant, ij inquam cum hæc pro ferunt huius precationis uerba, ſi intelligerent quæ dicunt, mirarer niſi uel à tám ſcelerate factis àbſtinerent, uel ipſa uerba proferre eru beſcerent. Vide uerò quàm accuratè Dominus hanc precationis par tem compoſuerit, & omnibus numeris abſolutam eſſe uoluerit. do cuit enim, vt hunc *panem* dari *nobis hodie* poſtularemus, ne videlicet, ut infra dicturus eſt in hoc ſermone, ſoliciti ſimus pro die craſti no. cum ergo duo hic doceamur, primum vt neceſſaria tantum ad uictum, non autem ſuperuacua, deinde vt pro præſenti duntaxat ne ceſsitate petamus, quàm ex diametro huic poſtulationi aduerſantur & cum ea pugnant, qui & infinitas opes expetunt, & ad multò plu res annos, quàm ſint victuri? quin reperio quoſdam veſtrum tam ſurenter inſanire in hanc habendi cupiditatem non prophanarum tantum opum, verum & eccleſiaſticarum etiam, vt ante quàm libe ros ſuſceperint, atque adeo ante etiam quàm iungantur matrimonio, liberis, qui nondum in rerum natura neque ſunt, neque fortaſſe unquam ſunt futuri, parent eccleſiaſtica beneficia, & quærant eas habere vxores, quæ eccleſiaſticos viros habeant conſanguineos. & paciſcuntur interdum, vt ea conditione fiat matrimonium, vt primo qui natus fuerit, illi conſanguinei uxoris aſſignentur beneficia. O perditum ſeculũ hoc noſtrum, ò Cimmerias tenebras, quàm cæcę enim eſt mentis indicium, non intelligere tam manifeſtum ſce lus, & quanta una in re peccentur. prima iſta eccleſiaſticorum fructuum per ſe appetitio ſacrilegium eſt. neque enim hac ratione ſunt facti, vt eis prophanus quiſque pro libidine abutatur, ſed ab eccleſia iis deſtinati ſunt, qui eccleſiaſticum munus implere ſunt idonei. deinde, qui ſcis illum, qui ex te generandus eſt, hunc animum habiturum, ut eccleſiaſticis muneribus obeundis velit incumbere? alteri (inquit) aſsignabuntur. nam facere & hoc ſoletis. quid ſi ne ille qui dem aut quiſquam eorum, quos genueris, animum habeat ſeruiendi eccleſiæ? ſed hac in re ſcelus ſceleri additis. vultis enim, vt omni no aliquis filiorum in clerum aſciſcatur, qui, cum nunquam eccleſiaſticis moribus & caſtæ, atque inculpatæ vitæ affectus fuerit, reliquum eſt, ut per totam uitam ſcortationibus ac turpiſsimæ uitę operam det. non expectatis filii ętatem, in qua diiudicare ipſe de ſe poſſit, ſed ab ipſa infantia beneficiis illum eccleſiaſticis ſuffocatis po

Mat.6.

Fff tius

tius quàm honeſtetis. cum verò adoleuerit, ſi etiam ab alienato ab eccleſiaſticis muneribus animo ſit, tamen vel pudore vel lucri cupiditate in clero manet, ipſius cleri peſtis futurus & probrum. & audent ij horum malorum auctores cognomen à Chriſto acceptum circunferre & appellari Chriſtiani, & haberi etiam viri boni volũt. cum nullum hominum genus magis inimicũ in Chriſtum ſit. nam Turcæ ac Mauri longè magis, quàm iſti, Chriſti nomen uenerantur. ſed demum & ipſi dignas dant pœnas non in Geenna ſolum, ſed in hac etiam uita. nam uideas paulò poſt horum domos ire perditum, atque interdum funditus deleri, & dum nihil aliud quàm diuitias expetunt, ipſum etiam genus ac domum cum diuitiis amittunt. hic

Ioan. 12. enim eſt ambulantium in tenebris exitus, vt neſciant quo vadant.

Pſal. 38. an cenſes illum iter ſuum intelligere, qui theſaurizat & ignorat cui

Pſal. 61. congreget ea? uerè uani filii hominum, qui ſi (ut ait pſaltes) in ſtatera ponantur, reperientur ipſa uanitate leuiores. non pudet homines, qui cum nutricis lacte nomen Ieſu Chriſti biberunt, atque ab infantia precationem hanc docti ſunt, ſenes fieri, neque unquam animaduertiſſe quid petant? doceris petere duntaxat neceſſaria, nempe victum & cultum, ídque hodie. tu verò nullos terminos neque parandis opibus neque tempori circunſcribis? quid eſt Chriſtianam fidem abnegare, ſi hoc non eſt? omnia malle quàm ea, quę filius Dei, cuius fidem profitemur, docet eſſe poſtulanda. Intelligamus tandem aliquando quid petamus, cum dicimus, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. imitemur ſaltem filios carnis, & filios huius ſeculi, qui dum nondum ſunt emancipati, ſed ſub parentum poteſtate degunt, nihil ob uictum & cultum ſoliciti ſunt, ſed omnia à parentibus expectant. multò verò minus decet nos vlla ſolicitudine fatigari, qui amantiſsimum noſtri patrem habeamus, & præterea potentiſsimum ac ſapientiſsimum, ut omni ex parte munitos

M.t. 6. nos eſſe intelligamus. cui cum ne paſſerculi quidem in obliuione ſint, & flores ac lilia tam magnificè veſtiat, nos, quorum gratia omnia fecit, multò magis curabit. incipiamus iam huic patri fidere, & toti ab eo pendeamus. nam fidelis eſt, & quod pollicitus eſt, non po-

Mat. 24. teſt non pręſtare. cœlum (inquit) & terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt. facilius eſt cœlum ac terram interire, quàm quicquam de Dei pollicitationibus minui poſſe. pollicitus eſt ſe o-

Luc. 12. mnia nobis ſubminiſtraturum, tantum ut quæramus regnum eius

regníque

regníque iuſtitiam, quod nihil eſt aliud, quàm dare operam, ut faciamus eius uoluntatem. paſtor hic eſt, qui nihil ouibus ſuis deeſſe patitur, quod is, qui hoc expertus fuerat, teſtatur, cum ait. Dominus paſcit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. *Pſal. 22.* ſub huius cuſtodia requieſcamus, ſi & hanc vitam tranquillam habere volumus, & futuram adipiſci, quod vtinam nobis omnibus aſſequi donetur. per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LIII.

ET *remitte nobis debita noſtra, ſicut et nos remittimus debitoribus noſtris.* Mirari poſſemus Diuinum huius precationis artificium, niſi ſciremus ab eo factam, qui Deus eſt, omnium artifex, & in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. cum enim ſumma Chriſtianæ philoſophię ſit charitas. nam plenitudo legis *Col. 2.* (ait Paulus) eſt dilectio. & Dominus ipſe, in his duobus mandatis, *Rom. 13.* diligẽdi videlicet Dei ac proximi, vniuerſa lex pendet ac prophetæ, *Mat. 22.* & cum vix fiat, vt ſine proximorum offenſione viuatur, quando in *Iac. 3.* multis offendimus omnes, cúmque magis commoueri ſoleamus, cum à proximis iniuriam accipimus, quàm cum offendimus Deũ, obſerua, vt nos neceſſitatis quadam lege conſtringat, vt proximo cuique ignoſcamus, quicquid in nos peccauerit, tanquam debita remittentes. iubet enim, ut, cum petimus remitti nobis peccata noſtra, mox eorum meminerimus remittendorum, quæ proximi nobis debent, ſi uelimus multò maiora nobis à cœleſti patre debita remitti. quæ cogitatio niſi propoſita illi fuiſſet, ſatis erat dicere, *remitte nobis debita noſtra.* neque verò ſine ſumma ſapientia eſt factum, ut, cum de remittendis peccatis ſermo eſſet, *debita* potius quàm peccata appellare uoluerit. hoc enim duplici ex cauſa factum mihi uidetur. primum quòd homines, cum in illos quiſpiam peccat, non attendunt malum illud, quod in peccando fit, illam uidelicet aberrationem à recta & iuſta uia. peccare enim propriè ſignificat, à ſcopo

ac pręfixo ſigno aberrare. quo circa qui iaculando ſignum non attingunt, peccare dicuntur. quem loquendi modum apud Hebręos etiam reperias. ut in libro iudicum, ubi de quibuſdam, qui
Iudi. 20. rectè funda iaciebant, ſic legitur. iaculabantur lapides ad crinem, & non peccabant. non ergo id homines obſeruant, quod in primis fuerat obſeruandum, ſed illam duntaxat offenſionem, quam ipſi ſentiunt, dum ſe à proximis læſos arbitrantur, pro qua offenſione deberi ſibi putant, & ſatis ſibi ab illis fieri oportere. deinde ut corporea etiam debita in hoc uerbo claudantur, quę non minus interdum remitti debent, quàm illæ offenſiones, quę peccata iniuriaq; uocantur. neque moueat quempiam, quòd Lucas hanc eandem
Luc. 11. precationem ſcribens dixerit peccata, non debita. nam illud eſt huius declaratio, ſed Matthęus uoluit proprietatem uerborum Domi-
*Apo.*1. ni ſeruare hoc loco. *Remitte* (inquit) *nobis debita noſtra*. Lauit qui-
*Rom.*6. dem nos Dei filius à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando conſe-
*Ioan.*1. pulti fuimus cum illo per baptiſmum in mortem, & ipſe eſt agnus
Col. 2. ille Dei, qui abſtulit peccatum mundi, & chirographum quod erat contra nos, ſuſtulit è medio, & affixit cruci exſpoliatis principatibus & poteſtatibus. ſed quia identidem miſeri relabimur in peccata, quæ tam multa ſunt, & tam ſæpe imprudentibus nobis irrepunt,
Pſ. 18. ut dixerit propheta. delicta quis intelligit? ob hanc cauſam docuit Dominus, ut precantes ea recordaremur, & remitti nobis poſtularemus. per quę uerba oſtenditur, locum pœnitentiæ lapſis ſupereſſe poſt baptiſmum refutatúrque Nouatianorum atque Anabaptiſtarum hęreſis. nam precatio hæc fidelibus propoſita eſt, & iis, qui iam fuerunt baptizati. qui enim baptiſmatis ſacramento nondum
1.*Io.*1. eſt initiatus, Deum appellare patrem non poteſt. ſic & Ioannes, ſi dixerimus (inquit) quòd peccatum non habemus, noſmet ipſos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. dat ergo eccleſia quidem lapſis poſt baptiſmum locum pœnitentię, & eos damnat tanquam hęreticos, qui illam prohibent. nam hæreticorum proprium eſt extrema ſectari, & à medio ac regia uia deflectere. ſed cauendum interea eſt, nequis in alterum extremum incidat, ut ſcilicet peccet in ſpe, & tantum ſibi de Diuina miſericordia polliceatur, ut illa abutatur, & faciat eam ſuorum ſcelerum adiutricem. nam homines eiuſmodi non miſericordiam uenerantur, ſed contemnunt, & recõdunt
*Rom.*2. ſibi ęternam ultionem. aduerſus quos ait apoſtolus, an diuitias bonitatis

nitatis illius, ac tolerantiæ, lenitatis que contemnis, ignorás quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? ſed tu iuxta duritiam tuam & cor pœnitere neſcium, colligis tibi ipſi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. hæc itaque precatio animare quidem nos debet ad ſperandam ueniam quam precamur, ſed interim hęc peccatorum commemoratio auocet nos à peccandi appetitu. alioqui non eſſet aliud hoc, quàm irridere Deum, cōtinuè poſtulare vt ſibi ignoſcatur, & eadem repetere, quibus obnixè ignoſci poſtulamus. neque id ſolum efficere idonea eſt hæc peccatorum recordatio, ſed illud etiam, ut propriæ infirmitatis contemplatione nos ſubmiſſè geramus, ne ſibi quiſquam de innocentia blandiatur, dum quotidie peccatorem ſe coram Deo eſſe profitetur. neque uerò ſi etiam lętalium criminum, & eorum, quæ apoſtolus Ioannes appellat peccata ad mortem, conſcius aliquis ſibi non ſit, icc irco peccatorem ſe non agnoſcat, ſed omnem quamuis alioqui minimam offenſionem magnam exiſtimet, cōtemplatione tantę maieſtatis quam offendit. quin & ea meminiſſe debet, atque amarè deflere, quæ certò ſciat ſibi à Deo fuiſſe remiſſa. hoc faciebat Paulus, qui quamuis in gratiam à Chriſto ſe receptum ſciret, uocabat ſe tamen peccatorum primum, blaſphemum, & contumelioſum, & qui eccleſiam Chriſti eſſet perſecutus, quanquam hęc per ignorantiam peccaſſet. Hac ergo precatione non ſolum hominum vulgus, ſed ij etiam, qui maxima ſanctitate ſunt prędití, uti neceſſe habent, cum ne ipſi quidem in hoc corpore peccati perfectam ſibi libertatem, queant polliceri. ſed illis omnia, quod de diligentibus Deum Paulus dixit, cooperantur in bonum. nam leues illæ imperfectiones prohibent, ne grauiora aliqua peccata, ut eſt ſuperbia & inanis gloria, illos inuadant. quod Iſraëlitis ſub figura legimus accidiſſe. cum enim de perdendis illis gentibus, quarum terra fuerat illis promiſſa, ſermo haberetur, dictum eſt. Deus magnus & terribilis ipſe conſumet nationes has in conſpectu tuo. paulatim atque per partes. non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te beſtiæ terrę. ſic permittitur, Deo ita prouidente, ut & uiris ſanctis aliquid reliquum ſuperſit, quo exerceantur, & pugnent, ne præmaturè nimis de uictoria glorientur, quod non eſſet aliud, quàm uictoriam amittere. ſed hoc pacto & leuioribus hiſce tentationibus fit, vt, ſi etiam prętantes ſint, ſuam pręſtantiam non intelligant. alioqui magna & rara uirtus eſt (ait uir

1. Io. 5. — *1. Ti. 1.* — *Rom. 8.* — *Deu. 7.*

quidam

quidam in hiſce rebus eruditus) ut magna licet operantē, magnum te neſcias, & manifeſtam omnibus tuā te ſolum latere ſanctitatem. Si ergo prǽſtantisſimi quique ac ſumma ſanctitate uiri, hac opus habent precatione, quinam ſunt, qui ea ſe minimè egere queant glo-
Pro. 20. riari? rectè enim dixit Salomon. quis poteſt dicere, mundum eſt
Eccl. 19. cor meum, purus ſum à peccato? & alibi. quis eſt homo qui non peccet? nam etſi à conſenſu illo, qui reos æternæ mortis facit, temperemus, quis tamen non ſentit ſe circunferre carnem peccati, qua impellente fit, ut quiſque cogatur multa adhuc in ſeipſo deſiderare & ſentire, ſe multa perpetuá que condonatione egere, ac ſibi ſem-
Pſ. 142. per orandum eſſe, & dicendum cum propheta, non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens? hęc certè humilis confeſsio, quę ex limpido fidei fonte emanat, ſummum eſt præſidium ad impetrandam ueniā.
Luc. 18. qua humilitate nixus publicanus, repulſo ſuperbo phariſæo, deſcendit iuſtificatus in domum ſuam magis quàm ille. Hanc autem peccatorum remiſsionem, cum iubeat Seruator Chriſtus à patre petere, tacitè oſtendit, hanc facilem eſſe uiam ad remisſionem peccatorum conſequendam. nam patris proprium eſt, filiorum ad ſe reuerten-
Luc. 15. tium miſereri, quod in parabola prodigi illius filii ac decoctoris fuit declaratum. qui, cum omnem, quam à patre acceperat, ſubſtantiam conſumpſiſſet cum meretricibus, hunc tamen ubi reuertētem pater, quantum oculi ferre poterant, intuitus è longinquo eſt, tantum abeſt, ut iraſceretur, ut etiam miſericordia motus ſit. atqui ne ad horam quidem ſeueriorem ſimulare uultum potuit, quod improba perditi filii facta merebantur, non ſaltem tam diu expectauit, dum ille accederet, quod omnibus modis æquum erat. ſed ipſe accurrit, irruit in oſcula, iubet proferri ſtolam præcipuam, annulum, calceamenta, occidi uitulum illum ſaginatum ac ſelectum, adhiberi ſymphoniam & chorum. denique omnia præ ſe amoris & gaudii ſigna tulit pro recepto perditiſſimo filio, quanta maxima potuiſſet pro optimo. Quem deſperatisſimum animum non erigat ad ſpem ingentem hęc ſimilitudo? quem ſupremis inuolutum ſceleribus non animet, non ad ſperandam ueniam ſolum, uerum etiam ad maxima expectanda præmia? cum uidet hunc, qui ſola primum neceſſitate adductus, ad patrem reuerſus ſit, tantis perinde honoribus affectum, quaſi, non dico nihil unquam peccauiſſet, ſed in egregia facta

cta ſemper incubuiſſet. unum duntaxat in hac parte pręſtandū eſt, ut ueros quiſque filij affectus induat, & ex animo agnitis uitiis ſuis atque peccatis, quamuis perditiſsimus hactenus filius, ad benigniſſimum hunc patrem reuertatur. agnoſcet hic pares cum Euangelica parabola in eadem cauſa eſſe perſonas, ut modis omnibus ſit ſperandus humaniſsimus idem boni parentis occurſus, & æquè liberalis receptio filii, ſi cum ſeriò pœniteat malè ſuperioris actę uitæ, eám que deteſtetur, quod reconciliatę cum Deo amicitię ingens pignus eſt. nam (ut uir quidam magnus dixit) tunc perſuadere ſibi quiſque poteſt, remiſſa ſibi à Deo fuiſſe peccata, cum in ſe affectum illum ſentit, ut dicere poſsit, iniquitatem odio habui & abominatum ſum, legem autem tuam dilexi. Verum quod ad hanc precationem pertinet, hoc ipſo, ut dicebamus, oſtendit Dominus, patrem ſuum cœleſtem facilem eſſe ad condonanda nobis delicta noſtra, quòd nos id ipſum petere docuerit. qui enim ſic precari iuſſit, & non ſemel affirmauit, nos impetraturos quicquid à patre, ipſius nomine peteremus, is certè præbuit petendi fiduciam, quòd fidelis ſit, ac mentiri non poſsit pater, qui per filium ſuum ſic nos precari uoluerit. ſi confeſsi fuerimus (ait apoſtolus) peccata noſtra, fidelis eſt Dominus, qui nobis peccata remittit. Interea obſerua & hoc loco iuſſum, ut in commune petamus, neque dicat unuſquiſque, remitte mihi, ſed *remitte nobis*, ut non minus proximorum, quàm noſtrę ipſorum ſaluti conſulendum eſſe intelligamus. & rectè ſanè. cum proximos noſtros ęquè diligere atq; noſmet ipſos iubeamur. quòd ſi, cum hęc uerba profers, odium in corde geris, neque ei remittis iniuriam, qui in te peccauerit, profectò neque idoneus eris à Deo petere, ut illi ignoſcat, cui ipſe nolis ignoſcere. hanc partem uiri ſancti tam accuratè implere conati ſunt, ut uiderentur proximorum ſalutem ſuæ ipſorum anteponere. uide enim Moſen quid oret. obſecro (inquit) Domine, peccauit populus iſte peccatum maximū. aut remitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti. & Paulus optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis. *Remitte nobis* (inquit) *debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris*. facilitatem remiſsionis conſequendæ confirmat hæc adiecta conditio. qua tanquam ſigno quodam nos certos de ſua uoluntate facit Deus, noſtram que imbecillitatem ac diffidentiam confirmat ac corrigit, quòd ſcilicet remittenti ſit remittendum,

Pſ. 118. *Ioan.* 15. 1. *Io.* 1. *Luc.* 10. *Exo.* 32. *Rom.* 9.

quod ut exploratius haberemus, non contentus Dominus hęc uerba in hac precatione poſuiſſe, peracta hac precandi forma, mox adiecit. proinde *ſi remiſeritis hominibus peccata ſua, remittet & uobis pater ueſter cœleſtis. quòd ſi non remiſeritis hominibus peccata ſua, nec pater ueſter remittet peccata ueſtra*. Magnifica planè ac liberalis conditio, & quæ os iniquorum omnium obſtruere idonea ſit, ne queri poſsint, cur in Geennam fuerint condemnati. nam iudicium de nobis futurum in noſtra poſuit poteſtate. quæ res ſi attentius cogitaretur, optare quiſque deberet, quod tamen ſine proximi cuiuſq; damno eſſet, habere aliquos, quorum offenſiones eſſent remittendæ. quod hac ſimilitudine quiſque ueſtrum aptius poterit intelligere. Fingamus liberaliſsimum quempiam regem aut principem, qui multos habeat, qui ſibi plurimum debeant, qui etiam cupiens æs alienum, quod alijs deberetur, in tota ciuitate diſſolui, legem promulgaret, ut quicunque ſuis debitoribus remitterent, quamuis exiguum eſſet, quod deberent, fore, ut rex maxima quęque debita illis remitteret. quicunq; uerò neminem haberet, qui ſibi deberet, oportere eum, quicquid deberet regi ad teruncium perſoluere. in hac lege quiſquis debitorem nullum habuiſſet, & multa regi deberet, multò deteriore, quàm cæteri, eſſet conditione, optarét que aliquos habere, qui ſibi quippiam deberent. at hęc ipſa eſt lex cœleſtis patris, qui etiam cupiens habere occaſionem ignoſcendi, permittit offenſiones inter homines accidere, ut omnes debitores aliquos habeamus, quibus remittendum ſit, ut poſsit ipſe maxima nobis remittere debita, quæ illi debemus. ſed nos ſtolidi, ut cætera omnia erga nos collata à Deo beneficia, ſic & hoc tam ingens non intelligimus, & in proximi cuiuſque offenſione excandeſcimus, cum tunc maximè lętandum eſſet, oblatam nobis eſſe occaſionem, qua exigui debiti remiſsione, maxima illa, quæ nobis cum Deo intercedunt, liceret diſſoluere. nam grauiſsimæ quæque offenſiones, quas à proximis patimur, ſi etiam parentum fratrúm que mors interceſsiſſet, tanquam leuiſsima pecunia eſt, ſi cum iјs conferantur, quibus unuſquiſque noſtrum quotidie Deum offendit. quod ut Dominus nobis demonſtraret, protulit ſimilitudinem regis, cuius ſeruus deberet ei decem millia talentorum, illi autem ſeruo alius conſeruus deberet centum duntaxat denarios. ut ex tanta utriuſque debiti differentia intelligeretur, quàm ſit exiguum, quod à proximo quoque nobis

Mat. 18.

nobis debetur, ſi cum eo conferatur, quod homines debent Deo. ſed reuertamur ad ipſa huius precationis uerba. *Remitte* (inquit) *nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris*. Legem ipſe ſtatuis Deo per hæc uerba, ut petas, quemadmodum tu erga proximum te geris, idem cœleſtis pater erga te faciat. & tuis factis doces, quid Deo agendum ſit. quare ſi remittere proximo iniuriam recuſas, petis, ut ne Deus quidem remittat tibi. quod ſi cui ueniret in mentem non illa uerba proferre, dum orat, cum deeſt animus remittendi, is ridicula uteretur aſtutia, aut ſcrilega potius, qui eũ precãdi modum, quẽ ipſe Dei filius ſeruari iuſſit, corrumpere auderet. Apud Lucã ſic legitur. remitte nobis peccata noſtra, ſiquidẽ & nos *Luc. 11.*
remittimus omni debenti nobis. & uidetur is eſſe ſenſus. non meremur quidem, ſi diuinitatis tuę maieſtatẽ contẽplemur pater, nos puluis & cinis, ut tã indulgẽter nos habeas, ac tam facile remittas nobis, quæ in te peccauimus. [nam nos quidem ſi lædenti ignoſcimus, nihil eſt, quod quiſquam miretur, cũ in multis offendamus omnes. neq; *Iac. 3.*
magnum eſt, peccati veniam poſtulantem, eandem rurſus reddere. cum uerò tu nihil lædere quenquam poſſis, nos autem continuis te offenſionibus ad iracundiam prouocemus, nulla ratio patitur, vt nobis peccata condones. ſed quando incomprehenſa eſt tua] erga nos benignitas, & miſerationes tuæ prædicantur ſuper omnia opera tua, *Pſ. 144.*
ne dedigneris te ad morem noſtrum demittere, quo ſolemus, cum quotidie alter in alterum peccemus, in uicem peccata ac mutuas offenſiones remittere. quę verba ſiquis contempletur, quæ erunt tam graues iniuriæ, quas nullo negocio non remittamus? dum reputamus apud nos, ſolam quidem hanc cogitationem, quòd & nos ſæpe impingimus, idoneam eſſe ad omnem è cordibus noſtris amouendam moleſtiam, quam ex proximi offenſione contraxerimus. cum uerò accedit tam ingens bonum, vt ex illa exigui debiti condonatione nobis immenſa debita à Deo condonentur, quis ita vecors eſt, qui tam felicem conditionem non accipiat? quòd ſi omnino durus es, neque hac Dei liberalitate permoueris, ſaltem in ſerui morem, ſi affectu filij vti neſcis, pertimeſce tenebroſum carcerem & extremas tenebras, in quas es meritò conijciendus. qua enim dignus eſt miſericordia is, qui in conſortem naturę nulla commoueri velit miſericordia? nam minimè conuenit (ait quidam externus) cum ipſi inter nos abiecti neglectique ſimus, poſtulare vt Deo chari ſimus, &

ab eo diligamur. Meminerimus ergo remittere debita proximis noſtris, ſi volumus ea nobis remitti, quę Deo debemus. debita verò cum dicimus, intelligimus non offenſiones tantum, quas verbis aut factis paſſi ſumus, ſed vt debitas etiam pecunias remittamus ijs, qui ſoluendo non ſunt. quam rem ad peccata nobis à Deo remittenda
Eſa. 58. eſſe aptiſſimam, docuit per Eſaiam Deus, qui reprehendit populum ſuum, quòd ſuos debitores repeterent, quod ſi facere deſinerent, pollicetur, ſe eos exauditurum. eſt enim & hoc genus eleemoſynę,
Eccl. 3. quę extinguere peccata ſolet, ut aqua ignem. ob hanc cauſam Daniel potentiſſimum regem admonebat, vt hac via imminentē vltionem
Dan. 4. declinaret. ſic enim dixit. peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordia in pauperes. quòd ſi forte is, qui tibi debet, habet vnde poſſit ſoluere, debitum quidem illud licet tibi repetere, ſed cum modeſtia & charitate. neque imitandus malus ille
Mat. 18. ſeruus, qui conſeruum ſuum ſuffocans aiebat, redde quod debes. quin potius ſi incideris in hominem contentioſum, qui nolit tibi quod tuum eſt vel dare vel relinquere, & periculum ſit, ne hac aduerſarij tui malitia (quod ſæpe accidit) detrimentum dilectionis facias, aut amaritudinem quandam, ſiue vlciſcēdi animum inde con-
Mat. 5. cipias, facienda eſt potius rei familiaris iactura, quàm charitatis. at-
Mar. 19. que hæc eſt illa manus vel pedis amputatio, quā pręcipit Dominus.
1. *Cor.* 6. hunc indecorum exigēdi morem damnat Paulus in Corinthijs, malebàt que, vt damnum paterētur, quàm contentioſè litigarent. *Sicut & nos* (inquit) *remittimus debitoribus noſtris*. cur grauis videtur peccanti in nos fratri iniuriam remittere? grauius eſt odium in pectore geſtare, tanquam venenum, quod mox euomis, cum recipis fratrem in gratiam. ſimul illud cogita, oportere te, ſi filius cœleſtis patris eſſe
Mat. 5. vis eum imitari, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. deinde nōn ne decet eū, qui in filium Dei adoptetur, ethnicis ac publicanis eſſe meliorem? at, ſi eos tan-
ibidem. tum diligis, qui tibi amici ſunt, nihilo pręſtantior es publicanis. Princeps ergo cogitatio ſit, paternę imitationis gratia remittere proximo cuique iniuriam. qui verò minus generoſi ſunt, ſaltem pollicitatio-
Luc. 6. nis ſpe prouocentur, & videant quid pollicitus ſit Dominus. remit
Mar. 4. tite (inquit) & remittetur vobis. &, qua menſura menſi fueritis, fiet
Mar. 11. vobis remenſio. &, cum ſtatis ad orandum, remittite ſiquid habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter, qui in cœlis eſt, remittat vobis

peccata

peccata veſtra. quòd ſi quem ne hoc quidem permouet, certè pertimeſcat minas illas, quibus dicitur, ſi non remiſeritis hominibus errata ſua, nec pater veſter remittet errata veſtra. ſed tutius multò eſt, atque etiam honeſtius, amore huius patris iſta præſtare, vt non tanquã mercenarij admittamur, ſed vt filii & hæredes in illius regnum introducamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium, & nunc & ſemper & in omnia ſecula ſeculorum. Amen. *Mat.* 18.

ORATIO LIIII.

ET NE *nos inducas in tentationem*. Naturæ noſtræ conditio eſt, vt non ſolum bonis egeamus, verum etiam ſumma aduerſus impendẽtia mala protectione. quod cùm Seruator Chriſtus ſciret, voluit, vt hac precatione omni ex parte muniremur, peteremúſque id, in quo periculum noſtræ ſalutis verſari maximè ſolet, ne ſcilicet inducamur in tentationem. qua de re antequam verba faciamus, videndum eſt, quid ſit, inducere in tentationem. non enim, cum dicimus, *ne nos inducas in tentationem*, ita accipiendum eſt, quaſi Deus ipſe inducere in tentationem homines ſoleat. ſed Hebrææ linguæ mos eſt, vt dicatur Deum efficere, quod fieri ipſe permittit. quo dicendi modo plenæ ſunt ſacræ literæ veteris ac noui teſtamenti. in hunc ſenſum dictum eſt indurauiſſe Deum cor Pharaonis. & illud Eſaiæ. indura- *Ex.* 10. 11
ſti cor noſtrum, vt non timeremus nomen tuum. & Paulus, tradi- *Eſa.* 63.
dit illos Deus in immunditiam. & tradidit illos Deus in cupiditates *Rom.* 1.
ignominioſas. & rurſus. tradidit illos Deus in reprobam mentem, *Eſa.* 6.
vt facerent, quæ non conueniebat. illud quoque apud Eſaiam. excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude. quę verba ſecundum Hebrǽæ linguę proprietatem fuiſſe dicta declarat Lucas in Actis apoſtolorum, qui eadem verba recitans mollijt Hebrǽam phraſim, & dixit. incraſſatum eſt cor populi huius, & au- *Act.* 28.
ribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, ne quando videant oculis & auribus audiant, & corde intelligant & conuertantur & ſanem eos. cum ergo dicimus. *ne nos inducas in tentationem*,

perinde eſt, ac ſi diceremus, ne patiaris nos induci in tentationem.
Facienda etiam eſt aliqua tentationis diſtinctio antequàm de ea lo-
Gen.22. quamur. cum enim legamus tentaſſe Deum Abrahàm,beatus uerò
Iac. 1. Iacobus dicat, Deum neminem tentare, videtur oriri nonnulla am
biguitas. diſtinguendum ergo eſt,alias eſſe tentationes, quæ ad adi-
piſcendam virtutem & animi robur proficiant, alias verò quę cui-
que ex ſua concupiſcentia, & non ſatis domitis affectibus profici-
ſcantur. & harum poſteriorum tentationũ negat apoſtolus Deum
eſſe cauſam,qui,cum nullis malis tentetur, ne alios quidem tentat.
nam vt externus quidam ait. natura Diuina ac beata, neq; ipſa ha-
bet quod illam vexet,neque cuiquam negocium faceſſit, hæc enim
circa mortalem terrenám que naturam verſantur. tentationes ergo
quæ conſtantiam animi turbant atque confundunt,non à Deo pro-
ficiſcantur, quę verò ab ipſo ſunt,& magis conſtituunt animum, &
clariorem hominem faciunt, vt cum tentauit Abraham. hic autem
de ea tentatione loquitur Dominus, quę vel à concupiſcentia, vel à
Dęmone oriri ſolet,aut à mala aliqua cauſa. cui malo vitando ingēs
auxilium præbet ipſa precatio. quare Dominus ſuę paſſionis tem-
pore cernens periculum,quod diſcipulis imminebat, admonuit eos
dicens. vigilate & orate,vt non intretis in tentationem, in quã etiam
ne delaberentur,eodem ipſo tempore Dominus ipſe precari non eſt
dedignatus, quod declarauit cum dixit Petro. Simon Simon ecce
Satanas expetiuit vos,vt cribraret ſicut triticum, ſed ego rogaui pro
te,ne deficiat fides tua. & ſanè hac nobis ope continua opus eſt. to-
tum enim hoc vitæ noſtrę ſpatium tentatio & pugna eſt. ſed hoc ho-
mines non intelligunt,putánt que ſe natos ad voluptatem,ad paran
das opes & honores adipiſcendos. atque hoc eſt, quod maximam
hominum partem perdit, dum non aduertunt,rem non ita ſe habe-
re,ſed totum hoc vitæ ſpatium aſſignatum nobis eſſe ad hoc unum,
ad decertandum pro comparanda æternitate, & cogitandum quo
pacto ſuperiores euadamus in hac pugna,quę deeſſe nunquam po-
teſt. nam rectè quidam vir huius artis ac pugnę peritus dixit. hoc
præmonitos vos eſſe volo, neminem ſuper terram abſque tentatio-
ne victurum,vt cui forte tollitur aliqua, alteram ſecurus expectet,
aut potius non ſecurus,ſed magis pauidus,& ſic petat ab ea liberari,
vt nunquam ſibi in corpore mortis huius libertatem perfectam aut
requiem audeat polliceri. terra enim data eſt in manus impij &
principis

principis huius mundi,qui interrogatus à Deo, vnde veniret, dixit, *Iob.*
circuiui terram & perambulaui eam,de quo et beatus Petrus ait,aduerſarius veſter Diabolus tanquã leo rugiens,circuit quęrens quem *1.Pet 5.*
deuoret. qui ergo huius tentatoris inſidias euadere vult,terram relinquat oportet. alioqui dum in ea moratur, certò ſciat, ſe tentationibus exercendum. quod intelligens vir quidam ſapientiſſimus dicebat, fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia & timore, & *Eccl.2.*
prępara animam tuam ad tentationem. ubi obſeruandum eſt, eum in primis hoc illos admonuiſſe,qui voluiſſent ad ſeruitutem Dei accedere. nam Diabolus athletarum morem ſeruat, qui in luctando ac decertando,non dignantur quemlibet ad luctam ac certamen admittere, ſed pares ſibi viribus quęrunt, vt victorię gloriam ferant, quod non aſſequerentur,ſi cum obuio quoque ac vulgari viro vellent decertare. ſic Diabolus ubi quempiam cernit uelle generosè uiam Dei ingredi, illum confeſtim aggreditur, & quibus poteſt artibus ſupplantare conatur. cum cæteris luctari non eſt admodum neceſſarium, quos uno digito ſcit ſe poſſe proſternere. quin eiuſmodi homines non egent Diaboli tentationibus, cum in illas ipſi ſe ſponte pręcipitent. cernas enim maximam hominum partem ea quęrere, quę manifeſtum eſt eſſe Diaboli laqueos,neque propterea recuſant, ſe in eos induere. Qui feſtinat ditari,non erit innocens, *Pro. 28.*
ait Salomon. & Paulus, qui uolunt diteſcere, incidunt in tentatio- *1.Ti. 6.*
nem, & laqueum, & cupiditates multas ſtultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitũ. ſiquidem radix omnium *ibidem.*
malorum eſt ſtudium pecunię, quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & ſeipſos implicuerunt doloribus multis. quid his apertius teſtimoniis? audimus innocentiam amiſſurum eum, qui feſtinat ditari. at amiſſa innocentia,quid ſupereſt ſalutis? audimus, eos, qui uolunt diteſcere, incidere in laqueum & tentationem, & pecuniæ appetitum diſceſsionem à fide generare. & tamen is præſtantior exiſtimatur, qui generoſius his ſe immiſcet laqueis ac tentationibus. rurſus admonet Seruator in Euangelio,honorum appetionem eſſe infidelitatis genus,cum reprehendens Iudęos dixit,quo *Ioan.5.*
modo poteſtis credere,cum honorem inuicem alter ab altero accipiatis? quod ſi accipere oblatum honorem tam res eſt pernicioſa, ij, qui honores tam ambitiosè expetunt, ut nullum non lapidẽ mo- *Adag.*
ueant, quo optati honoris fiant compotes, quo in gradu ſunt collocandi?

candi? at apud miſeros mortales nihil celebrius eſt his negociis. rur ſus quis neſcit ſpectacula, laſciuós que conſpectus, & colloquia minus honeſta, & intemperantem mulierum ornatum, & fucum & pigmenta, ingentia eſſe irritamenta peccatorum, manifeſtiſsimás q; Diaboli tentationes? & tamen non expectant homines dum tententur à Diabolo, ſed plures ipſi uias excogitant in ſuam perniciem, quàm ipſe Diabolus paret. & uolucres quidem cernimus ac beſtias & ratione carentia animantia, quo poſſunt ſtudio accuratè inſidias, quæ parari illis à uenatoribus ſolent, declinare, ut mirum ſit interdum, quo pacto eas præſagiant, miſeri uerò homines, ratione prędi tum animal, data opera in Diaboli inſidias laqueós q; dare ſe non uerentur. Verum ut ad illud reuertamur, quod dicere inſtitueramus, nihil mirum eſt, ſi illi in primis tentationes experiuntur, qui ad ſeruitutem Dei accedunt, eás que ſentiunt magis quàm reliqui. nam ſentire eas indicium eſt reluctantis, & eius qui minimè aſſentiat. contra uerò, non ſentire ſe tentari, aſſentientis eſt argumentum. nam ſentit ſitim qui eam perfert, qui uerò ante ſitis aduentum bibit, is ſentire ſitis irritamentum non poteſt. *Ne nós inducas* (inquit) *in tentationem.* cum multæ ſint tentationis cauſę, duo tamen tentationum genera dici poſſunt. nam aſſlictiones corda explorant, ut ignis uaſa teſtea, quemadmodum ait quidam ſapiens.

Eccl. 27. uaſa figuli probat fornax & uirum iuſtum tentatio tribulationis. &

Eccl. 11. ſicut aurum in fornace, ut ait Salomon, ſic per tolerantiam arguitur probitas uiri. interdum uerò ipſa rerum atque humanorum bonorum copia inſtar eſt tentationis. nam æque difficile eſt, & in aduerſis indeflexum animum ſeruare, & in ſecundis non extolli. quanquam facilius eſt elidi proſperis quàm aduerſis. hęc enim interdum etiam inuitos retinent, atque humiles reddunt, & compunctione ſaluberrima uel minus peccare faciunt, uel emendant. illa uerò mollibus mentem ac pernicioſis extollentia blandimentis, ſecurós felicitatis ſuę prouentu, ruina maiore proſternunt. cum ergo utrunq; horum tentatio ſit, uidentur homines non agnoſcere illam, quæ periculoſior eſt. uoluptas enim & bonus corporis habitus, & ingens rerum opulentia, forma, uires, honores, mundi tranquillitas, & ſecundę res, quid ſunt aliud quàm tentationes, quæ pronos ad omnia mala reddunt eos, qui illis uti neſciunt? quo in genere maxima eſt hominum pars. at has tentationes tantum abeſt, ut homines me

tuant,

tuant,ut rem etiam beatam exiſtiment in illas incidere, quo fit, ut illis plurimum capiantur. utitur enim illis Diabolus tanquam eſca, qua piſcatores hamos operiunt,ut piſces conſpecta eſca, neque obſeruato hamo, qui in eſca deliteſcit, facile capiantur. ſic nimirũ iſta quæ uoluptatem & iucunditatem ſecum afferre uidentur, ſunt hami quidem & laquei, quibus ſpirituales uenatores irretire nos conantur. ſed nos illo uoluptatis operimento deliniti, ſtolidius in illos incidimus, quàm in hamos piſces. & tamen turpius eſt ab hoc tentationis genere ſuperari, quàm ubi ea ingruunt, quę parere moleſtiam ſolent. facilius enim eſt,teſtibus etiam externis philoſophis, à uoluptate abſtinere, quàm perferre dolores. atque ob hanc cauſam noſtri eas tantum tentationes propriè appellant, quæ uim naturę afferunt. & has uiri ſancti tantum abeſt, ut deprecentur, ut in iis etiam gloriari conſueuerint. gloriamur (ait Paulus) in afflictionibus. & beatus Iacobus. omne gaudium (inquit) exiſtimate fratres, cum in tentationes uarias incideritis. cernis quanta ſit Chriſtiani pectoris uis, & eius, qui in hanc ſe philoſophiam bene penitus dederit? quid enim tam paradoxum eſt, ac pręter omnium opinionẽ, quàm quò grauiora ingruunt nobis mala, eò copioſiore affici gaudio? quòd ſi cauſam cogites, cur hæc dicat, non ita mirabere. ait enim. ſcientes quòd probatio fidei ueſtræ patientiam operatur. dum exercetur enim fides noſtra,fit animus perfectior ac robuſtior. at ſine afflictionibus fiunt plerique omnes deteriores. quis uerò neſciat, præcipuum atque adeo ſolum potius, quo lætari debeamus, lucrum eſſe, cum animus uirtute ac rectè factis fit diues? qui, cum una pars ac ſola ſit, quę hominem conſtituat, ea etiam ſola exiſtimanda ſunt bona, quæ illius ſaluti ac commodis atque profectibus ſint conſentanea. Cum ergo exploratum nobis ſit, neminem euadere tentationes poſſe, quin eum tum maximè earum malo urgeri, cum minimè illas ſentit, & pręterea ſummam noſtrę ſalutis in eo eſſe, ut illis generosè obſiſtamus, danda eſt opera, ut non ſolum hoſce duos tentationum modos, quos generatim deſcripſimus, uerum etiam ſingillatim obſeruemus ea,quę ex his oriuntur, & tentatores etiam agnoſcamus, qui ſunt,mundus,caro,ac malus Dæmon. mundus mare imitatur, quod cum tranquillum eſt, inuitat homines ad nauigandum, uerum ubi eos in poteſtate accepit,exagitat, & plerunque obrutos fluctibus perdit. ſic mundus nihil non pollicetur,

Rom. 5.
Iac. 1.

tur, maria (quod dicitur) & montes. at demum cum poſtremus re rum exitus cernitur, mendax deprehenditur atque impoſtor, ac ſi-
Mat. 16. bi fidentes in exitium rapit ſempiternum. quid autem prodeſt homini (ait ipſa ueritas) ſi uniuerſum mundum lucretur, animę uerò ſuæ detrimentum patiatur? quòd ſi totius mũdi adeptio utilis non eſt cum animę detrimento ſalutis, quod detrimentum proculdubio ſequitur eos, qui huic mundo ita uehementer afficiuntur; quis ſanæ mentis eligat eius fidei ſe committere? caro item ſuis multiplicibus blandimentis, infinitis que appetitionibus ſpiritui aduerſatur.
Gal. 5. caro enim (ait Paulus) concupiſcit aduerſus ſpiritum. at eius uo-
Rom. 8. luntati acquieſcere mors eſt. ſi enim ſecundum carnem uixeritis (ait idem Paulus) moriemini. ſi uerò ſpiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. quare uideat quiſque quid malit, mortem an vitam, eám que, quod multo maius eſt, ſempiternam. etenim ſi ex carnis voluptatibus temporaria duntaxat mors ſequeretur, bene admodum eſſet præ eo, quod Geenna & illa pœnarum infinitas ſecũ affert. Diabolus uerò tertius hoſtis aut præcipuus potius, quàm accuratè obſeruandus eſt? cuius uerſutias numerare difficilius eſt, quàm ſtellas cœli, atque arenam maris. qui ſi cerneretur, ut ij hoſtes, qui aſpectu ſentiuntur, minori eſſe poſſet damno. ſed dum non cernitur, & omnibus tamen horis atque momentis ceruicibus noſtris imminet, res eſt multò moleſtior. non dies quieſcit non noctes, non dormit neque dormitat qui impugnat Iſraël. & corporei quidem hoſtes, cum & ipſi requiete egeant, multa nobis relinquũt quieſcendi interualla, & muniendi etiam noſtri. at hic irrequietus eſt, nulla interquieſcendi ſpatia nobis permittit, quód que magis eſt miſerandum, tunc maximè inſidiatur, cum illum minimè obſeruamus. quo enim tempore indulgemus genio, & ſoluti curis ſumus, & ludis ac iocis operam damus, ac profunda pace frui nos exiſtimamus, tunc maximè inſidias ſtruit, & eo in primis tempore nobis dominatur, nós que à Deo atque à ſalute æterna abducit. hoc hoſtium genus tam periculoſum, tam que maleficum contemplans
Eph. 6. Paulus, tanti periculi admonere nos uolens dixit. induite omnem armaturam Dei, ut poſſitis ſtare aduerſus aſtutias Diaboli, quoniã non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinem, hoc eſt, uiſibiles hoſtes, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpi-

rituales

rituales aſtutias in cœleſtibus. neque his uerbis contentus, repetit, ut uniuerſam armaturam arripiant, circuncigit lumbos baltheo, induit thorace, ſcuto, galea, gladio, iubet, ut precentur & obſecrent omni tempore in ſpiritu. & profecto res eſt, cui nulla par, nedum illa maior cogitari unquam poteſt, certamen habere, in quo agitur ęternitas, ut vel uincenti ſempiterna bona, vel uicto ſempiternus paretur interitus. quàm ingens adhibēdum eſſet ſtudium pro utraque hac re, cum una duntaxat ſatis eſſe, poſſet ad vnumquenque in officio continendum. quid enim? ſi nulla cœli unquam facta eſſet mentio, tantúm que dictum eſſet, eum, qui peccauiſſet, in æternos ignes eſſe coniiciendum, cui non ſummo ſtudio tam diſperatum malum euadere conandum eſſet? rurſus ſi nulla eſſet Geenna, ſed admoneremur tantummodo, fore, ut qui in rectè facta incumberet in hac exigua uitę ſcena, immenſa illa ac ſine carentia bona adipiſceretur, qui id non præſtaret, priuaretur, nón ne hęc una æternorum bonorum cogitatio inflammare unumquenque ad rectè facta debuiſſet? cum uerò tanta incumbat neceſsitas, ut qui decertare uiriliter neglexerit, non ſolum æterna felicitate priuandus ſit, uerum etiam in ſempiternos ignes relegandus; quantus hic ſtupor eſt, in tam arduis tám que anguſtis conditionibus, non expergiſci, & præparari, & armari, ne in tam periculoſo prælio ſuccumbamus? id que multò alacrius eſſet pręſtandum, quod ſi Dei fidamus adiutorio, uictoria in noſtra eſt poteſtate. quod in temporaria pugna non fit, in qua præſtantiſſimi robore uiri interdum nulla ſua culpa, ignauiſſimi militis inſidiis interficiuntur. at in hac pugna nemo niſi volens ſuperatur. ſerua animi conſtantiam, & victoria es potitus, tantum caue, ne ante tempus arma deponas, né ue in glorioſi militis morem ante pugnam uictoriam tibi pollicearis. ſed metue ſemper & imbecillitatem tuam ſuſpectam habe. homo ſapiens in omnibus metuit, ait quidam. & rurſus. beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. memento Moſen hominem Dei, electum à Deo, ut educeret populum Hebræorum ex Aegypto, & tamen uirum tantę ſanctitatis non permiſſum in terram promiſſam ingredi, quòd peccaſſet ad aquas contradictionis. Saul electus & ipſe à Deo, ut regnaret in Iſraël, reiectus demum ab eodem Deo fuit. Dauid uerò, de quo Deus dixit, inueni hominem ſecundum cor meum, in adulterium, dum parum cautè ſe geſſit, atque homicidium, miſerandũ

Eccl. 18. *Pro. 28.* *Num. 20.* *1. Reg. 15* *1. Reg. 16* *Act. 13.* *2. Reg. 11*

3.Reg.11 in modum delapſus eſt. filius eius Salomon, omnium hominum ſa
Mat.26. pientiſſimus, peregrinis ſimulacris immolauit. Petrus ille, qui om-
Mar.14. nes condiſcipulos amore in Chriſtum antecellebat, dum nimiū ſibi
Luc.22. fideret ſuæque conſtantiæ, Chriſtum abnegauit. hęc exempla admo
Ioan.18. nere unumquenque noſtrum debent, ut nemo ſibi confidat, ſed
2.Cor.7. cum timore ac tremore, ut Apoſtolus docet, noſtram operemur ſalutem. memores interea, oportere nos per uarias tentationes intrare in regnum cœlorum, quod ut agnoſceremus, Seruator ipſe Dei
Heb.4. filius, ut per omnia ſimilis noſtri eſſet excepto peccato, ferre Diabo
Mat.4. li tentationes uoluit, admonens, hac uia omnibus eſſe ingrediendum, quicunque ad regnum parare ſibi iter uolunt. nam decerta-
2.Ti.2. re oportet eum, qui coronari cupiat. uide enim, quid Paulus dicat
ibidem. Timotheo. tu igitur (inquit) feras afflictiones, ut bonus miles Ieſu Chriſti. atque ut oſtenderet, hanc eſſe Chriſtiani hominis militiā, & quàm accuratè exercere illam oporteat, adiecit. nemo qui militat, implicatur uitę negociis, ut ei, qui ſe in militiam delegit, placeat. quibus uerbis admonemur, idem & nobis præſtandum eſſe, ut ſcilicet in morem expeditorum militum, prætermiſſis negociis huius uitę omnibus, huic uni militiæ incumbamus, in qua non ſatis eſt, ſimpliciter decertare. ſic enim ſubiicit. quòd ſi certet etiam aliquis, non coronabitur, niſi legitimè certauerit. quid eſt legitimè certare?
1.Cor.9. illud nimirum, quod alibi dicit. omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, à cibis, ab intemperantia, & quæcunque eneruare uires poſſint. & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos verò incorruptam. quod multò alacriores ad perſtandū in pugna, & perferendas afflictiones omnes efficere debet. atque hoc erat, quod Paulus fideles animabat ad grauiſſima quæque per-
Rom.8. ferenda, cum dicebat. non ſunt pares afflictiones huius temporis
2.Cor.4. ad gloriam, quæ reuelanda eſt in nos. & rurſus. momentanea leuitas afflictionis noſtrę mirè ſupra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non ſpectamus ea, quæ uidentur, ſed quæ non uidentur. nam quę uidentur, temporaria ſunt, quę autem non ui-
Iac.1. dentur, ęterna. ſic et apoſtolus Iacobus. beatus (inquit) uir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam promiſit Deus iis, qui diligunt illum, quanquam & tentationis fructum etiam in hac ſępe uita percipimus, pręſertim ad uir
2.Co.12. tutes conſeruandas. ne magnitudine (inquit) reuelationum extollar,

lar, datus eſt mihi ſtimulus ipſi carni angelus Satanæ. & ſanè ſine tentatione rudis ſemper homo & infans eſt, ut rectè quidam ſapiens dixerit. qui non eſt tẽtatus, quid ſcit? Accedit præterea aliud, *Eccl. 34.* quod intrepidos nos ad ſubeundas aut certè perferendas tentationes efficere idoneum eſt, quód que in hac huius mundi militia non contingit, in qua ſępe milites poſt multa ęgregia facta, uel ob præmaturam mortem, præmia laborum ac certaminum non aſſequuntur, uel ob regis, cui militant, uel ingratitudinem, uel ignorantiam, uel quia forte aliqua reddere mercedem non ualet. at in hac militia ſoluti hoc metu ſumus. nemo enim ſuo prẹmio unquam priuatus fuit, eó que locupletiſsimo, neque hoc ſolum, ſed opitulatur etiam in pugna rex noſter, & uires addit, quod reges terræ pręſtare nequeunt, & aduerſariorum uires cohibet, ne ſupra uires laboremus. fidelis (inquit) Deus, qui non patietur uos tentari ſupra id *1.Cor.10* quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam euaſionem, ut poſſitis ſuſtinere. quis regem habens ad dexteram pro ſe pugnantem formidaret, præſertim quem ſciret inuictum? at hoc auxilium deeſſe non poterit, ſi fidamus. nullus (inquit) ſperauit in Domino, & con *Eccl. 2.* fuſus eſt. quis enim permanſit in mandatis Domini, & derelictus eſt? nouit Dominus pios (ait Petrus) de tentatione eripere. neque *2.Pet.2.* dubitandum eſt, eundem nobis futurum tentationis finem, qui capiti noſtro Chriſto fuit, de quo ſcriptum eſt, conſummata omni ten *Luc. 4.* tatione, receſſiſſe ab eo Diabolum, & angelos acceſſiſſe ac miniſtraſſe ei. interea utamur hac armatura, quā Dominus hic nobis demonſtrauit, petendi uidelicet à Deo, ne patiatur nos induci in tentationem. dum enim manus Moſis ſublatę in cœlum erunt, ſuccumbẽt *Exo. 17.* Amalechitæ. hac prece ſi ex animo utamur, carnis laſciuia cohibebitur, cogetúr que ſeruire ſpiritui. hac omnes mundi illecebræ concedent, ne ſua dulcedine nos alliciant ad peccandum. hac, nulla eiuſdem mundi malitia, perſecutiones, afflictiones uim ullam habebunt, ut nos ad impatientiam, iram, ultionem prouocent. hac flagella, quę ob peccata noſtra immittuntur, æquo animo feremus. hac tela & inſidias maligni Satanę ſuperabimus, demúm que uictores & de hoſtibus triumphum agentes in regnum æternum introducemur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LV.

SED *libera nos à malo, quia tuum eſt regnum & potentia & gloria in ſecula. amen.* Particula illa, ſed, oſtendit hanc poſtremam petitionem cum ea, quę proximè antecedit, eſſe coniunctam. non enim ea coniunctione, quæ in duabus ſuperioribus eſt poſita, cum dixit, *& remitte nobis debita noſtra*, & rurſus, *& ne nos inducas in tentationem*, hic uſus eſt, ut diceret, & *libera nos à malo*. quare uidetur ſic intelligendum, ut petamus, non ſolum ne patiatur nos cœleſtis pater induci in tentationem, uerum etiam ereptos *à malo* in perfectam uendicet libertatem. quod ſanè pulchrè concordabit cum duabus illis petitionibus, quibus optauimus, primum ut regnum patris introduceretur, deinde eiuſdem regni ſtabilimentum, cum adiecimus. *fiat uoluntas tua ſicut in cœlo ita & in terra*. ſic nunc ubi poſtulatum eſt, ne inducamur in tentationem, petimus præterea, ut demum penitus *à malo* liberemur. Illud etiam obſeruandum eſt, id, quod dictum eſt *à malo*, in Greco non eſſe *ἀπὸ τοῦ κακοῦ*, ſed *ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*. quæ dictio frequentiſsimè quidem ad perſonam refertur potius quàm ad rem, ut ſcilicet ea potius utamur, cum de homine malo ſermo fit, quàm de re quapiam mala. uerum ad rem

Luc. 6. etiam accommodatur. nam apud Lucam vbi dicitur. malus homo de malo theſauro cordis profert malum, ubique poſita eſt uox illa *πονηρὸς*, ubi & ad perſonam & ad rem eſt accommodata. & ſanè multò eſt hoc aptius, ut, cum petimus liberari *à malo*, omnia in uniuerſum complectatur, à quibus proficiſci ad nos mala poſſint, ſiue res ſint, ſiue homines mali, ſiue mali Dæmones. in quorum omnium numero meminerimus noſmet ipſos etiam ponere, at-

Pſ. 139. que adeo potius primos. ut cum dicimus, eripe me Domine ab homine malo, ad nos ipſos primum animum referamus. re enim uera nos præcipuè in culpa ſumus, cum mala, quę uerè mali appellatione digna ſunt, nos inuadunt. atque illud eſſe mihi videtur, quod

1. Pet. 3. apoſtolus Petrus dicebat. quis uobis nocebit, ſi bonitatis ęmulatores fueritis? quòd ſi quis dicat, immeritis plerunq; accidere afflictiones, reſpondet, hæc non mala, ſed rem potius beatam eſſe appellandam

landam, quare addit. immo ſiquid etiam acciderit incommodi propter iuſtitiam, beati tamen eſtis. cauendum ergo in primis eſt, ne, quod reprehendit Eſaias, dicamus malum bonum, & bonum malum. hoc eſt, ne, cum dicimus, *libera nos à malo*, petamus ab iis liberari, quæ bona potius ſunt vocāda, quàm mala. quo enim pacto paupertatem deprecemur, quę regnum cœlorum nobis conciliat? cur eſuriem & ſitim & luctū mala arbitremur, quæ filius Dei inter beatitudines collocauit? nam dixit. *beati qui eſuriunt & ſitiunt*, & *beati qui lugent*. cur perſecutiones & probra inter mala numeremus, ob quæ idem Chriſtus iubet eſſe gaudendum? *beati* (inquit) *eſtis, cum probra iecerint in uos homines, & inſectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduerſus uos, mentientes propter me. gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra multa eſt in cœlis*. an tu malum iudicares, cum quis è vobis per afflictiones aliquas, adde & vincula & carceres ad totius Italiæ regnum eueheretur? non profectò, nunquàm enim rem, quæ tantum bonum conciliauiſſet, adduci poſſetis vt malum appellaretis. at verò ea, per quę ad ęternā itur felicitatem, mala aut fugienda audebit quiſpiam appellare? hoc ſiquis diceret, ab ipſis ethnicis longo interuallo ſuperaretur. quorum quidam dixit. prę-ter culpam atque peccatum, nihil exiſtimandum eſſe horribile aut pertimeſcendum. quòd ſi pœnas vllas atque afflictiones mala appellare volumus, ſola Geenna hac appellatione dignanda eſt, teſtibus etiam ethnicis. è quibus is, qui inter eos præſtātiſſimus eſt habitus, dixit. multis peccatis refertam animam ad inferos deſcendere, extremum omnium eſt malorum. quare neq; mortem malum exiſtimabant, dicebántque, tantum abeſſe, vt mortem opinarentur malum, ut uererentur, ne homini nihil ſit non malum aliud, aut potius nil aliud bonum. quare addebant, mortem timere nil aliud eſſe, quàm ſapientem videri eum, qui non ſit ſapiens. cur ergo (inquies) in prophetis frequentiſſimè minatur Deus mortem, peſtilentiam, famem, gladium, morbos, tanquam res malas? diximus ſæpe, Deum ad noſtram imbecillitatem ſeſe demittere, & ea interminari ut mala, quæ nos formidare ut mala conſueuimus. in eundem modum temporaria bona Iſraëlitico populo pollicebatur, quem cernebat hiſce duntaxat rebus temporariis eſſe affixū. at ubi uenit plenitudo temporis, quo miſit Deus filium ſuum apertiſſimæ ueritatis magiſtrum, non reperies illum hæc mala fidelibus pertimeſcenda iudicauiſſe,

Eſa. 5.

Gal. 4.

aut temporaria bona expetenda,ſed contra potius. cum enim mors
*Mat.*10. omnium terribilium maximum iudicetur,uide quid ipſe dicat. noli te timere eos,qui occidunt corpus,poſt hæc uerò nihil habent ultra quid faciant,ſed timete eum,qui poſtquam occiderit,habet poteſtatem mittendi in Geennam. ita dico uobis hunc timete. temporaria uerò bona ita ipſe auerſatus eſt, ut non ſolum regnum recuſauerit,
Luc.9. ſed ita paupertatem ſit amplexatus, ut non haberet ubi caput ſuum
Luc.12. reclinaret. hoc idem alios docuit,uendite (inquiens) quæ poſſidetis,& date eleemoſynam. parate uobis ſacculos,qui nõ ueteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis. breuiter in huius ſermonis initio hęc iecit huius philoſophię fundamẽta, ut quę mundus maxima mala arbitratur, ut paupertatem,famem, ſitim,luctũ,perſecutiones, probra,calumnias, hęc omnia inter beatitudines collocauerit. nimirum quòd iſta & ſint uirtutum exercitamẽta,& ea bona nobis concilient, ut quę tam egregios fructus pariant, mala iudicari nullo iure
Rom.8. poſſint,atq; huc ſpectauit Paulus,cum dixit.ſcimus enim,quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. loquebatur enim ijs,qui in periculis uerſabantur,& docebat eos, ne, uel quę ipſi utilia putarent,omnino eligerent,uel quę aduerſa exiſtimarent, ea deprecarentur ac recuſarẽt;ſed quę ſpiritus ſuggereret,ea amplexarentur. idcirco ſuperius dixerat, neſcire nos,quid oraturi ſcimus. nam multa,quæ uidentur nobis utilitati fore, magna interdum afferunt damna. remiſſio enim atque à periculis liberatio,& in ſumma libertate uiuere, uidetur eſſe utile. quod & ipſi Paulo uiſum olim fuit,
2.*Cor*.12 cum precaretur auferri ſibi ſtimulum illum carni adhibitum, quem arbitrabatur curſum Euangelij impedire.at demum didicit,quòd ijs contraria prodeſſent.quod cum didiciſſet,contentus eo fuit. qui ergo poſtulauerat ab ijs periculis liberari, vbi audiuit, ſufficit tibi gratia mea,nam uirtus mea in infirmitate perficitur,exultabat deinceps
Ibidem. in perſecutionibus,in contumelijs,atq; extremis malis. placeo (inquit) mihi in perſecutionibus,in contumelijs, in neceſſitatibus. ob
Rom.8. hanc cauſam etiam dicebat. quid enim oraturi ſimus ſicut oportet, neſcimus. & omnes admonebat, ut ſancti ſpiritus conſilijs ſe ſubijcerent,
Rom.8. cum certò ſcire poſſent,omnia adiumento eſſe ad bonum iis, qui Deum diligerent. nam afflictiones,paupertaté,vincula,famem, mortes,ſiue quicquid aliud ingruat, potens eſt Deus ea omnia in cõtrarium conuertere.nam & hoc ineffabilis illius potentiæ eſt,ea,quæ

laborioſa

laborioſa & grauia uidentur, leuia nobis efficere. quare non dixit, diligentibus Deum nulla ingruunt mala, ſed adiumento ad bonum ſunt, hoc eſt, vtitur Deus ipſis moleſtiis ad ſuos probandos, reddendós que præſtantiores, quod multò ſanè maius eſt, quàm prohibuiſſe ne ingruerent, aut venientia diſſoluiſſe. hoc & in Babylonia for- *Dan.* 3.
nace effecit. neque enim uel prohibuit ne pararetur, uel decidentibus in illam tribus illis pueris extinxit flammam. ſed illa in ſua vi relicta, per hanc ipſam reddidit admirabiliores. per apoſtolos item alia huius generis egit admiranda. neque ſanè mirum. ſi enim viri philoſophi ſciunt natura rerum in contrarium vti, & in paupertate degentes ipſis diuitibus uideri opulentiores; multò magis Deus in iis, qui illum diligunt, & hæc & multò maiora iure efficit. unū duntaxat opus eſt, vt illum verè atque ex animo amemus, & mox cętera omnia ſua ſponte ſequentur. Sicut autem hoſ ea, quę damnoſa videntur, iuuant, ſic iis, qui eum non diligunt, ea, quæ alioqui ſua natura prodeſſe debuerant, nocent. nam Iudæis & ſignorum declarationes, & recta dogmata fuerunt damno, & cœleſtis illa Chriſti doctrina; nam & per illa dicebant illum Dęmonium habere, & per hęc *Io.* 7.8.
Deo aduerſarium cauillabantur. quin ob miracula interficere illum *Ioan.* 9.
uolebant. & in iis omnibus ob deprauatā mentem damnum paſſi *&* 10.
ſunt, cum interea latro in crucem actus, clauis affixus, conuiciis af- *Luc.* 23.
fectus, multa grauia ac moleſta paſſus, non ſolum nihilo lęſus ex eis fuit, ſed ingentia fecit lucra. hęc eadem inter vos experiri quotidie quiuis poſſet, ſi, quemadmodum Chriſtianos homines decet, placeret philoſophari, & intelligeretis, ea, quæ aduerſa iudicatis, multò maiorem afferre vtilitatem, quàm ea, quæ ſenſibus blandiuntur. Quid ergo poſtulamus cum dicimus; *ſed libera nos à malo?* nempe ab eo *malo* petimus liberari, quod vere malū eſt, quód que ad peccatum nos trahit. nam, ut rectè quidam inter theologos pręſtantiſſimus dixit, pati mala atque aduerſa in eo eſt, cum quis malè facit, bonis uerò affici, in eo, ut quis mala patiatur. petimus itaque ab eo *malo*, quod uerè malum eſt, liberari, in quod mundus, caro, Diabolus præcipitare nos momentis omnibus moliuntur. præſertim uerò Diabolus, qui indefeſſus circuit terram & perambulat eam, & tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. qui quamuis 1. *Pet.* 5.
nihil à nobis læſus ſit, ueteri tamen aduerſus genus noſtrum inuidia laborans, inconciliabili contra nos certamine ac odio pluſquam ca-

pitali

pitali prçliatur,id que ad hunc duntaxat finem, vt nos ab illo regno, ac felicitate deiiciat,à qua ſua olim ſuperbia pulſus fuit. nam quòd quærit nobis in temporariis bonis negocium faceſſere, non hic illi ſcopus eſt,ꝙ nobis iſta inuideat,(nihil enim illius intereſt, ſi etiam totius terræ imperium quis poſſideret, neque ob hanc cauſam permoueretur ad nos diuexandos) ſed tentat & molitur,ut per externa hæc damna atque moleſtias periculum nobis euerſionis creet. quod exemplo Iob & ſanctorum eiuſmodi virorum facile liquet. uide enim quid dixerit Satan. cum enim Dominus interrogaſſet eum,

Iob.1. num conſideraſſet ſeruum ſuum Iob iuſtum ac timentem Deum, mox ad illam iuſtitiam euertendam oculos adiecit,& reſpondit. extende paululum manum tuam,& tange cuncta quæ poſſidet,niſi in faciem benedixerit tibi. quod cum non ceſſiſſet ut optabat, rurſum petiit,tange (inquiens) os eius & carnem eius,& tunc uidebis quòd in faciem benedicat tibi. cernis Satanam in hoc unum incubuiſſe, ut Iob his calamitatibus fatigatus,demum malediceret (hoc enim ſignificat hic benedicere, qui dicendi vſus ob Dei reuerentiam proprius ſcripturç ſacræ eſt) Deo,atque ab eo recederet? hoc item animo eſt,cum dat operã, ut quis locupletetur,ut uidelicet à Deo auocet,ſibi que coniungat. quod manifeſtiſſimè declarauit, cum auſus ipſum filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum inuadere,

Mat.4. ſubduxit illum in montem excelſum, & oſtẽdit illi omnia regna orbis terrę in puncto temporis, & ait illi. tibi dabo poteſtatem hanc uniuerſam & gloriam illorum, quia mihi tradita eſt, & cuicunque uolo do illam. tu ergo ſi adoraueris prouolutus coram me,erũt tua omnia. cernis & hic regna mundi offerri, non ut Chriſtus honeſtaretur, ſed ut Diaboli ſeruus fieret? hęc illi una cogitatio eſt, ſiue cũ dare ſiue cum auferre molitur temporaria iſta commoda. quæ Diaboli verſutia omnibus in rebus eſſet à nobis obſeruanda, & una illa attendenda,cauendũm que,ne vel aduerſis decipiamur, uel ſecundis efferamur,atque à Deo recedamus. huius tam peſtiferi hoſtis inſidię ſemper ante oculos habendæ ſunt,ſemper enim & omnibus in rebus nobis inſidiatur. ſed miſeri omnia potius circunſpicimus prę ter ipſum. & ſiquidem certò ſciremus quempiam hominem, qui uiribus & ingenio præſtaret, factis noſtris omnibus inſidiari, tuta omnia timeremus, neque quicquam aggrederemur, niſi prius aduerſarii illius malitiam diligẽtiſſimè obſeruauiſſemus. at certiſſimè

ſcimus

ſcimus Diabolum idem ipſum agere, cuius uires eæ ſunt, ut nullæ illi ualeant comparari. factus eſt (inquit) ut neminem timeat. id ingenium ac verſutia, ut ſapientiſſimo cuique imponere nullo negocio poſſit. is quoque aduerſus nos ſuror & rabies, ut crudeliſſimæ quęquis ferę illi comparatæ, uideri poſſint manſuetiſsimæ. & pręterea in hac lucta in periculo eſt æterna ſalus, quod multò omnium eſt maximum. & tam periculoſa in re ſupini dormitamus, & nullam circunſpectionem nullam cuſtodiam illius declinandis fraudibus adhibemus. Hic itaq; malus eſt, à cuius inſidijs petimus liberari. ubi obſeruandum & illud eſt. uoluiſſe Dominum, ut etiam in hac poſtrema poſtulatione in commune precaremur, diceremúsq;, *libera nos*. ut ſcilicet affectus noſter in omni precatione noſtra non minus in proximum quenque quàm in noſmet ipſos porrigatur, & non tam ab eorundem proximorum moleſtia, ſiquando nobis incommodant, quàm ab hoc maligno, qui homines aduerſus nos exſtimulat, & nos & proximi ipſi pariter liberemur. Si quis tamen, cũ dicit, *libera nos à malo*, petere etiam uelit, ut tollantur morbi, peſtilentię, terrę ſterilitas, bella, & omnia, quibus hominum genus affligi conſueuit, non damno, ſi eo animo petat, ne ob eas calamitates proximi quique uel acrius affligentur, uel eorum pondere obruantur, & delabantur in peccatum. hoc enim affectu ſiquis petat, ab Euangelico ſcopo mihi recedere non uidebitur. quòd ſiquis petat ea mente tantum, ut nihil in hac uita incommodi ſentiat, is longè à recto aberrat, & doctrinæ Euãgelicæ manifeſtè aduerſatur. ſi enim per multas afflictiones intrare oportet in regnum cœlorum, & crucem iubemur ferre poſt Chriſtum, qui etiam interminatur iis, qui hæc huius uitę commoda quærunt. uæ uobis (inquiens) diuitibus, qui habetis conſolationem ueſtram. uę uobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. uæ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. hæc inquam cum ita ſe habeant, quo pacto remiſsionem ac requiem per hęc uerba licebit poſtulare, aut deprecari aduerſa, cum & proſperis Chriſtus interminetur exitium, & aduerſis ęternam felicitatem polliceatur? neceſſe itaque eſt, ut, qui rectè intelligere hæc huius præcationis uerba uelit, pro certo habeat, cum duo malorum genera appellentur, peccati ac pœnarum (ſic enim illud Eſaię accipitur, cum dicitur, ego Dominus faciens bonum & creans malum, hoc eſt, bella & afflictiones) ea pœnarum mala duntaxat tutò nos deprecari

Iob. 41. *Act. 14.* *Mat. 16.* *Luc. 6.*

 poſſe,

poſſe, & rogare ut ab eis liberemur, quæ ſcilicet iis parata ſunt, qui in Geennam relegabuntur. cætera non ſine periculo recuſamus. niſi eo animo petamus, quo dudum diximus eſſe petendum. ſic in petendis bonis, ea exiſtimemus ſola meritò appellanda bona, quæ animam honeſtant, & efficiunt gratam Deo. ſed homines utraque iſta poſtremo loco ponunt, & bona ac mala temporarijs duntaxat commodis metiuntur. Hactenus quę Chriſtiano homini ſunt poſtulanda. poſtremo loco poſuit Dominus uerba, quibus docet claudendam precationem omnem noſtram, proſequendo cœleſti patre ſummis laudibus & gloria. *quia tuum eſt regnum* (inquit) *& potentia & gloria in ſecula. amen.* quibus uerbis non ſolum amplitudo Diuina & maieſtas mihi uidetur prædicari, cui uni hę competunt appellationes. nam humana regna luſus quidam puerorum ſunt, quæ cum apparent, mox eſſe deſinunt, & nihil à fabula, quę in ſcena agatur, differunt. ſic humana potentia quanta eſt, cum maximum quenque ac potentiſsimum ſcorpij morſus atque aranei nullo negocio conficere poſſit? quam aſſequi gloriam homo poteſt, cum ſumma quæuis hominum gloria, & exiguis terrarum ſpatiis & non minus anguſtis ęui terminis comprehendatur? ut interea omittam eam, quę apud homines gloria exiſtimatur, falſi eſſe nominis gloriam, neque ab iis, qui mente ac ratione uti uelint, hac appellatione eſſe dignandam, cum ſcilicet quis opum & facultatum & honorum copia cęteris antecellit. nam homines ferè iſta duntaxat admirantur & magna opinantur, nulla habita ratione probitatis eius, qui iſta poſsideat. non ſolum ergo illis uerbis (ut dicebamus) Diuina prædicatur maieſtas, uerum etiam animamur nos, & robur quoddam additur menti noſtrę, cum ad perferenda mala & aduerſa, quę ingruunt, tũ ad præmia ab illo expectanda. cum enim audimus huius patris eſſe regnum & potentiam & gloriam, id que in omnia ſecula, confidimus nullum aduerſarium, quibuſcunque fidat uiribus, opprimere nos & expugnare poſſe tandiu, dum ſub huius patris cura regimur. deinde ſecuri reddimur, præmia nobis, eà que locupletiſsima eſſe reddenda, cum huius patris potentia per ſecula omnia ſit duratura, neque id accidere poſſe nobis, quod in temporariis regnis ſępiſſimè uſu euenit, ut ante rex è uita decedat, quàm ſuos milites licuerit munerare. ſic & in prophetis reperies, qui, cum animare ſe ad fidendum uellent, ad hanc Dei potentiam animum referebant, dicebant que,

bant que, adiutorium noſtrum in nomine Domini. tantúm ne? im- *Pſ.* 123.
mò etiam, qui fecit cœlum & terram. ſic Ieremias cum oſtendere *Ier.* 10.
uellet, uni illi eſſe inhęrendum, dixit Dominus Deus uerus eſt, ipſe
Deus uiuens, & rex ſempiternus. ab indignatione eius commoue-
bitur terra. & non ſuſtinebunt gentes comminationem eius. qui
facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, &
prudentia ſua extendit cœlos. ad uocem ſuam dat multitudinem
aquarum in cœlo, & eleuat nubes ab extremitatibus terræ, fulgura
inter pluuiam facit, & educit uentum de theſauris ſuis. hæc conſi-
deratio etiam timorem ac reuerentiam parit, quare in eodem pro-
pheta dicitur. non me timebitis dicit Dominus. & à facie mea non *Ier.* 5.
dolebitis, qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiter
num, quod non pręteribit, & commouebuntur & non poterunt, &
intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud? Verum & illud
in hac Diuina precatione eſt obſeruandum, quod miror niſi uobis
admirationem non uulgarem pariturum ſit. cum enim Euangelicę
philoſophiæ finis ſit regni cœleſtis adeptio, Dominus tamen cum
orare nos per huius precationis formam docuit, nullam ſelectam
poſuit partem, qua hoc regnum poſtularemus. quamuis enim in il-
lis uerbis, *adueniat regnum tuum*, etiam cœleſtis regni fecerimus
mentionem, eam tamen tanquam ſequelam annumerauimus, quã
do propria illorum uerborum ſignificatio eſt, ut optemus regnum
patris, hoc eſt, eius agnitionem per totum orbem terrarum fundi,
& ſublata Satanæ tyrãnide ipſum regnare in nobis. quid ergo in cau
ſa eſt, cur non ſit interiecta in hac precatione etiam cœleſtis regni
poſtulatio? primum uult nos eſſe non mercenarios ſed germanos
ac legitimos filios. ij enim, qui uerè filij eſſe uolunt, nihil quęrunt
aliud, quàm ut uoluntati patris obſequantur. non diſceptant, ne-
que diiudicant, quænam ſibi relinquenda hęreditas ſit, contenti eo
quod pater iudicauerit ſibi eſſe tribuendum. deinde non deceret
hoc petere. ſi enim quamuis omnia quis perfecerit, quæ pręcepta
ſunt, iubet tamen ipſe Dominus, ut dicamus, ſerui inutiles ſumus, *Luc.* 17.
cum pręterea tam multa peccemus; quo pacto quis non ſolum inu-
tilis ſeruus, uerum etiam ſceleratus & perditus rem tantam audeat
poſtulare? neque mihi quiſquam obiiciat, quòd Dominus dixerit, *Mat.* 6.
quærite primum regnum Dei. &, petite & accipietis ut gaudium ue
ſtrum ſit plenum. in his enim & eiuſmodi locis non dicitur peten- *Ioan.* 16.

dum cœlum, ſed regnum Dei petitur eo pacto, quo dicimus, *adueniat regnum tuum*, ſic cum petimus, ut gaudium noſtrum ſit plenum, petimus ut ueniat plena liberatio, cuius hodie fecimus men-
*Luc.*1. tionem. ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia (nam liberatio à maligno adeptio
*Deu.*6. regni eſt) atque ut amare eum poſſimus toto corde tota anima, o-
Luc. 10. mni uirtute, totis uiribus. quod cum in hac uita aſſequi non liceat, ſi ob hanc cauſam poſtulamus cœlum, ut id præſtemus, rectè poſtulamus, non autem ob unum illud, ut bene nobis ſit. nam hoc uirtutis non eſt. Cur ergo (dicet aliquis) docuit nos panem petere? nam ne hoc quidem ſeruum inutilem decet. iam declarauimus, hac poſtulatione nos non tam petere quàm profiteri, humanę vitæ neceſſaria nos ab illo habere, illíque accepta eſſe referenda. Verum eſto, concedatur, licere cœlum petere, id tamen non eſt neceſſariũ.
Luc. 12. nam hoc munus curę eſt patri. nolite timere (inquit) puſillus grex,
*Ioan.*16. quia placuit patri veſtro dare vobis regnum. & rurſum. non dico uobis, quòd ego rogaturus ſim patrem pro uobis. ipſe enim pater a-
*Ioan.*14. mat uos. & alibi, in domo patris mei manſiones multę ſunt, ſin minus, dixiſſem uobis, uado parare uobis locum. paratum ergo regnum eſt, neque ſolliciti pro eo eſſe debemus, niſi vt faciamus voluntatem patris. hæc enim una nobis cura relicta eſt, cæterę omnes ſublatę. Et hęc quidem quod ad precationem pertinet, quàm à Seruatore Chriſto docti fuimus, ſatis in prę ſentia ſint. & quamuis temporis ratio poſtulet, ut iam dimittatur concio, hodiernus tamen dies, & rerum memoria quæ ſuperioribus hiſce duobus annis tractata in eo ſunt, inuitat, ut aliqua de hac etiam re uerba faciamus. Hodie eccleſia Chriſti hortatur fideles, ut ſe apparent, ne naſcituri regis noſtri Chriſti feſtus ac ſolennis dies improuiſos adoriatur. quod à vobis eſſe faciendum, tutò mihi poſſe uideor polliceri, cum uenit in mentem, quid ſuperiore anno ab hac ciuitate ſit factum, ídque duabus in rebus, quibus ſumma Chriſtianę philoſophiæ conſtat. primum enim peccatorum exhomologeſis ita paſſim facta fuit, tantóque populi numero, vt illam quę in paſchate ſuperioribus annis ante me epiſcopum fiebat, uiſa fuerit ſuperauiſſe. quam ſacratiſsimæ euchariſtiæ participatio eſt conſecuta, deinde nuptię eidem Chriſto paratæ fuerunt eo apparatu, non quidem qui & tantum regem, & tam honeſtam ciuitatem deceret, ſed tamen qui

nunquam

nunquam antea, quod à quoquam veſtrum ſciatur, aut monumentis fuerit traditũ, factus ſit. his iactis tam egregiis fundamentis, cur non optima queq; ſperẽ ſecutura? unũ duntaxat propter aduerſarii inſidias eſtis admonendi, ut memineritis hanc eſſe egregiã quãdam turrim, & illi Euangelicę perſimilẽ, cogitandúm q; à vobis eſſe, quid neceſſariũ ſit ad illam perficiendã, ne, ſi poſt iacta fundamenta deſiſtatur, incipiant, qui hæc viderint, illudere vobis, & dicere. hęc ciuitas cœpit ædificare, & noluit conſummare. quod eſſet magis reprehendendum, quàm ſi non potuiſſet. nam audierunt vicinæ ciuitates famam huius generoſi negocii, cui niſi paribus factis reſpondeatis, duo conſequentur mala, nam & ingentem vobis notam inuretis, & veſtra fortaſſe inertia ij, qui iam exẽplum veſtrum imitari cœperunt, refrigeſcent. ſin perſtabunt quamuis vobis factis tepidioribus, hoc illis glorię acceſſio, vobis ignominiæ erit. ſed faceſſant malè ominata verba, & Fulgineę nomen facta ipſa æquent. ut hęc ciuitas omnes totius prouincię huius Vmbriæ vmbras expellat, & circumiacentibus vrbibus lucem pręferat. Et profectò id vos omnino præſtare iuſtiſſimum eſt. nam cum reliquę ferè Italię ciuitates vnum quidem epiſcopum habeant, ſed qui ſua tantum quærat, neque curæ illi ſint oues, niſi cum aliquid temporarii lucri eſt ab illis exigẽdum, vos duos habere nunc poteſtis gloriari, qui tantum veſtra quęrunt non ſua. nam etſi Reuerendiſſimus Bloſius Palladius mihi integrè ceſſit epiſcopatu, nunquam tamẽ veſtri curam deſeruit, quotidianis penè hanc urbem afficiens beneficijs. & nunc cum ex me audiuit, parari has Chriſto Domino nuptias, mox non exiguam tritici ſummam obtulit, quem cum & me imitari ęquum ſit, conabor plus aliquanto quàm uires ferant, præſtare, & duplam tritici ſummam in horreum Chriſti, quod pauperum uſibus iam ſuperiore anno fuit aſſignatum, inſerri iubebo. hos geminos paſtores ueſtros & uos æquum eſt æmulari. qui ſi vel alterum tantum tritici ſimul omnes (uidete enim quàm humanam conditionem uobis propono, & cuius ob exiguitatẽ pudere uos poſſet) aſſeratis, habebunt fratres Chriſti, quo non dico abundè uiuant, ſed ita uitam trahant, ut fame nemo conficiatur. Et hęc quidem uerba lacrymas mihi ferè extorſerunt, cum uidear contentus eſſe, ſi pauperes uitam trahant, cum alij interea, non ſolum habeant, unde copioſè alantur. ſed delitientur etiam ac luxurientur. uerum ut illud dicerem, coëgit me rerum abu

ſus,

Luc. 14.

ſus, & Chriſtianorum morum inclinatio. ſi enim Chriſti fides uigeret, non hęc ferre poſſent Chriſtiani homines, neque paterentur in tot ſuperuacua inſumere eas facultates, quas iccirco acceperunt à Chriſto, ut in ipſius Chriſti honorem illis uterentur. quis enim ueſtrum eſſet, qui ab aliquo homine ſola ipſius liberalitate, facultates, quas haberet, accepiſſet, non quotannis munificum illum hominem honorificè munerare uellet? quòd ſi prętcrea ſciret, pro illis muneribus multò maiora ſibi donanda, nullis parceret ſumptibus, & magnificentiſſima ſemper dona excogitaret, quę illi mitteret, à quo ſciret ſe maiora ſemper reportaturum, & tantum abeſſet, ut ſibi quicquam ex illa munerum profuſione imminuendum metueret, ut ex eo negocio confideret, maiorem opum futuram acceſſionem. atqui hęc eadem in prębenda eleemoſyna eſſent cogitanda. nam à Chriſto non facultates ſolum habemus, ſed & corpus & animã, & quicquid ſumus, quicquid ſapimus, & tamen ad illum munerandum ſumus

Mar. 10. tam inertes. ipſe prętcrea pollicitus eſt, ſe in hac ipſa uita centies repetitum fructum redditurum, ac demum uitam illam in cœlo ſempi

Mat. 25. ternam. & quidem ſola illius beatę ęternitatis contemplatio, quam pollicetur ſe in iudicio ijs donaturum, qui dandę eleemoſynę egregiè incubuerint, animare nos deberet, non ſolum ad impertiendum liberaliter pauperibus, ſed ad omnes etiam facultates profundẽdas. cum uerò utraq; res promittatur, unde tanta in cordibus noſtris improbitas atq; infidelitas, ut qui parati ſimus promittenti homini credere, Chriſto, hoc eſt, ipſi ueritati non credamus? amas cœlum? da eleemoſynam, & tuum erit cœlum. terram mauis & huius uitę opulentiam? hoc ipſa tibi eleemoſyna ſubminiſtrabit. metuis egeſtatem? hoc te eleemoſyna liberabit metu. uide enim, quid dicat Sa-

Pro. 28. lomon. qui dat pauperi, non indigebit. qui deſpicit deprecãtem, ſuſtinebit penuriam. cernis contra accidere, atque homines uerentur? timent enim, ne, ſi largius dent eleemoſynam, futurũ ſit, ut ipſi poſt egeant. at ſcriptura contrarium prędicat, eos ſcilicet, qui negligunt benigni eſſe in pauperes, paſſuros egeſtatem, eos uerò, qui miſericordiam in illos exercuerint, nunquam in egeſtate futuros. quid igitur

Pſ. 140. reliquum eſt, niſi ut intelligamus, nos excuſare excuſationes in peccatis, cum recuſamus prębere eleemoſynam. quid enim? diues es? nullam habes non dandæ eleemoſynę excuſationem. pauper ęs? ob hoc ipſum exerce eleemoſynam, ut fias diues. iam incipite fidem habere,

habere, ſi non Chriſto, certè ipſis factis, quemadmodum ipſe Iudæis dixit. ſi mihi non uultis credere, operibus credite. iam enim *Ioan.* 10.
Euangelici quidam in hac urbe fœneratores id quotidie in ſe fieri experiuntur, & mirandum in modum eorum opes augeſcere. quod ſi in tam euidentibus teſtimoniis adhuc fideiuſſore egetis, ecce ſi quem unquam ob datam eleemoſynam pœnituerit, ego pręſtabo. quid vultis amplius? cogitate ſiquid adhuc ſupereſt ad vos ſecuros reddendos, & illud addetur. Quanquam una duntaxat re opus eſt ad hoc negocium, nempe charitate, quam dicit Paulus non quære- *1.Co.* 10
re quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum. hæc ſi affuerit, maiori tibi curę erit pauperum neceſsitas, quàm tua ipſius. hoc enim eſt, non quęrere quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum. non ſunt diuitiæ, quæ liberalē hominem faciant, quæ ſi hanc uim haberent, diuites eſſent liberaliores in pauperes, quàm cæteri omnes. at contrarium cernimus, eos uidelicet qui minus habent, largiores prębere eleemoſynas, inertia ergo & auaritia, & minima aut nulla potius charitas in cauſa ſunt, cur egeant pauperes. nam ſi ſtrenuè agere uelletis, iam olim vobis oſtendi, poſſe hanc ciuitatem ſingulis annis mille nummos aureos hic in medium ponere ſine ullo incommodo, quibus fieret, vt pauperum indigentiæ abunde ſubueniretur, quę ingens ſanè eſt, & tam miſeranda, vt exhorreſcam, cum audio, quæ ad aureis meas perferuntur. quamuis enim mandauerim, vt inter alios pauperes ij præſertim curentur, qui ægrotant, fit tamen interdum, vt aliqui ignorentur, præſertim qui extra vrbem ſunt. quare accidit, vt quidam ægrotaret, cui curando cum quędam pharmaca eſſent ei adhibenda, neque is haberet, quo ea emeret, metu conflandi æris alieni, quod diſſoluere poſtea non poſſet, optabilius illi erat mori. ſed re agnita ſubuentum illi mox fuit. O rem miſerandam, & quæ mihi pręcordia diſrumpit, ob eiuſmodi neceſſitates, quę quotidie verſantur ante oculos, nón ne & ipſa veſtimenta exuere oporteret, ſi nihil adeſſet aliud? ſed miſeri nos ac miſerandi nunquam ſine pecunia & opibus ſumus, niſi cum dandum aliquid Chriſto eſt. ſi laſciuiendum, ſi cibis, ſi veſtibus etiam ſuperuacuis opus eſt, ſi conuiuia, ſi nuptiæ largius celebrandæ, ſi indulgendum genio, ſi comœdiæ agendæ, ſi dandum fiſco, ſemper ſuppetunt opes & pecuniæ. cum verò Chriſti mentio fit, eius videlicet, à quo omnia habetis, & cui omnia debetis, continuò excuſatis inopiam & paupertatem, pe

cunię

cuniæ & opes omnes euaneſcunt. Tollatur è medio obſecro tandem aliquando tanta in Deum & Chriſtum eius ingratitudo, &, quamuis fieri poſsit, vt res anguſta ſit domi, facite vobis eam vim maximo cum fructu veſtro, quàm ſine ullo fructu facere cogimini, cum fiſcus à vobis aliquid exigit, præſertim cum plerunque fiat, Deo id in peccati veſtri pœnam permittente, vt quod Chriſto dare recuſatis, fiſcus rapiat. inuitantur itaque à me hodie omnes. magiſtratus, ſenatus, omnes ſocietates, omnes artes, omnis ſexus, ætas omnis, viri, mulieres, ſenes, iuuenes, pueri, vt nemo harum nuptiarum expers ſit, quæ ob ſalutem totius generis noſtri fuerunt celebratę. decreta eſt autem huic oblationi Dominica quarta aduentus. nemo prętexat anni anguſtias, quin potius ob hanc cauſam largior facienda eſt eleemoſyna, cum futurum ſit, vt magis egeant fratres Chriſti. nemo excuſet habere ſe, quibus priuatim ſubueniat, affines & amicos. fieri enim vtrunque & poteſt & debet. Satan eſt, qui has vobis ſuggerit cogitationes, vt hoc opus impediat, quo excogitari nunquam poterit aliud neque vtilius neque honorificentius. quod verſutus ille intelligens, transfigurat ſe in angelum lucis, & proponit vobis ea, quæ ſpeciem quidem habere pietatis videntur, ſed impia ſunt ac doli plena. obſeruandæ ſunt hæ huius maligni verſutiæ, qui etiam aliquos veſtrum minus capaces eius malitię exſtimulat, vt circumferant eiuſmodi verba, & animos auocent ab egregia hac prouincia. ſed ſpero in dies magis eneruandas eſſe ſceleſti illius uires. iam enim experti ſumus, quod iam omnes norunt, quàm multorum hoc anno ſeruata uita ſit, qui alioqui fame fuiſſent conſumpti, quàm multis incolumitas reſtituta, qui ob morbum uel defeciſſent omnino, vel ita decubuiſſent, vt morbus morte ipſa videri potuiſſet calamitoſior, ne quęſo ceſſetis in tanto rerum cardine, dum ſolidiora fiunt tam præclari negotij fundamenta, quibus ſolidè collocatis, nullus erit metus, ne tam accuratè cœptum opus ſequentibus annis intermittatur. Huius etiam ſecuturi mox anni ſanctitas, quinquageſimi ſcilicet, qui ob numeri obſeruantiam in maximo à Chriſtianis populis honore habetur, alacriores vos ad id præſtandum efficere debet, ſi non ob aliud, certè vt poſteri veſtri meminerint, eo anno, qui Iubilęus appelletur, negociú, quod priore anno tenuiter cœptum fuerat, magnificè fuiſſe tractatum. hoc veſtrum bonum eſt ciues mei, hoc totius eſt ciuitatis ſalus, hoc

2.Co.11.

ad

ad remittenda peccata aptiſsimum eſt inſtrumentum. hoc ad deprecanda & arcenda flagella, quę vrbi imminent, ſingulare eſt remedium. hoc & ad præſentis vitæ tranquillitatem & futurę beatitudinem parandam accommodum eſt. hoc (vt aliquid & mihi hac in re doneus) laborum meorum ſolatium eſt ſingulare. quos labores ferre nunquam poſſem, niſi profectus veſtri, qui hac præcipuè in re agnoſcitur, ſpe aliqua paſceretur. gratificamini ergo & paſtori veſtro, immo Seruatori Chriſto paſtorum principi, cuius nomine facienda iſta omnia ſunt. cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LVI.

NOLLEM ego meos tot dierum labores fruſtra videri inſumpſiſſe. cum enim multis iam concionibus precationem illam, quam Seruator Chriſtus nos docuit, fuerim vobis interpretatus, & conatus ſim theſaurorum in ea deliteſcentium partem aperire, uideo nos tantam rerum copiam retinere memoria non poſſe, idque animi ſtomacho accidere, quod in uaſis uſu venit, quæ ubi liquore aliquo plena ſunt, ſiquis liquorem adhuc vel quippiam aliud infundere velit, mox quod intus erat elabi incipit. ſic metuo ne idem vobis acciderit, & copia rerum, quas retinere animus omnes non potuit, factum ſit, vt multa effluxerint, & precaturis confuſio quædam oboriatur. quare decreui hodie breuiſsima interpretatione complecti, quæ pręcipuè, cum eſtis precaturi, in memoriam uobis ſint reuocanda. ne poſthac, quemadmodum hactenus factum videtur, illud vobis obijciatur, quod Deus per Eſaiam dicit. populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me, ſed potius dicamus cum Paulo, orabo ſpiritu, orabo & mente. Cum ergo orātes, hanc precationem dicitis, omnia accuratè ſunt obſeruanda, vt quę facta ab eo ſint, qui eſt ſapientia patris, & in quo ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientiæ abſconditi. & in prima illa voce, *pater*, tria præcipuè ſunt cogitanda. primum incomprehenſa Dei erga noſtrum genus benignitas, qui velit à nobis appellari non Dominus,

Eſa. 29.

1. Cor. 14

Col. 2.

ſed *pater*. qui, ſi cum eo conferamur, pulices ſumus, vel, vt Abra
Gen. 18. hæ verbis vtar, puluis & cinis, atque adeo nihil potius, ſi tamen
Eſa. 40. & hoc ſatis eſt, cum dicat propheta. omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & minus quàm nihilum & inane reputatę ſunt. nos ergo, qui minus quàm nihil ſumus, inuitari, ut omnipotentem illam maieſtatem appellemus patrem, hoc ſupręmę profectò, ac mentem omnem ſuperantis bonitatis indicium eſt. deinde inuitamur per hoc uerbum, *pater*, ut omni cum fiducia poſtulemus, nobis que certisſimè perſuadeamus, nos ab eo exaudiendos, qui ob hanc ipſam cauſam appellari uoluerit *pater*, ut petendi fiduciam animis noſtris ingeneraret. poſtremò cum dicimus, *pater*, agnoſcimus nos eſſe filios, & noſtræ dignitatis incipimus recordari. quæ recordatio exſtimulat, ut demus operã, nequid unquã indignum faciamus tanto patre, & tãtò munere, quo nos Deus donauit, ut filii eius appellemur. cernimus enim principum & præſtantium uirorum filios ab iniquè factis deterreri ſi non ob aliud, certè ne paterno geri nota aliqua inuratur. Sequitur, *noſter*. hęc uox admonet nos eſſe fratres omnes, & æquè cœleſtis patris filios. hoc qui cogitet, neminem contemnere audebit, quem ſciat in Dei filium adoptatum. cum uiderit pauperẽ, ſuccurret animo, illum eſſe Dei filium, & Chri-
Mat. 25. ſti fratrem, quemadmodum ipſe Dominus in Euangelio appellauit. &, ſi non ob aliam cauſam, uel ex hoc uno eleemoſynam illi impendet ob tanti patris reuerentiam. ſiquid à proximo quoque iniuriæ acceperit, non confeſtim in illum inuehetur, ſed cogitans & illũ habere patrem Deum, reuerebitur, & iræ impetum ſiſtet. etenim ſiquis ueſtrum à quopiam regis filio iniuria afficeretur, non auderet iniuriam rependere ob regiam dignitatem. *Qui es in cœlis*. hac appellatione recordaberis, te in terra eſſe, & à patrio regno exulare, & ea, quibus hactenus in terra uehementius affectus fuiſti, incipies nõ curare. optabis que quàm ocyſſimè ad hunc patrem inuiſendum proficiſci. nam quis ueſtrum, ſi audiret, patrem ſuum in aliqua orbis terrę parte regnare, nõ ſummis uiribus contenderet patrem adire, & regno illo cum eo frui? *Sanctificetur nomen tuum*. his uerbis petimus, ut honor Diuinę maieſtatis rebus omnibus anteponatur, & quęcunque nobis accidunt, ſiue aduerſa ſiue ſecunda, facta quoq; noſtra & uerba & cogitationes hũc ſcopum habeant, ut glorificetur nomen patris in nobis, neque unquam obijci nobis poſſit, nomen

Dei

Dei malè audire propter nos. cum enim externi cernunt, nos uel Eſa.52.
aduerſis deijci, vel proſperis inſoleſcere, in factis ac uerbis noſtris in- Eze.36.
decorè nos gerere, totum hoc in huius patris redundat iniuriam. contra uerò tunc glorificatur in nobis, cũ aduerſa æquo animo perferimus, ſecundis rectè utimur, in mercibus, artibus, ac negociis noſtris iuſtitię ſumus ſtudioſi, in uictu & cultu modeſti, in uerbis compoſiti, & malumus mortem oppetere, quàm agere quippiam, quod huic patri afferre ignominiam poſſit. horum uerborum cogitatione, rectè atque honeſtè omnia fient. nam, ſi occurrat appetitus fallendi, ſi luxus in uictu aut ueſtitu, recordabimur, hoc non eſſe ſanctificare nomen cęleſtis patris, & continuò ceſſabunt fraudes, uictus luxuria, & muliebri mundo finis imponetur, qui in primis ingẽtem huic patri affert contumeliam. quę enim mulier, quo die hæc uerba intelligens proferet, eo die audeat pingere genas, & faciem fuco linere, & tam multis ac uariis ornamentis tanto cum ſumptu corpus inuoluere, quibus rebus certiſſimum eſt cœleſtem patrem dehoneſtari? quæ ſi faciat, quo pacto audebit hæc uerba proferre, quibus data opera aduerſetur? *Adueniat regnum tuum*. hic optamus, ut uerus Deus ab omnibus gentibus agnoſcatur, ut Iudęi, Turcę, Mauri, & quicunque à recto cultu aberrant, huius lucis ueritatem agnoſcant, & ſublato Diaboli regno, ipſe ſolus regnet in nobis. hoc enim regnum gratię eſt, à quo demum in regnum gloriæ ſumus trãsferendi. *Fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo ita & in terra*. uide exactam philoſophiam, quam Dominus à nobis requirit, docet enim, ut petamus uitam ei perſimilem, quæ in cœlo fit. at in cœlo quænam uiuendi ratio eſt? ſumma ibi eſt pax, charitas, obedientia, humilitas. proſequuntur enim ſe inuicem cœleſtes illę mentes admiranda charitate, ut nihil unquam diſſidij inter eos intercedat. exactam præbent obedientiam non ſolum cœleſti patri, uerum etiam mutuo inter ſe. ſuperioribus inferiores non inuident, inferioribus ſuperiores ordines ea communicant, in quibus ipſi antecellunt. non dedignantur humilia obſequia aggredi, ut nobis proſpiciant, qui lutoſas domos inhabitamus. omnes enim (ait Paulus) adminiſtri ſpiritus ſunt, dum Heb.1.
in miniſterium mittuntur propter eos, qui hæredes futuri ſunt ſalutis. cum ergo petimus, uitam nobis dari cœleſtibus illis ſpiritibus ſimilem, danda eſt opera, ut eadem & ipſi præſtemus. pacati uiuant inter ſe ciues, lites & diſſidia tollantur, arctiſſima inter uos coniun-

gamini charitate, neque ſolum paſtoris ueſtri præceptis ac monitis
Ephe. 5. obtemperetis, ſed etiam, ut docet Paulus, ſubiecti inuicem ſitis in timore Chriſti. qui maior eſt, minorem non deſpiciat: inferior ſuperiori non inuideat. agnoſcant omnes, ſe inuicem eſſe membra. caſtitatem & carnis integritatem profligata omni laſciuia, ſeruent. hęc enim eſt eorum uita, qui in cœlo ſunt. atque hoc pacto aſſequemur quod hic petimus, ut ſcilicet *fiat uoluntas* patris *in terra*, quemadmodum fit *in cœlo*. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* tria hic in primis ſunt obſeruanda. primum cum petimus *panem quotidianum*, eá duntaxat petimus, quę ad honeſtum uictum & cultum ſunt neceſſaria. quare quicunque aliud quippiam pręter hoc quęrit, non rectè hanc orationis Dominicæ partem pronũtiat, ſed eam potius uiolat. qui ergo ex animo hęc uerba protulerit, reprehẽdet mox ipſe ſe, cum deprehenderit reſidere animo infinitam illam inſatiabilem que habendi cupiditatem, & paucis poſthac contentus erit. alterum eſt, quod obſeruemus. cum enim petimus hunc *panem*, & hęc ad uitam neceſſaria dari nobis à cœleſti patre; hoc nõ eſt admonere illum neceſſitatis & indigentiæ noſtræ, qui ante quàm petamus, ſcit, quorum egeamus. ſed hoc nihil aliud eſt, quàm profiteri, nos hęc omnia illius prouidentia habere, & ab eo expectare non à noſtra induſtria: ex quo fiet, ut & grati illius beneficiis ſimus, & ea, quæ habemus, tanquam res Dei nõ noſtras, non diſſolutè, vt nunc fit, diſperdamus, ſed cum omni timore Dei diſpenſemus. tertium eſt, cum dicimus, *hodie*. docemur enim, ultra hodiernum diem nõ eſſe ſoliciti. quod cum hęc uerba pronuntiantes attendimus, continuò intelligimus, quanto in errore uerſemur, cum ad multos annos, & longè plures quàm uita ſit duratura, cogitationes noſtras prorogamus, & pro eo ſoliciti ſumus, quod nunquam ad nos pertinebit. hæc itaque particula, *hodie*, ſi obſeruetur, inueniemus, nos, qui hactenus arbitrabamur eſſe indigentes, multò plura habere, quàm ſit opus, & in pauperes euademus liberaliſsimi. *Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* non eſſent in Chriſtiano orbe tã inteſtina odia, & implacabiles inimicitiæ, ſi homines, cum hæc precantur, intelligerent, quid dicant. rogantes enim, ut cœleſtis pater ita eis remittat peccata & offenſiones, quẽadmodum ipſi proximis ſuis remittunt, quicunque remittere iniurias nolunt, nihil aliud petunt, quàm ut Deus ſibi non ignoſcat, quandoquidem ignoſcere

ipſi

ipſi nolunt ſuis proximis. cernis expaueſcendam conditionem, quam ipſemet Deo ſtatuis? idem malum ſibi poſtulant, qui ignoſcere quidem tandem aliquando uolunt, ſed pudendum arbitrantur cito ignoſcere. quare inimicitias in menſes & annos ſeruant. homines eiuſmodi idem ipſum à Deo petunt, cum hęc uerba proferunt, ut ſcilicet ne tam citò eis ignoſcat, cum interea fieri facillimè poſſit, ut ante in Geennam detrudantur, quàm eis peccata remittantur. Simul illud cogita. hominis debita erga Deum eſſe illa in Euangelio decem millia talentorum, ea uerò, quę quis alteri debet, quantum graues cunque iniuriæ ſint, etiam parentum ac filiorum cædes, eſſe centũ denarios. quis ergo non remittat libens centum denarios, ut ſibi decem millia talentorum remittantur? ſed tam craſsi erroris cauſa eſt, quòd plerique omnes, cum hac precatione utuntur, non intelligunt, quid dicant. *Et ne nos inducas in tentationem*. diximus grauiores eſſe ac perículoſiores eas tentationes, quæ ſenſibus blandiuntur. tentatio autem hic ea accipitur, quæ in peccatum trahere nos conſueuit. qui ergo hęc uerba proferunt, atque interea ipſe ſe tentationibus obiiciunt, nón ne illudere uelle Deo uidentur, dum petunt, ut Deus eos ab illis periculis ſeruet, in quæ ſponte ipſi ſe immittunt. tentatio eſt incircunſpectus mulierum aſpectus. iccirco aiebat propheta. oculus meus deprædatus eſt animã meam. tentatio eſt inobſeruatus auditus, ſpectacula, intemperantes ioci & ſermones, laſciuus ornatus, appetitus diuitiarum, diſſolutæ comeſſationes atque conuiuia. cum ergo homo ſciens & uolens in has ſe tentationes coniiciat, nón ne ridiculum eſt, interea petere ne inducatur in tentationem, in quam ſe ſponte præcipitat? quare cum hæc precaris, abſtine tu primum ab iis, quę te rapere in tentationem poſſint, deinde cœleſtis patris auxilium rectè poſtulaueris. *Sed libera nos à malo*. hic petitur plena liberatio, ut de manu inimicorum noſtrorum, qui in primis Dæmones ſunt, liberati, ſeruiamus Deo in ſanctitate & iuſtitia. hoc enim eſt malum, à quo petimus liberari. neque uerò Chriſtiani hominis eſt, poſtulare, ut à corporeis temporariis que moleſtiis liberetur, ſed ut à tentatione duntaxat & peccandi periculo, cum illæ ingruunt, conſeruetur. ſi enim per multas tentationes oportet nos intrare in regnum cœlorum, & iubet Dominus, ut crucem portemus poſt eum, quo pacto ęquum eſt, ut petamus ab eis liberari? ſi quis tamen non ſui ſed proximorum

Mat. 18.

Thre. 3.

Luc. 11.

Act. 14.

Mat. 16.

rum

rum gratia petat auferri mala, ut bella, egeſtatem, morbos, peſtilen
2.*Cor.*2. tiam, ne homines preſſi malis, abundantiori triſtitia abſorbeantur, is hoc animo petens, non errauerit, cum ſecundum apoſtoli pręce
1.*Cor.*10 ptum quęrat, non quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, præſertim cum demum ad animę quęrendam ſalutem totum referatur. Habetis cō pendioſam Dominicæ precationis interpretationem, ne, cum oratis, ueſtra mens ſine fructu ſit, ſed intelligatis uim eorum, quę poſtulatis. neque enim rectus eſt mos ille, quem ſeruari paſsim uideo, ut quis centies hanc precationem una hora repetat, nihil unquam attendens quid dicat. ut enim intelligatis, quantus hic error ſit, ita apud uos cogitate. cur Seruator Chriſtus docuit nos ita precari? nimirum, ut diſceremus, quo pacto & quid precandum ac petendum eſſet. at quicunque eo modo utuntur hac precatione. qui ferè in uſu apud omnes eſt, nihil intelligunt, quid in ea comprehendatur. tantá que ſuperiores ętates uel inſcitia uel inertia laborauerunt, ut maxima hominum pars prius moriatur, quàm unquā hanc precationem intellexerint. cernas homines ad extremam ſenectam perueniſſe, quibus ne in mentem quidem unquam uenit ſcire uelle, quæ ſit huius precationis uirtus, quæ tamen tanti apud Chriſtianos eſt, ut etiam infantes ſcire eam oporteat. quę res quàm ſit abſurda quis non uidet? Quare uelim, ut poſthac precaturi, men
1.*Co.* 14 tem adhibeatis iis, quę lingua profertis. hoc enim eſt orare mente. nam qui aliter faciunt, loquuntur quidem, non autem precantur, dum mentem in Deum non attollunt, quod unum orare eſt. quòd ſi ea, quę hic breuiter comprendimus, dicenda hac precatione cogitaueritis, illud etiam accedet boni, quòd eorum quę hic dicuntur, contemplatione, in Dei & proximi amorem inflammabimur, animos, quos hactenus terrę infixos habuimus, erigemus in cœlum. ceſſabit anxia illa, & quę omnes per totam uitam torquet, inſatiabilis habendi cupiditas. moderatio in uictu cultú que corporis adhibebitur. componentur mores. iurgia lités que ceſſabunt. regentur ſenſus. pauperum inopię ſuccurretur. carnis laſciuia coërcebitur. profligabuntur uitia atq; peccata. breuiter erit quod petimus in ipſa precatione, ut, quemadmodum in cœlo, ita & in terra fiat uoluntas cœleſtis patris, cui cum filio & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO.

ORATIO LVII.

CVM *uero ieiunatis, ne ſitis ſicut hypocritæ tetrici, extenuant enim facies ſuas, ut perſpicuum ſit hominibus illos ieiunare. amen dico uobis, habent mercedem ſuam.* Reuertitur ad id, quod dudum inſtituerat, cum docere uellet, quo animo facienda ſint opera noſtra, ut fructũ & mercedem referre poſsint à patre noſtro, qui in cœlis eſt. cum ergo docuiſſet hactenus, quo pacto & eleemoſyna & precatio faciendæ eſſent, nunc idem docet de ieiunio. vbi obſerua, Dominũ obiter declarare, quę pręcipua ſint Chriſtiani hominis inſtrumenta. cum enim tanquam pro exemplo ponat tria hæc, eleemoſynam, precationem ac ieiunium, tacitè admonet, iſta eſſe in primis nobis exercenda, neque ſanè ſine cauſa, cum in tribus his ſumma degendæ Chriſtianę uitę uerſetur, quod intelligere hoc pacto poſſumus. iubemur diligere proximum quenque tanquam noſmet ipſos. at hoc ſine eleemoſyna fieri non poteſt. quid enim? dicis te neminem odiſſe. hoc non ſatis eſt, niſi etiam ames. reſpondebis, te bene uelle omnibus. quo pacto? optare vt bene habeant. hoc votum oportet, ut ab intimis animi affectibus proficiſcatur, qui tum demum, aut potius tunc ſolum agnoſcuntur, cum in actum prodeunt, quod niſi fiat, ipſe te fallis, dum amare tibi perſuades, nec amas. qui habuerit ſubſtantiam mundi (ait apoſtolus Ioannes) & uiderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit uiſcera ſua ab illo, quomodo charitas Dei eſt in eo? cernis in factis charitatem contineri, quæ facta niſi accedant, fateris te diligere proximum, factis autem negas, non enim in ſermone eſt regnum Dei. Si frater & ſoror (ait beatus Iacobus) nudi fuerint, & egentes quotidiano uictu, dicat autem aliquis veſtrum illis, abite cum pace, caleſcite & ſaturamini, & non dederitis illis, quę ſunt neceſſaria corpori, quę erit utilitas? at diligendi proximi pręceptum, eiuſdem proximi utilitatis gratia poſitum eſt. quòd ſi nulla in ſolis uerbis eſt utilitas, argueris, te ne diligere quidem. ut, quemadmodum idem Ioannes ait, non diligamus verbo & lingua, ſed opere & ueritate. multi enim ſatis præſtitiſſe ſe putant, cum ad fratris neceſsitatem commouentur miſericordia. at non

Mat. 19. & 22.

1. Io. 3.

Ti. 1.

1. Cor. 4.

Iac. 2.

1. Io. 3.

non nulli idem faciunt in ratione carentibus animantibus eo ipſo tempore, cum ea interficiunt, & cum miſereantur, eorum tamen in terea uitæ non parcunt. atque hoc eſſe uidetur, quod aiebat Salo-

Pro. 20. mon. multi homines miſericordes uocantur, uirum autem fidelē quis inueniet? hoc eſt, reperias multos, qui uoce & uerbis miſericordiam prædicent, ſed qui factis id prçſtent, ac fideliter negocium tractent, non facile inuenias. ad declarandam ergo charitatem noſtram erga proximum quenque, eleemoſyna exercenda eſt, ſi diligendi eius prçceptum implere uolumus, & illius neceſſitatibus pro uiribus ſuccurrendum. Deinde cum animo conſtemus & corpore, & animus quidem ad auctorem ſuum Deum, cui fruendo factus eſt, erigi identidem debeat, corpus uerò ſeruire ſpiritui, & illius uſibus miniſtrare, illud per orationem fit, hoc per ieiunium: quo niſi carnis laſciuia cohibeatur, & quaſi frenetur, id accidit, quod in nimium uigeſcentibus equis cernimus, ut uel ſeſſorem excutiant, uel certe ita exagitent, vt ſui iuris eſſe non poſſit. ſic nimirum corpus niſi ieiuniis & ciborum abſtinentia dometur, animum ſua intemperantia diuexat, atque impedit, quo minus ſuis egregiis fungatur muneribus. rectè itaque Seruator Chriſtus cum exemplum rectè factorum proponeret, trium horum mentionem fecit, quibus perfectus fieri homo Dei idoneus eſt. ſed uideamus quid etiam hac in parte admoneat. *Cum ieiunatis* (inquit) *ne ſitis ſicut hypocritæ tetrici*. illud tetrici in Grçco eſt σκυθρωποί, quod plus eſt, quàm triſtis, ut ſignificet inamœnum quendam & ſeuerum atque auſterum vultum, quod dicit proprium eſſe hypocritarum, qui iccirco obſcurant & triſtem proferunt vultum, vt oſtentent ſeſe, & intelligant homines, illos ieiunare, qui, cum id faciant nullam aliam ob cauſam, niſi ut hoc liqueat hominibus, niſi vultu id prçferant, non aſſequuntur quod cupiunt. Et obſerua, ut in his monitionibus omnibus, ut hic de ieiunio, ita & ſuperius de eleemoſyna atque oratione, ſemper cauendam hypocriſim admoneat, ut quç omnium rectè factorum peſtis ſit, & ea non minus quàm fermentum conſperſam fari-

Mat. 16. nam ſolet, vitiare conſueuerit. quamobrem cum Dominus alibi re

Mar. 8. prehenderet Phariſæorum hypocriſim, fermentum eam appellauit.

Luc. 12. cauete (inquiens) à fermento Phariſçorū, quod eſt hypocriſis, quos etiam cum reprehenderet, quòd omnia facerent, vt ſpectarentur ab

Mat. 23. hominibus, ſemper repetebat, vç vobis Scribç et Phariſçi hypocritç:

hæc

hæc hypocriſis non ſolum bona vitiat, uerum etiam maxima inuehit mala. & ſicut angelus Satanæ nunquam grauius nocet, quàm ubi ſe in angelum lucis transfigurat, ſic ij, dum ſimulant ſanctitatem, improuiſos homines ſub pietatis ſpecię in errorem trahunt, & cum maximè ſalutem pollicentur, tum maximè à ſalute alienos faciunt. &, quemadmodum Dominus Scribis & Phariſæis obijcit, claudunt regnum cœlorum ante homines, nec ipſi intrant, nec accedentes ſinunt intrare. nullum impoſtorum genus deterius eſt. nam ij uerè ſunt impoſtores, atque ita admirandus impoſturas excogitant, vt nihil mirer, non ſolum mulierculis, ſed etiam uiris imponi, præſertim ſimplicioribus. cernas eos inceſſu & geſtibus ac motibus humiles, obſtipo capite (ut quidam ait) & figentes lumine terram, voce ſubmiſſa, mellitis verbis, & pietatis quadam imagine obtectis. quæ omnia ſunt illa ouium veſtimenta, quæ Dominus de iis loquens prædixit, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. unum illud miror. quòd, cum Dominus ſigna oſtenderit, quibus agnoſci poſſint, ea homines non obſeruent, à fructibus (inquit) eorum cognoſcetis eos. quos uerò ij fructus pariunt? nempe ut eorum demum impoſtura in propriam redundet utilitatem. neque enim tantum ſcopus illis eſt, vt appareant ieiunantes, ſed vt pręterea huius auſterioris uitæ contemplatione lucrum faciant, & ſuam expleant auaritiam. *Amen dico uobis* (inquit) *habent mercedem ſuam*. rectè ſuam. nam illa à Deo iis parata, qui recto animo recta faciunt, ſuo uitio ſunt priuati, reſtát que, ut eam duntaxat habeant, quam venati ſunt. atque vtinam hoc malum in eo ſiſteretur, vt ſibi obeſſent ſolis, uel homines, quibus ij imponunt, in corporeis tantum bonis iacturam facerent, ſed miris ſuperſtitionibus eorum animos inficiũt, & eos à germana Chriſtianę philoſophię via quàm longisſimè abducunt, & anilibus quibuſdam figmentis captiuas ducunt mulierculas, quemadmodum ait apoſtolus, onuſtas peccatis, quæ ducuntur concupiſcentijs varijs, ſemper diſcentes, & nunquam ad agnitionem ueritatis uenire ualentes. admonendi autem gratia, vnum aut alterum exemplum proferam. perſuadent hominibus, eos, qui corrigiam neſcio quam ferant, tot annorum indulgentias habituros, qui item alio quodam fune circunligentur, pœnas purgatorij ignis non ſenſuros, ſic, qui certo cum habitu ueſtium ſepeliatur, eum infernos ignes non eſſe paſſurum. at verò ſimpliciores homines his

2.Cor.11.

Mat.23.

Mat.7.

ibidem.

2.Ti. 3.

fabulis fidentes, veram pietatem, in qua ſalutis certa uerſatur ſpes, poſt humeros reijciunt. quo fit, ut plerunque qui ſe rectà in cœlum euolaturos his præſidiis confidebant, in profundum tartarum demerſi deprehendantur. horum autem hypocriſi damnata, uideamus quid nos admoneat Dominus. *Tu autem cum ieiunas* (inquit) *unge caput tuum, & faciem tuam laua*. ne conſpicuum ſit hominibus te ieiunare, *ſed patri tuo, qui eſt in occulto, & pater tuus, qui uidet in occulto, reddet tibi in propatulo.* quod ait ungendum eſſe caput, ex more loquitur Palæſtinorum ac Iudæorum, qui exhilarandi

Mat.26. animi gratia unguentis utebantur. atque hanc ob cauſam quidam
Mar.14. arbitrantur, mulierem illam in Euangelio, pretioſo unguento per-
Luc.7. fudiſſe caput Domini, ut illum defatigatum curis recrearet. per hęc
Ioan.12. autem verba non neceſſitatem vngendi capitis affert, ſed hic ſenſus eſt, vt ieiunantes longe ab eo affectu ſint, vt perſpicuum fiat hominibus ſe ieiunare, ſed diſſimulent potius, quàm oſtentent ieiuniũ. Sed meminiſſe interea oportet, quę ſuperioribus orationibus diximus, cum de eleemoſyna & oratione tractatum à nobis fuit. non prohibere videlicet Dominum, quo minus videant homines & ie-

Mat.5. iunia & alia rectè facta noſtra, cum idem ipſe dixerit. luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ſed illud in primis docet cauendum, ne vel ieiunemus, vel quippiam boni aliud faciamus eo animo, vt cernant homines facta noſtra, & gloriam ab iis uenemur, ſed in factis noſtris omnibus, quæ vel ſoli vel ſpectãtibus aliis agimus, ſolum Deum conſcium velimus, & cœleſtem patrem, *qui eſt in occulto*, hoc eſt, aſpectibus hominum non patet, qui intuens occulta cordis noſtri, & nos ac facta noſtra omnia ab illo pendere, id, quod in occulto, ac ſola illius contemplatione facimus, *reddet in propatulo*. nimirum in reſurrectione iuſtorum, & in conſpectu totius orbis terræ. Et hæc quidem tria exempla, eleemoſynæ uidelicet, orationis & ieiunii, omnem Chriſtiani hominis conſummatam iuſtitiam complectuntur. cum enim corporis intemperantia per ieiunium cohibetur, cogitúrque ſubiectum eſſe ſpiritui, & animus per quotidianas precationes Deo coniunctus eſt, ut non facile ſit, ita affectum animum ad peccata delabi, & præterea parati ſumus nó ſolum non lędere proximum, uerum etiam bona illi noſtra impertiri, quid deeſt, quo minus omnem iuſtitiam impleamus? tria item hæc tribus illis,

illis, quæ in mundo ſunt, opponuntur. nam concupiſcentię carnis 1. Io. 2.
ieiunio, concupiſcentię oculorum, quę eſt auaritia, eleemoſyna, &
faſtui uitę humili ac pia oratione medemur. cum itaque in tribus hiſce exemplis docuerit Dominus, quo pacto fructum ex factis noſtris apud Deum referamus, mox ad illud venit, quod auocare homines à regno cœlorum in primis ſolet, admonét que vt affectum auaritiæ deponamus, quod ita regnum Dei impedit, vt alibi dixerit, facilius eſſe camelum ingredi per foramen acus, quàm eum, qui diuitiis fidat, intrare in regnũ cœlorum. quod non aliud eſt, quàm hanc partem pro re deſperata ponere. ait ergo. *Nolite reponere uobis theſauros in terra.* quamobrem? *ubi erugo & tinea corrumpit, & ubi fures effodiunt & furantur.* non inuideo (inquit) ego ueſtris theſauris, qui regnum ipſum cœli uobis offero, ſed doceo, ubi tutò eos recondatis, ut ea, quę tam perditè amatis, habere uobiſcum perpetuò poſſitis. non cernis quàm malè tuta res ſit, recondere in terra theſauros? quàm multi enim, quàm repentini, & quos nunquã prouidere quis potuiſſet, caſus auferunt uno interdum die, ac momento potius, quæ tota uita ut parares, fueras defatigatus? quòd ſi non aliud, certe mors malum ineuitabile, omnia ſimul auferet. nam, quemadmodum nihil intulimus in hunc mundum, ſic ne auferre quidem quicquam licet, & cum te ad multos annos opes congeſſiſſe arbitraris, repente mors ingruens ſpes omneis tuas irritas facit. fit que ut nullum præter moleſtias & quotidianas cũras fructum, ex tuis opibus reportaueris. intuere enim diuitem illum in Euangelio, ſi non ita, ut dixi, illi accidit. qui, cum multas haberet diuitias, maiores ſemper expectabat, benignitate Dei aliis diuitiis alias addente, ſi forte aliquando ſatiatus, ad impertiendum ſuis proximis bona à Deo ſibi credita, animum adiiceret, atque humanos induere mores inciperet. audi ergo quid de eo dicatur. hominis (inquit) diuitis ager uberes fructus protulerat. & cogitabat intra ſe, quid faciam? deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo. contemplare hominis ingratitudinem. acceperat à Deo copioſos fructus, is uerò rependit agreſtes mores, & inhumanos. non meminit communis naturæ, non cogitat apud ſe, oportere, quando plura ſuppetunt, quę capere iam nequeat domus, in pauperes ea ſaltem diſtribuere, quæ ſunt ſuperuacua. dicendum ei fuerat. cum capere domus hos fructus nequeat, cur hęc horrea deſtruam, & alia ædifi-

Mat. 19. Mar. 10. Luc. 18. Luc. 12. ibidem.

cem, quod ſine magnis ſumptibus fieri nequit? cur non potius id, quod in ędificiis non neceſſarijs inſumendum eſſet, in conſortes naturæ meę impertiar, quos cerno indigere? nihil horum cogitat. interea rumpuntur horrea pondere fructuum, & auarum cor non impletur. cum enim noua ſemper veteribus adderet, & anniuerſarijs incrementis locupletaretur, incidit in hanc mentis inopiam, cui exitum non inueniebat. nam uetera relinquere auaritia non patiebatur, noua uerò ſuſcipere ob copiam idoneus non erat. iccirco inops conſilii erat, dicebát que, quid faciam? quis hominis tam obſeſſi non miſereatur? miſer erat atque ſolicitus ob copiam, miſerabilis ob pręſentia, miſerabilior ob expectata. ſi terra prouentus non dat, oritur gemitus. ſi dat, curę continuę & ſolicitudines adſunt, & eadem deflet, quę is defleret, qui inopiæ anguſtiis detineretur. nón ne & inopes hanc eandem uocem emittunt. dicúnt que, quid faciam? unde mihi alimenta? unde ueſtitus? eadem hic diues loquitur, laborat cor, & à curis conficitur. quod enim delectare alios ſolet, hoc auarum excruciat. neque enim gaudet, cum cernit impletam opibus domum, ſed circumfluentes diuitiæ ex ſtimulant animum, ne forte extra domeſticos parietes fuſæ, boni alicuius cauſa egentibus fiant. & uidetur mihi hic animi morbus guloſis & edacibus eſſe perſimilis, qui malunt diſrumpi ſibi uentrem, quàm alijs, qui egeant, ciborum reliquias impertiri. Hæc itaque eos mala ſequuntur, & multo his plura. qui recondere ſibi theſauros in terra cupiunt. quis ergo mente pręditus in eam rem totus ac toto uitæ tempore inuigilet, quæ non ſolum omnibus horis amitti poſſit, uerum etiam, quamuis nó amittatur, nullum ex ea fructum præter curas, & diurnas nocturnás que moleſtias refert? ſed uideamus, quid admoneat Dominus, qui, cum dixerit alibi, ſe ueniſſe,

Ioan. 10. ut homines uitam habeant, & abundantius habeant, ſignificauit, ſuam philoſophiam eam uim habere, ut eius ſectatores feliciores in hac etiam uita faciat. ait ergo. *recondite uobis theſauros in cælo, ubi neque erugo neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt neque furantur*. locum uobis tutum oſtendit, in quo recondere illud poſſitis, quod tam perdite tám que inſanè amatis, à quo loco cum diſceſſeritis, nullum pręterea alium, cui tutò fidere liceat, reperietis. nullæ enim tam ferro munitę arcæ ſunt, nulli tam robuſti parietes, qui ita tueri ueſtras opes & à furibus, & à tineis atque erugine poſſint, ut

ſine

ſine ſolicitudine uiuere liceat. nam, ut alias curarum materias prætermittam, ſi theſauros ueſtros nullo teſte recōdatis, metuitis, ne ingruens repentina mors efficiat, ut res tanto ſtudio paratę ac reconditæ ita pereant, ut ij, quibus eas parauceratis, habere ex eis nihil poſſint. ſin teſtibus aliquibus id factum ſit, illi ipſi teſtes, ſi etiam filij ſint, formidantur. quare ſi etiam in uiſcera terræ, ubi prius erant, reponātur, nihilo tamen minus laboris ac moleſtiarum parient. unum ergo perfugium eſt, quod noſtri amantiſſimus Dominus hic oſtendit, ut hos theſauros in cœlo recondamus. quod conſilium quanti ſit faciendum, hoc exemplo licet intelligere. ſiquis uiam excogitauiſſet, qua homines opes ſuas ac theſauros à furibus, à tineis, ab erugine, à quouis demum alio aduerſo caſu ſeruare immunes poſſint; quæ non huic homini præmia decernerentur & publicè & priuatim ab iis, qui hæc amant? qui ſi præterea ſciret uiam aliam, qua non ſolum ſeruarentur, ſed etiam ita reconditæ opes augeſcerent, quid ei non debere uos profiteremini? quibus illum donis non honeſtaretis? quis hanc artem ſcire non ſummis uotis optaret, atq; agnita non libentiſſimè uteretur? at Chriſtus non ſolum hoc uobis commonſtrauit, ubi ſcilicet tutò recondere ueſtros theſauros poſſitis, ut à nemine, aut ab incommodo ullo ſit metuendum, & quo pacto mirum in modum augeantur, quod enim maius incrementum cogitari à quoquam ueſtrum cupidiſſimo poſſit, quàm ut & in hac ipſa uita *Mat.* 19. centuplum adipiſcatur, & uitam præterea habeat ſempiternam? non *Mar.* 10. ſolum inquam hęc oſtendit, ſed illud, quod multò eſt maximū, quo pacto re tam uehementer amata, frui in æternum poſſitis, & tamen quotus quiſque eſt, qui hoc nomine ſaltem uerbis Chriſto gratias agat, qui, ſi gratus eſſe tanto benefactori non uult, conſilio certe ſaluberrimo uti uelit? & malunt homines ea, quorum amorem Diuino amori anteponunt, amittere, quàm amantiſſimi Dei monitis obſequentes in æternum poſſidere. quis hanc ſtupiditatem ſatis admiretur? quis hanc inſaniam ferat? quæ Geenna puniendo tanto ſceleri idonea eſt? idem fit in ipſarum opum uſu. perdunt eas mille intemperantiæ modis, neque iacturam illam unquam exiſtimant. ubi uero dandum aliquid Chriſto eſt cum tanto fœnore, quantum ſæpè à nobis dictum eſt, continuò reſiliunt, & illam iacturam putant, quę tamen una res ac ſola eſt, in qua lucrum faciant. ita miſeri dicunt bonum malum & malum bonum. O perditum genus, & ſuo ipſius

bono

bono inimicum. Quid? quòd eiuſmodi homines naturam etiam rerum inuertunt. nam cum ea ſit amantium natura, ut quò magis homines alteri affecti ſunt, eò cupiant illum honeſtiorem; ij aurum, quod ipſa anima charius habent, ita abdunt tenebris, ut, quantum in ipſis eſt, in lucem exire nunquam poſſit, & quod dudum, cum è terra effoderetur, ab ipſius terrę permixtione purgauerant, rurſus terra obruunt maiore cum iniuria, quàm ſi in terrę ſordibus illud reliquiſſent. neque enim paris ignominię eſt, abiectum ac ſordidum aliquem negligere, & poſtea quàm eſt honeſtatus, afficere contumelia. liceret ipſum aurum in cœlo collocare, ubi conſpicuum eſſe in perpetuum poſſet, ac uos ipſos immortali afficere gloria, & contrarium eligere magis uobis placet, ut ſcilicet & aurum inglorium degat, & uos hoc nomine dedecore perpetuo inuramini. quid enim

Eccl. 10. maioris eſt ignominiæ, quàm ea, quæ de auaris dicuntur? auaro (ait

ibidem. quidã ſapiens) nihil eſt ſceleſtius. & rurſus. nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam. & alius neſcio quis. auarus niſi cum moritur, nil rectè facit, & ſexcenta eius generis alia. nullum enim uitium eſt, quod acrius ab omnium ſcriptorum genere exagitetur, quàm auaritia, neque id iniuria, cum omnia afferre ſecum mala conſueuerit. ut

1. *Tim*. 6 meritò eam Paulus malorum omnium radicem appellauerit. Et uide, quàm ingens malum ſit, donis Dei abuti, & ea non intelligere. cogitandum eſſet enim, Deum optimi ac ſapientiſſimi patris familias morem imitari, qui dum ſuum cuique è familia officium diſtribuit, aliquibus rei familiaris gubernationem committit, & œconomos facit, qui familiæ uſibus quotidie parent neceſſaria. diuites ergo, & quicunque præter uictum cultúm que modeſtum aliquid habent, œconomi Dei ſunt, qui illis bona illa credidit in conſeruos diſtribuenda, qui ſi ea ipſi detineant. atq; in proprios conuertant uſus, nouerint rationem à ſe neglectorum conſeruorum exactiſſimã Domino eſſe reddendam. Quantò autem eſſet utilius homo, fidelem eſſe diſpenſatorem, ſic apud te cogita. ſiquis œconomum quępiam conſtitueret hac lege, ut, ſi ea, quæ illius fidei eſſent credita, ita diſtribueret, ut ei eſſet imperatum, eadem centies multiplicata reportaret, ſin fraude aliqua uteretur, non ſolum præmium ullum non referret, uerum etiam ſupremas pœnas daret; quid hunc cenſes ſuiſſe facturum? nimirum maximum adhiberet ſtudium, ut ne teruncio quidem fraudarentur ij, in quos creditæ ſibi opes eſſent impendendæ.

dæ. quamobrem? quia ſciret hoc in ſummum ſuum commodum eſſe redundaturum. in hac ipſa diuites omnes ſunt conditione. ſi enim fideles in re ſibi credita eſſe uelint, & centuplum hic, & in futurum uitam æternam ſunt habituri, ſed malunt ſtolidi omnia amittere, dum erroris opinionem ſequuntur, quàm ſumma cum utilitate Seruatoris Chriſti conſilijs aſſueſcere. *Recondite* (inquit) *theſauros in cælo*. hoc qui fecerit, non ijs anguſtiis obſidebitur, quibus diues ille, cuius dudum fecimus mentioné, cum dicebat, quid faciam? promptum enim erit cuique dicere, explebo animas eſurientium, *Luc. 12.*
aperiam horrea, omnes accerſam egentes, proferam magnanimam uocem, quicunque egetis panibus, uenite ad me, ut gratiæ mihi à Deo datæ participes ſitis. hoc enim eſt recondere *theſauros in cælo*. non hęc diues ille cogitabat, ſed potius quo pacto omnia detinens, omnes eorum bonorũ utilitate priuaret. aſtabant qui animam eius repeterent, & ille de paſcenda anima ſomniabat. cum enim diceret, anima habes multa bona repoſita in multos annos, requieſce, comede, bibe, gaude, dixit illi Deus. ſtulte hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ paraſti, cuius erunt? hoc exemplum quem non admonere debeat, ut ſibi caueat? immo uerò quotidiana huius generis exempla. quàm ſępe enim idem cernimus, ut qui tota uita defatigati ſunt, ut opes parent, cum paratis frui expectant, uitam cum opibus amittant? Vidiſti finem eorum, qui diuitiarum cupiditate nequeunt ſaturari, & quò habent plura, eò plura concupiſcunt. ſed fortaſſe multi quęrunt diuitias, non diuitiarum amore, ſed laudis & gloriæ. quòd ſi hoc optas, recordare quod ſcriptum eſt. melius eſt nomen bonum, quàm diuitię multæ. & per- *Pro. 22.*
ſpice ac contemplare, quantò res ſit ad comparandam gloriam aptior, multorum filiorum, nimirum pauperum, quos alas, patrem appellari, quàm multæ pecunię in arca repoſitę poſſeſſorem. nam pecunias, uelis, nolis, hic ęs relicturus, rectè uerò factorum gloriam & hic relinques diuturnam, & tecum eandem referes ad Dominum tuum, cum totus populus coram communi iudice circunſtabit te, atque educatorem ſuum ac benefactorem & patrem, omnibúsque humanitatis nuncupationibus appellabunt. non cernis quàm multas opes inſumant homines in ſpectacula & ludos ob hanc tantum cauſam, ut plauſum à populo referant, & ob exigui temporis honorem? tu uerò parcus es ad ſumptus, ob quos tam

ingens

ingens te manet gloria? Deus erit, qui ſuſcipiet, angeli laudabunt, homines quicunque ab orbe condito extiterunt, beatum te prędicabunt, immortalis gloria, corona iuſtitiæ, regnum cœlorum præmium tibi erunt exiguæ huius corruptibilis que diſtributionis. & res tanta multis nulli curę eſt, dum pręſentibus affixi ſunt, & ſperata contemnunt. Venit uerò mihi in mentem illud etiam contemplari. quod erit ſpectaculum, cùm multi cernentur tenui fortuna, & qui manu & arte victum quęritabant, liberales in pauperes fuiſſe, ditiores uerò (nam id quotidie experior) & qui ſine ullo, aut certè quàm minimo incommodo, multa in egenos tribuere potuiſſent, id non præſtitiſſe. quanta tunc & illorum gloria, & horum ignominia erit futura? hæc uellem ciues mei, dum tempus eſt, cogitaretis, dum licet ſuperioris ætatis errores corrigere, & uel ſerò ſapere diſceretis. *Recondite* (inquit) *uobis theſauros in cælo, ubi neque erugo neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt nec furantur.* quàm uerò præcipuam ob cauſam iſta admoneat, mox addit. *nam ubi fuerit theſaurus ueſter, illic erit & cor ueſtrum.* docui quidem (inquit) quo pacto theſauros, quos amatis, habere poſſitis immortales, ſed hoc ob aliam magis cauſam admonui, ne uidelicet corda ueſtra, quę fruendo Deo ſunt facta, leuibus hiſce ac momentaneis rebus ac cu-
Luc. 21. ris implicentur. quamobrem dicebat diſcipulis. cauete, ne grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate & curis huius ſeculi. at opum & diuitiarum ſolicitudo nihilominus uſum rationis impedit, quàm uinum & ebrietas. multò autem deterius eſt ſordidare cor, quàm pretioſiſſimas gemmas in cœnum proiicere, quod qui facerent, eos errore mentis affici atque inſanos iudicaremus. at ij profectò ſunt inſaniores, qui cor omni auro & omnibus gẽmis pretioſius in rem proiiciant tam uilem tàm que contemptam. cor, cui, ſi mundum fuerit, uiſio Dei promittitur, eà que immortalis ac ſempiterna. cor, res ipſo cœlo præſtantior. cor, cuius ſtudium eſſe debet uerſari cũ an-
Phil. 3. gelis. noſtra (inquit) conſuetudo in cœlis eſt. hoc inquam tam pretioſum opus, ad tam inania demittere, quam ingens ſcelus eſt, quantà que deſipientia? quanti aũtem referat cordis cuſtodia, intelligens
Pſal. 50. Dauid aiebat ad Dominum. cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis. & filius eius Salomon.
Pro. 4. omni cuſtodia (inquit) ſerua cor tuum, quoniam ab ipſo uita proce
Mat. 5. dit. & Dominus ipſe. beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt.

debunt. rectè ergo hic admonemur recondere theſauros in cœlo, ut horum theſaurorum amore cor ibi uerſetur, ubi proprius eius locus eſt. obſerua uerò Seruatoris Christi benignitatem. non enim dixit, proiicite theſauros ueſtros (quod quidam ex ethnicis philoſophis fecerunt) ut agere liberius in cœlo liceat (quod ſi præcepiſſet, faciendum tamen erat, ne à dignitate noſtra diſcederemus) ſed demittit ſe ad imbecillitatem noſtram, & ea, quæ tantopere amamus, tantũ abeſt, ut auferat, ut etiam doceat, quibus artibus habere ea poſſimus, hoc interea ſeruato, ne cor ſuam pręſtantiam deſerat. ſic cum Petrum atque Andræam uocauit ad Euangelicum negotium, ne *Mat*. 4.
graue illis uideretur, deſerere piſcandi artem, cui aſſueuerant, non ſolum dixit, uenite poſt me, ſed adiecit, & faciam uos fieri piſcatores hominum. non abſtulit piſcationem, ſed in prętantiorem commutauit. idem & hoc loco fecit. nam non abſtulit amatas diuitias, ſed oſtendit, ubi ſine interioris hominis diſpendio tutò collocarentur, & nos tam utilia monita, tam benigna conſilia ſtolidi auerſamur. Quòd uerò hoc uelit Dominus per hæc uerba, *ubi fuerit theſaurus ueſter, ibi erit cor ueſtrum*, ex iis, quæ mox ſequuntur, fit apertius, cum ait. *Lucerna corporis eſt oculus. ſi igitur oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. quòd ſi oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. ergo ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſe tenebræ quantæ?* pręcipuam in homine partem, hoc eſt, rationem & mentem oculum appellat. ſi enim mens in hiſce inferioribus occupata lumen amittat, quo monſtrare uiam inferiori etiam debuerat parti, quantę huius inferioris partis, quæ per ſe tenebricoſa eſt (hoc enim eſt, quod ait, *tenebræ quantæ*) erunt poſtea tenebræ? atque hinc fit, ut multa & grauia peccent homines, quæ ne peccata quidem eſſe intelligunt. nam qui ambulat in tene- *Ioan*. 12.
bris (ait ueritas) neſcit quo uadat. non cernis, ſiquis in obſcura nocte, quæ denſis nubibus obſita ſit, neque ullo lunæ aut ſtellarum adiumento iuuetur, iter agat, ut omni penè momento impingat? ſic ij, quorum mentis lumen obſcurum & tenebricoſum eſt redditum ex humilium ac terrenarum rerum conſuetudine, nil rectè facere poſſunt, & quo expedire ſe magis arbitrantur, in plures ſe quotidie laqueos induunt. hęc enim eſt digna eorum merces, qui à Deo, & ab optimè conſtituta ab eo natura recedunt, & ſuas ſequuntur appetitionęs. *Si oculus tuus* (inquit) *fuerit ſimplex, totũ corpus tuum*

lucidum erit, contra ſcilicet atque illis accidit, quorum nunc memi nimus. ſicut enim iis, qui in tenebris agunt, tenebricoſa omnia atque aberrantia ſunt, ſic ii, quorum oculi (ut ait Salomon) recta uident, dum omnia tanquam in luce, ſic propoſito eorum oculis Diuinæ voluntatis lumine faciunt, totum factorum ſuorum corpus lucidum habent. Vide uerò, ut obiter admonet Dominus, præcipuam harum tenebrarum cauſam eſſe diuitiarum appetitionem, cum de hac materia tractans theſaurorum facit mentionem. age itaque qui cunque diues es, generoſum animum indue & ſplendidum cor in egenorum neceſsitates. dicatur & de te. diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. ne expectes annonæ caritatem ad horrea aperienda. qui enim abſcondit frumenta (ait Salomon) execrandus erit in populis, benedictio autem ſuper caput uēdentium. ne famem introducas auri gratia, & communem indigentiam ob priuatum commodum. ne fias caupo humanarum calamitatum. tu ad aurum oculos refers, & fratrem non proſpicis. & pecunię quidem ſignum agnoſcis, & probatam monetam ab adulterina ſecernere ſcis, fratrem uerò egentem non agnoſcis. & auri quidem color te oblectat, pallentem uerò ob famem fratris vultum intuens non commoueris, & illius gemitum non attendis. Quo pacto tibi ante oculos ponam pauperis afflictionem? ille omnia circunſpiciens in domo, cernit aurum quidem neque adeſſe, neque unquam affuturum, exigua tantum ac vilia vaſcula & laceras veſtes, paucorum obolorum omnia intuetur. quod uerò magis illum excruciat, uidet filios macie ac ſquallore confici. non habet, unde alat, vnde ueſtiat. ſi ęgrotare quempiam contingat, non eſt unde curationi neceſſaria adhibeat. quare uel diuturno labore cōſumptus miſerè moritur, uel ita uiuit, ut mors uita illa multò ſit optabilior. tu interea indeflexus manes, & nulla commoueris miſericordia. nihil cernis niſi aurum, aurum duntaxat imaginaris, hoc tibi dormienti ſomnium eſt, uigilanti deſiderium. quemadmodū enim phrenetici non res cernunt, uti ſunt, ſed ut morbus ſuggerit, imaginantur, ſic animus tuus pecuniæ appetitione obſeſſus, omnia aurum, omnia argentum cernit. iucundius aurum cernis quàm ſolem, uelles omnia in auri naturam mutari, & quantum fieri poteſt hoc conaris. quam enim non moues machinam ut hęc aſſequaris? triticum tibi aurum fit, uinum denſatur in aurum, lanę aureę fiunt.

Pro. 4.

Pſ. 111.

Pro. 11.

omnes

omnes merces, omnis excogitatio aurum tibi afferunt, quin & ipſum ſeipſum generat, dum per uſuras multiplicatur, neque ſatietas ulla ſubſequitur, & concupiſcendi finis nullus inuenitur. nam guloſis pueris interdum cum permittitur, ut re appetita expleantur, fit, ut ex illa ſaturitate, incipiant auerſari ob faſtidium, rem antea uehementer expetitam. at auarus non ſic, ſed quo pluribus impletur, plura appetit. Diuitię (ait pſaltes) ſi fluant, nolite cor apponere. tu uerò fluentes detines, & circunquaque munis, ne effluant. deinde ita detentę quid tandem facient? abibunt demum. audi enim, quid dicat Salomon. ne erigas oculos ad opes quas tenere nō potes, quin facient ſibi pennas ueluti aquilæ, & uolabunt in cœlū. ita profectò eſt. rumpent obiecta quæque, & in morem redundantis fluminis, deiicient diuitis horrea. ſed maiora ędificabis? hoc incertum eſt, ſi deiecta non ſis alteri relicturus. Velim ut ubique huius reprehenſi diuitis uobis occurrat exemplum, neque eundem, quem ille, diuitiarum finem ſtatuatis. quid enim ille? anima (inquit) habes multa bona repoſita, comede, bibe, lętare. O rationis inopiam. ſi ſuillam haberes animam, quid aliud, quàm hoc, eſſes locutus? ita in pecudem degeneraſti, & imperitus es bonorum animæ, dum corporeis cibis accipere eam uis, & quę uenter admittit, hęc tranſmittis ad animam. quæ ſi uirtutem habet, ſi rectè factis plena eſt, & domeſtica Deo effecta, tunc multa habet bona, quibus lætari poſſit. his anima implenda eſt. cibus animæ eſt eleemoſyna. tunc pingueſcit, cum ſuccurrit pauperibus, & dando fit ditior atque beatior. nam beatius eſt (inquit) dare quàm accipere. Interea diues gratias age benefactori Deo, quòd aliorum foribus non obſtrepis, ſed ad tuas alii accedunt. nunc uerò triſtaris potius, & occurſus pauperum declinas, nequid uel exiguum è manibus excidat. hanc unam uocem noſti. non habeo, pauper & ego ſum. & re uera pauper es, & omnium bonorum egens, pauper charitate, pauper humanitate, pauper fide in Deum, pauper ſpe æterna. participes tritici tui pauperes effice. quod cras putreſcet, hodie egenti impertire: auaritię genus eſt moleſtiſſimum, ne ea quidem, quæ corrumpuntur, uelle tribuere. hoc maximum ac ſupremum iniuſtitię genus eſt. ſed dices. cui iniuriam facio mea detinens? quæ obſecro tua dicis? unde accepta in uitam attuliſti? nam ueluti ſiquis in theatro locum occupans, deinde arceret introeuntes, indicans ſuum, quod

Pſal. 61. *Pro. 23.* *Luc. 12.* *Act. 20.*

in commune omnibus ad uſum propoſitum eſt. tales ſunt diuites. nam communia præoccupantes, ſua illa faciunt, quia prius occupauerunt. quòd ſi quiſque acciperet ea tantum, quæ uictui ſunt neceſſaria, & quod ſupereſſet, relinqueret indigenti, nullus eſſet indigens. *Iob.1.* nón ne nudus egreſſus ex utero matris es? nón ne rurſus nudus in terram reuerteris? at, quæ adſunt, unde habes? ſi ea fato tribuis, impius es, non agnoſcens creatorem, neque datori gratias agens. quòd ſi fateris à Deo eſſe, aſſigna rationem cur acceperis. nũ iniuſtus Deus, qui inæqualiter res ad uitam pertinentes diſtribuerit? quam ob cauſam tu diues es, ille pauper, nón ne ob eam cauſam, ut tu benignitatis & fidelis diſtributionis mercedem accipias, & ille magnis patientię præmiis honeſtetur? tu uerò omnia inexplebilis auaritię ſinibus complectens, neminem putas afficere iniuria, tam multos fraudans? hoc rapere eſt. an is, qui aliquem ſpoliet ueſte, prædo appellabitur, is uerò qui nudum non ueſtiat, cum id poſſit, alia appellatione dignus erit? panis quem detines, eſurientis eſt, & ueſtis, quam in arca ſeruas, eſt nudi. argentum quod infodiſti, egentis eſt. quare tam multos afficis iniuria, quot ii ſunt, quibus præbere potueras? Hæc cogitantes chariſsimi ſalutifero Domini conſilio acquieſcite, & *recondite theſauros ueſtros in cœlo*, nempe loco nõ ſolum tutiſsimo, uerum etiam capaciſsimo, ubi quantumcunque augeſcant ueſtrę opes, non erit opus uetera horrea deſtruere, ac no- *Luc. 12.* ua ędificare. parate vobis, vt apud Lucam idem Dominus ait, ſacculos qui non ueteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis, quo *Ibidem.* fur non accedit, neque tinea corrumpit. cauete (ut apud eundem Lucam admonemur) ab auaritia, quia non in abundantia cuiuſq; eſt vita eius ex ijs quæ poſſidet. neque enim felicior eſt, qui plus poſſidet, ſed qui paruo eſt contentus, & naturam ſequitur, quę & ipſa paucis eſt contenta. quę ſi pręſtiterimus, & hanc vitam habebimus tranquilliorem, & futuram adipiſcemur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO.

ORATIO LVIII.

NEMO *poteſt duobus dominis ſeruire, aut enim hunc odio habebit, & alterum diliget, aut huic adhærebit, & alterum negliget. non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ.* Ad eandem ſententiam pertinent hęc uerba, in quam & ſuperiora ſunt dicta. cum enim monuiſſet, dãdam eſſe operam, ut mentis oculus purus ſeruaretur, ne terrenis curis tenebreſceret, hoc autem ob eam cauſam faciendum, ut rectius Deo ſeruiamus, ei que adhęreamus. oſtendit nunc, fieri aliter hoc non poſſe, niſi inſatiabilis illa habendi cupiditas relinquatur. quibus uerbis uideant ii, qui nihil aliud, quàm opes cogitant, quàm periculoſo conſtituti ſint gradu, qui cenſent ac ſibi perſuadent, ſe utrunque prętare poſſe, & tamen definita ueritatis ſententia eſt, nõ poſſe nos, *Deo ſeruire & Mammonæ*, quę uox Hebręis diuitias ſignificat. diuerſi enim domini ſunt, diuerſa que præcipientes, quibus eodem & uno tempore ſeruire nemo poteſt, ſed ne affici quidem, de quo affectu prius loquitur, cum ait, *aut hunc habebit odio, & alterum diliget.* de obſequio uerò & officio prętando addit, *aut huic adhærebit, & alterum negliget.* elige itaque utrum malis homo, cui ſeruias, nam utrique ſeruire poſſibile non eſt. ſed illud eſt, quod pleroſque omnes fallit, nimirum quòd non agnoſcunt eam ſeruitutẽ, qua pecuniis ſeruiunt, & qui maiori ſeruitute premuntur, ij minus illam ſentiunt, cum addictiſſimi pecuniarum ſerui ſint, & eos ſeruos imitantur, qui tanta ſuos dominos charitate proſequuntur, ut ſeruitutem, quam illis prętant, pro regno habeant. ſic ij tum ſe regnare opinantur, cum plenam ſeruiunt ſeruitutem, quę quanta ſit, ſi contemplere, nullum inuenies mancipiorum genus tam miſerè oppreſſum, quàm ii ſint. alii ante quàm ſub dominorum ſint poteſtate, liberi ſunt, quamuis interea dominum quęrant, cui ſeruiant. ij uerò pecuniarum ſerui fiunt prius, quàm eas inuenerint, poſtea uerò quàm nacti ſunt, ita ſub iugum aguntur, ut ab eo collum excutere poſthac nunquam liceat. quid? quòd monſtroſa & ęnigmati ſimilis res illis accidit? nam dominum cum inuenerint, maiore illum ſtudio quęrunt, quàm ante illum inuentum, dominum habent,

bent, & adhuc quærunt. quare duorum dominorum, ſed qui eadem præcipiant (ne contrarium quid dicere uideamur Domini uer bis) ſerui ſunt, & ſeruitutis pondus ita duplicatur, vt neſcias vter duorum illorum dominorum illis durius imperet. nã habitas iam diuitias ita ſeruant, ut contingere niſi ſummo cum pallore non au-

Eccl. 6. deant. ij ſunt enim, de quibus ſic ait Salomon. eſt aliud malum, quod uidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines. uir, cui dedit Deus diuitias & ſubſtantiam & honorem, & nihil deeſt animę ſuę ex omnibus quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus, vt comedat ex eo, ſed homo extraneus uorabit illud. hoc uanitas & miſeria magna eſt. ſi ſacræ res eſſent, quæ contingi à prophanis nõ poſſunt, non ita ab earum contactu abſtinerent. quamobrem? metuunt, ne, ſiquid ex repoſita pecunia comminuant, vilem (vt ait poëta) redigatur ad aſſem. & ſæpe accidit res miſeranda. ut enim tutiore loco recondant, terrę infodiunt. & eo loco, quem imaginari nemo facile poſſit, quod non eſt aliud, quàm ita vehementer amatum dominum ſepelire, ea conditione, vt nunquam illum amplius ſint conſpecturi. nam ſępiſsimè fit, vt moriantur ante, quàm illum contingat reuiſere. quis non miretur facta tam diuerſa tamque parum ſibi conſtantia? pecunias, quarum amorem & Deo & ſuæ ipſorum ſaluti anteponunt, amittendi metu perpetuò amittere. & de iis quidem tam cautè inſoſſis non admodum ſoliciti ſunt, non propterea quòd deſperent, ſe illas poſtea, quàm inſoſſæ ſemel ſunt, cõſpecturos. nam, ſi hoc crederent, dolore conficerentur. & miror ſanè, illos hoc non vereri, cum amantium natura ſit, etiam tuta omnia timere. non ergo ob eam cauſam ſolicitudinem deponunt, ſed quòd pro certo habeant, neminem ablaturum, & ne de morte quidem ſuſpicantur. nam multos ſemper annos ſibi pollicentur. & de repoſita quidem pecunia (ut dixi) ſatis ſecuri ſunt, de reliqua verò vel pecunia vel aliis opibus quid? ſemper anxii ſunt, & quo tempore animantia omnia dulcis ſopor recreat, ij tum maximè laborant curis. ad omnem ſtrepitum verentur fures. auditum eſt, vicino ciui furtim quippiam ſublatum fuiſſe? continuò exanimantur, verentùr que idem ſibi euenturum. quin ſuſpectos omnes habent, ſeruos, amicos, vxorem, filios, nemini audent fidere, quod vt faciant, quotidiana illos exempla admonent. Et hoc quidem de iam paratis opibus. at verò parandæ nihilo minoribus conficiunt curis.

Deus

Deus bone quantę, quàm multę, quàm miræ quotidie aut ſingulis potius horis ac momentis (nunquam enim aliud quippiam illorum mens uerſat) machinæ excogitantur, vt ſerum hunc & immanem dominum liceat inuenire. nullis parcunt laboribus, nullis vigiliis, inſomnes ducunt noctes, nulla recuſant ſubire pericula, peregrinas regiones terra mari que perluſtrant. gloriari poſſunt cum Paulo, ſed non quemadmodum Paulus, & dicere, in itineribus ſæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore & moleſtia, in vigiliis ſępe, in fame & ſiti, in ieiuniis ſępe, in frigore & nuditate. 2.Cor.11

hęc enim omnia, quę Paulus pro Domino ſuo Chriſto perpeſſum ſe fuiſſe gloriabatur, & his plura etiam ij pro pecunia crudeliſsimo tyranno per totam uitam patiuntur, ſub nulla tamen ſpe conſequēdæ mercedis ullius pręter Geennam & incendia ſempiterna. quem ſeruorum reperias, eorum etiam qui ad metalla ſunt damnati, qui tam deſperatam agat ſeruitutem? in tam occupata verò ſeruitute, qui locus, quod ſpatium relinquitur ſeruituti Dei, cum omnia tempora, omnia loca, omnes animi motus occupet hæc diuitiarum cogitatio? *Non poteſtis* ergo *Deo ſeruire & Mammonæ*. vbi illud etiam ſciendum, appellationem pecuniarum, quas Hebræi Mammonam vocant, Græcis uocari Plutum, quo nomine poëtę etiam appellant eum, quem fingunt Deum eſſe infernorum, vt intelligatur, eos, qui pecunię ſeruiunt, iam infernum (ò terrificam rem, & quæ perterrefacere omnes debeat) in hac ipſa uita regnum repręſentare hæc vox ſi Chriſtianum hominem non permouet, quid illum mouere aliud poſſit? audire ſe pecunijs ſeruientem, inferno Deo (ut ſic dicam) ſeruire. neque dubitandum eſt, eos, qui hic illi ſeruiūt, in eiuſdem poteſtatem in futura vita eſſe venturos. Illud etiam eſt obſeruandum, non dixiſſe Dominum, non poſſe nos habere diuitias, & ſeruire Deo, nam multi, præſertim patriarchæ illi, Abraham, Iſaac, & Iacob ditiſsimi fuerunt, & tamen ita Deo grati, vt non erubeſceret Deus (quemadmodum ad Hebræos ſcribitur) vocari eorum Deus. ego ſum (inquit) Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. ſed dixit, non poſſe nos vtrique ſeruire. non ſeruit diuitijs, qui illis vtitur, quemadmodum & quoties opus eſt, habét q; eas pro inſtrumento, atque exercitatione virtutum, eſt que earum Dominus.

Heb.11.
Exo.4.

Dominus. at ij ſeruiunt, quos ſupra commemorauimus, qui ſubiecti magis illis ſunt, quàm uiliſſima quęuis mancipia ſuis dominis, & eas reuerentur, atque adeo pro Deo habent, vt vno verbo ſupremam ſeruitutem complectamur. Factus es homo, vt non ſolum ſenſu carentibus rebus domineris, ſed animantibus etiam omnibus. tu verò teipſum ſponte infra omnia & animata & inanima deiicis, neque tantæ te pudet ignominiæ. aurum & argentum creatum à Deo eſt, vt illorum vſu honeſteris, & iuueris in omnibus vitæ neceſſitatibus, non ut eorum humile mancipium fias. Sed tuentur ſe homines, dum inanibus ſemet ipſos cogitationibus circumueniunt, dicúnt que ſe non poſſe non pecuniarum cura teneri. cum alia ratione viuere nequeant. at ij videant, quid hic illis reſpondeat Dominus. *Propterea dico uobis* (inquit) *ne ſoliciti ſitis animæ ueſtræ, quid eſuri ſitis aut bibituri, neque corpori ueſtro, quibus ſitis induendi*. quibus in verbis primum damnat veſtram infinitam ingluuiem, quæ nullis terminis circunſcribitur. ſi enim earum rerum ſolicitudinem prohibet, ſine quibus vitam hanc agere nõ poſſumus, quantò minus licet pro iis eſſe anxium, quæ prorſus ſunt ſuperuacua? at pro iis plurimum tota veſtra turbatio eſt, qui ſi contenti eſſetis eo, quod ad uitam eſt neceſſarium, nemo iis moleſtijs obrueretur. deinde uult, vt ne eorum quidem, quibus omnino in hac vita egemus, ſolicitudine teneamur. quid enim tam ad vitam eſt neceſſarium, quàm cibus & potus & corporis operimenta? & tamen ne ob iſta quidem vult nos eſſe ſolicitos. tu vèrò hęc habes, id que multò plus quàm neceſſe eſt, & adhuc diurnis nocturnís que curis torqueris parandarum opum gratia quis hoc ferat? hominem qui in Chriſti leges iurauit, eiuſdem Chriſti legibus tam vehementer eſſe contrarium? prohibet ille rerum maximè neceſſariarum curã,
Eſa. 5. & tu quæris coniungere domum domui, & agrũ agro copulare, vt non ſit terminus loci? hoccine eſt Chriſto nomen dediſſe, & non potius Mammonę, & à Chriſto eſſe quàm alieniſſimum? Quid igitur faciam, inquies? quo viuam modo? audi quid addat. *non ne anima pluris eſt quàm eſca, & corpus pluris, quàm ueſtimentum?* cũ habuiſti animam & corpus, num vlla tibi ſolicitudine ad ea habenda fuit opus? non profectò, cum ne eſſes quidem. ſi ergo cum non eſſes, factus es ſine cura tua ulla, poſtea quàm extitiſti illius vna benignitate, metuis, ne is, qui maiora pręſtitit, in multò minoribus

ſit tibi

ſit tibi defuturus? nam hęc omnia, quę ad victum cultúm que pertinent, alendo homini ſunt facta, vt illius vſibus ſeruiant. non cogitas ſaltem parentes carnis, qui vbi primum liberos ſuſceperunt, nũquam eorum curam deſerunt? & metuis ne cœleſtis pater, qui omniũ parentum affectũ longo interuallo ſuperat, te deſerat, ac tui obliuiſcatur? nunquid mater (ait per Eſaiam) obliuiſci poteſt infantem *Eſa. 49.*
ſuum, ut nõ miſereatur filii uteri ſui? quòd ſi illæ oblitę fuerint, ego tui non obliuiſcar. & quidem fieri poteſt, ut parentes carnis deſint interdum filiorum curæ ob inopiam, ob incuriam, ob inertiam. at iſta cadere in Deum non poſſunt, nàm & diues in omnes eſt, & tam ſolicitam noſtri curam habet, ut capillos noſtros, rem quam nos ipſi *Mat. 10.*
ita parum curamus, habeat numeratos. Verum, ut huius rei maiorem tibi fidem faceret, moneret que, quàm ſit abſurdum in hiſce rebus diffidere, adiecit. *aſpicite uolatilia cœli, quòd non ſerunt, neque metunt, neque congregant in hortea, & pater ueſter cœleſtis paſcit illa. non'ne uos longe antecellitis illis?* hoc exẽplum inſigniter arguit nullam fidem noſtram, quibus datum eſt, ſerere, metere, conuehere in horrea in totius anni uſum, & tamen non ceſſamus anxii eſſe ob parandarum opum ſtudium, cum interea cernimus cœleſtem patrem paſcere uolatilia cœli, uagum genus, & cui nihil parati unquam eſt. cernas interdum totam terram niuibus obtectã, ut mirum ſit, quo pacto uiuere poſſint uolucres, niſi quòd cœleſtis pater eorũ curam accipere non eſt dedignatus. Obſerua uerò, non dixiſſe Dominum, uolatilia cœli ſibi alimenta inuenire, dicere enim potuiſſet, nõ oportere homines tanta ſolicitudine dare operam, ut ſibi uictum præparent, prę ſertim cum plerique omnes multa ſemper recondita habeant, cum cernant uolatilia cœli, quæ nihil horum habent, inuenire unde paſcantur. uerum non ita dixit, ſed patrem ipſum cœleſtem ea alere. qua in re duo præcipuè ſunt obſeruanda. primum quàm incomprehenſa ſit Diuina bonitas, cum cernimus tantam maieſtatem res tam humiles non negligere, ſicut & alibi legimus, qui dat iumen *Pſ. 146.*
tis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocãtibus eum. quo tempore (ut ferunt) deſeruntur à parẽtibus. & rurſum, oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. *Pſ. 144.*
aperis tu manum tuã, & imples omne animal benedictione. deinde refutatur error philoſophorum, eorúm que præſtantiſſimorum, qui nolebant Dei prouidentiam ad hæc inferiora ſe porrigere, me-

tuentes opinor,ne illi maieſtati aliqnid de dignitate minueretur,aut nequid ſordium contraheret ex harũ rerum gubernatione. ita ue-
Eſa. 55. rum eſt,quod ait Deus per prophetam. non enim cogitationes meę cogitationes ueſtræ, neque uię meę uiæ ueſtrę, ſed quantò altiores ſunt cœli terra,tantum diſtant cogitationes meæ à cogitationibus ue ſtris,& uiæ meæ à uiis ueſtris. interea agnoſcamus Chriſtianæ philoſophię dignitatem,quæ & hos & alios plurimos externorum philoſophorum errores facilè confutat. ſi ergo cœleſtis hic pater curat tam ſolerter ipſa etiam uolatilia, quid nos ſoliciti ſumus pro uictu,
Pſal. 8. quorum uſui & uolatilia ipſa facta ſunt? omnia (inquit) ſubiecisti ſub pedibus eius,oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora campi,uolucres cœli & piſces maris. ſiquis ſeruũ tuum ob tui ſtudium curaret, certò ſcires, eum multò ſtudioſius te curaturum. ſic cum cernas,Deum iis proſpicere, quæ ea ratione creauit,ut tibi ſeruiant, multò profectò magis tibi proſpiciet. hoc enim uult,cum dicit, *non' ne uos longè præcellitis illa?* Alia item ratione docet, non oportere, nos ob iſta eſſe ſolicitos. & ait. *quis autem ex uobis ſolicitè cogitans poteſt addere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? & de indumento quid ſoliciti eſtis?* dixerat,non debere nos,neque de uictu neque de cultu eſſe ſolicitos, & uictum quidem ad animam, hoc eſt,uitam retulit, alimentis enim uita ſeruatur, indumenta uerò ad corpus obtegendum. & uolatilium quidem exemplo admonuit, ne uictus gratia anxiè torqueremur,idem nunc facit de eo,quod ad ueſtitum pertinet. & horum uerborum eſt ſenſus. ueſtimentum excogitatum eſt operiendo corpori,res ergo eſt multò inferior corpore. quod ſi tota corporis moles addita tibi eſt ſine tua ulla cura, qui ſi etiam conarere, id tamen aſſequi non poſſes. cogitet enim quis, quàm ſolicitè uelit, nunquam excogitare uiam poſſet, qua ſtaturæ ſuæ cubitum adderet. ſi inquam ſtatura corporis aucta tibi eſt per ętatũ gradus, te nihil de ea cogitante,ídque à Deo eſt factum, quid metuis, ne is, qui corpus tibi tantæ quantitatis dedit,in præbendo corporis integumento ſit defuturus? quod ui poſthac metuere deſinas,pulcherrimo te munit exemplo. *Conſiderate* (inquit) *lilia agri, quomodo creſcant,non laborant,neque nent, attamen dico uobis, ne Salomonem quidem in uniuerſa gloria ſua ſic amictum fuiſſe,ut unum ex iis.* ſicut,cum de uictu admoneret,ad uolatilia uoluit nos oculos aduertere, ſic cũ de ueſtitu agit,iubet ut lilia contemplemur, quæ tametſi laborando

& nendo

& nendo nihil exerceantur, creſcunt tamen in eam magnitudinem, quam licet intueri, neque id ſolum, ſed tam admiranda coloris ſpecie decorantur, ut omnem regum gloriam, & illam etiam Salomonis, inter reges omnes celeberrimi, longè ſuperent. hoc autem adiectum eſt propterea, quòd in ueſtitu non utilitatem ſolum, ſed ſpeciem etiam quærere homines ſoleant. *Quod ſi fœnum agri* (inquit) *quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic ueſtit, an non multò magis uos ò puſillæ fidei?* ſi curam habet Deus, ut tam fragilis ac momentanea res, quàm ſunt flores, tam pulchrè ueſtiatur, metuitis ne uobis, quibus terra, mare, cœlum, & quicquid cœli ambitu continetur, facta ſunt, & quibus æternitas parata eſt, deſint ueſtimenta? rectè autem parum fidentes appellat. re enim uera ingens eſt diffidentia noſtra, præſertim ſub Euãgelio, tam anxios eſſe pro ijs rebus, pro quibus cœleſtis pater per unigenitum ſuum iubet nos eſſe ſecuros. ſi enim ante Euangelicam lucem homines ſoliciti pro rebus ad uitam neceſſariis reperiebantur, minus digni erant reprehenſione. nunc uero ſub tam certis pollicitationibus ipſius filii Dei, adhuc nihil diſtare ab iis, qui ſine Deo erant, hoc profectò eſt ipſis eſſe ethnicis multò deteriores. quod autem proprium eorum ſit, qui ignorant Deum, in iis anxiè occupari, audi quod ſequitur. *ne ſitis igitur ſoliciti dicentes, quid edemus aut quid bibemus, aut quibus operiemur? nam omnia iſta gentes inquirunt*. cernis ethnicorum eſſe, pro uictu & cultu eſſe ſolicitos? qui, cum Diuinę prouidentię non fidant, cum eam neſciant, coguntur, quibus poſſunt artibus uitæ ſuæ proſpicere. quare illis uenia potius danda eſt, qui ob ignorantiam fallantur. tu uerò, cui Deus arcana ſuæ prouidentię myſteria per ſuum unigenitum reuelauit, oſtendítque quanti genus noſtrum faciat, cum nihilo minus anxius es, quàm ii, qui hæc non intelligunt, quam habiturus es excuſationem? nón ne ſatius eſſet (quemadmodum ait apoſtolus Petrus) non agnouiſſe hanc philoſophiam, quàm poſt agnitam conuerti ab eo, quod traditum eſt illis ſancto præcepto? nónne recedere ab eo eſt, tam contraria illi ingredi uia? *Nouit enim* (inquit) *pater ueſter cœleſtis, quòd his egetis omnibus*. dixi (inquit) gentes iſta inquirere, quę ignorant hunc patrem, & vos cum ſciatis, illum ſcire, quibuſcunque egetis, oportet, ut totos vos illius prouidentiæ committatis. ſatis eſt vos ſcire, illum noſſe indigentiam omnem veſtrã, vt ei fidatis, cætera curę illi ſunt. amat enim vos, ex qua charitate

2.Pet.2.

ritate ſecuri eſſe poteſtis, non paſſurum tam amãtem veſtri patrem, vt vobis deſint neceſſaria. cum hac charitate coniuncta eſt potentia ſumma. quare, cum ſciat, velit, poſſit, vobis proſpicere, reliquũ eſt,
1.Pet.5. vt omnem ſolicitudinem veſtram, vt ait Petrus) proiiciatis in eum.
Pſal.54. & in eundem ſenſum pſaltes. proiice (inquit) onus tuum in Do-
Pſ.96. minum, & ipſe te enutriet. & alibi. iunior fui, & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. neque mihi nunc quiſquam obiiciat uiros ſanctos, qui egere interdum, atque
2.Cor.11. extrema pati permiſſi ſunt. in fame (inquit Paulus de ſe) & ſiti, in
Heb.11. frigore & nuditate, & de ſanctis aliis viris. oberrauerunt in ouillis & caprinis pellibus, deſtituti, preſſi, afflicti. nam eiuſmodi homines in exemplum tolerantię propoſiti ſunt, & volentes iſta perferebant, non quòd defuerit unquã illis Deus, qui poterat lapides in alimenta conuertere, & per coruos (quemadmodum Eliæ accidit) neceſſaria ſubminiſtrare. Quid igitur hac in re eſt faciendum? audi quid doceat. quin potius (inquit) *quærite primum Regnum Dei, et iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis*. vult nos generoſum induere animũ, & meminiſſe ad quid facti ſimus, nempe ad negocia regni, atque ut in hac vita cœleſtem illam repręſentemus. cui cogitationi contrariæ in primis ſunt humiles iſtæ curę. Fingite enim regem quempiam, qui filium habeat, quem velit maximum euadere, & ſummum aſſequi imperium. is iuberet, vt totus in eam prouinciam incumberet, ſibi enim fore cętera curę, & ſumptus alendo exercitui neceſſarios, & pecuniarum ſuppeditationem, & commeatuum copiam. ſic cœleſtis pater, vt omnia auferat impedimenta tanti negocii, reliquam omnem prohibet curam præter illam regni. atq; hinc
Phil.4. erat, quod aiebat Paulus. nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione & deprecatione, cum gratiarum actione petitiones veſtrę innoteſcant apud Deũ. Sed videamus huius narrationis concluſionem. *ne ſitis igitur ſoliciti* (inquit) *in craſtinum, nam craſtinus dies curam habebit ſui ipſius, ſufficit ſua diei afflictio*. Quàm felix eſſet Chriſtianus orbis, ſi his Domini conſiliis aurem accommodaremus. docet Euangelica lex, quo pacto felices ac ſine ſolicitudine viuamus, & nos perinde quaſi decreuerimus omnino eſſe miſeri, nihil non tentamus, vt pluribus obruamur ſolicitudinibus & curis. quid ſolicitus es ob illud tempus, quod nondum adeſt, & in quo ignoras num in vita futurus ſis? hunc morem vt auferret, docuit nos in Dominica

precatione

precatione dicere. panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, *Luc. 11.*
ne videlicet vltra hodiernum diem ferremur cogitatione. & tamen
plerique omnes audent de plurimorum annorum ſpatio cogitare.
ingentem profectò & temeritatem & deſipientiam, cum ſingulis
momentis mors impendeat, longiorem ſibi vitam polliceri, & pro
eo tempore eſſe anxium, quod non ſolum nódum habet, ſed ne cer-
ti quidem quicquam eſt, quod illud ſit habiturus. *Craſtinus* (inquit)
dies curam habebit ſui ipſius, ſufficit ſua diei afflictio. quid tibi curas
ingeminas? an non ſatis eſt præſentis diei cura? ſine, ut craſtinus
dies adueniat, & tunc ei ſuam ſolicitudinis partem aſſignabis. quid
tibimet ipſi tam crudelis inimicus es, & ſuperuacua tibi congregas
mala? quid labores, quibus ſumma cum tua utilitate carere potes,
tanto cum damno atque incommodo multiplicas? & hęc quidem
facis propterea, quòd, cum Chriſto nomen dederis, nihil minus
quàm Chriſti leges curas. nunc autem uel ſerò recordare, quid pro-
feſſus ſis. intellige te non poſſe ſeruire Deo pariter & Mammonæ.
retine ergo ſeruitutem Dei, cui ſeruire eſt regem eſſe, & in Mammo-
nam imperium exerce. ſicut enim ſeruire illi, res ignominię plena
eſt, ſic ei imperare, omnium eſt honeſtiſſimum. at quo pacto impe-
rabo, inquies? ſi, quemadmodum admonet alibi Dominus, fece-
ris tibi amicos de Mammona iniquitatis. hoc eſt, de iniquo Mam- *Luc. 16.*
mona. imitare illum in Euangelica parabola diſpenſatorem, qui, *ibidem.*
cum intelligeret, diſpenſationem ſibi eſſe auferendam, excogitauit
uiam, qua conciliaret ſibi amicos, qui poſtea, quàm amotus à uilli-
catione fuiſſet, reciperent illum in domos ſuas. memento & te eſſe
diſpenſatorem Dei, nó tuarum facultatum dominum. hic iam quę- *1.Cor.4.*
ritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inueniatur. intuere autem
conditionem huius diſpenſationis admirandam, qui regum ac prin-
cipum diſpenſatores ſunt, ea, quę diſpenſant, non ipſi lucrantur,
ſed munerantur à ſuo domino ob fidelem rerum diſpenſationem.
at hæc diſpenſatio eius generis eſt, ut, quamuis Dei ſit, quicquid
habes diſpenſandum, uelit tamen Deus, omnia quæ in pauperes
(hęc eſt enim una rectè diſpenſandi ratio) tribuis, in tuam cedere
utilitatem. qua in re licet admirari cęcas hominum menteis. nam
retinere opes ſuis tantum uſibus ſeruituras, illas amittere eſt. poſt
hanc enim exiguę huius vitæ ſcenam omnino illis priuantur, eas ue-
rò pauperibus impertiri, tutiſsimo eſt loco recondere, in perpetuú
poſſi-

poſſidendas. & tamen retinere eas tanto cum damno malũt, quàm tam ingenti cum fructu fideliter diſtribuere. quis tantam inſaniam ſatis miretur? momentaneum eſt ſpatium, quo hic moraturus es, & eò es migraturus, ubi nihil habebis pręter ea, quæ iÿ tibi ſubminiſtrabunt, quos de iniquo Mammona amicos feceris. eris ſine lare & foco, id que in ſempiternum, niſi ij te in ſua tabernacula recipiant, & tanta pro re non es ſolicitus? ſi in peregrinam regionem relegandus eſſes, in qua ſcires te nihil habiturum eſſe præter illud, quod tecum de tuo afferres, conareris omnia tecum auferre. & hic audis, te hinc proficiſcentem nil inuenturum aliud præter id, quod amici, quos tibi de iniquo Mammona cōciliaueris, daturi ſunt, & non ſolum omnia, ſed ne bonam quidem partem diſpenſas, ut in ęterna recipiaris tabernacula? O ſtoliditatem, ò ſtupiditatem. quod quis pro temporarijs aſſequendis commodis faceret, idem pro æternitate non multò magis conari. Verum quia dixit Dominus parandos eſſe amicos de Mammona iniquitatis, hoc eſt, de iniquis opibus, arbitrabitur fortaſſe quiſque ueſtrum, ſe iniuſtas opes nō poſſidere, atque iccirco monita iſta minimè ad ſe pertinere. quibus re-

Adag. ſpondeo, primum uerum eſſe uetus prouerbium, omnem diuitem aut iniquum eſſe, aut iniqui hæredem. nam comparandarũ opum ratio ex earum cupiditate proficiſcitur, quæ auaritia appellatur, at

1. Ti. 6. auaritia omnium malorum radix à Paulo uocatur, & ſimulacrorũ ſeruitus, & ubi omnium malorum eſt radix, & cultus ſimulacrorum, habitare iuſtitia poteſt? quis hoc ſanus dicat? cernis verisſimum eſſe prouerbium quod commemoraui? deinde fingamus id, quod tamen oſtendimus fieri non poſſe, te ſcilicet iuſtè acquiſiuiſſe, quæ habes, iniuſtè tamen poſsides, quicquid tenes ſupra id, quod ad victum cultum que pertinet, quem etiam victum & cultum non tuis opinionibus, ſed Euangelica regula uolo metiaris. nā non negabis te à Deo accepiſſe, quę habes, niſi omnino impius eſſe vis. quę ergo Dei ſunt, neceſſe eſt, ut ſecundum Dei uoluntatem il

Mat. 19. la diſpenſes. at quę eſt uoluntas Dei? nempe ut diligas proximum ſicut te ipſum. hoc quid eſt aliud, quàm ut quicquid tibi uis, idem & proximo uelis? & quod facere aut aſſequi conaris tuorum com-

1. Cor. 11 modorum gratia, id ipſum & proximo præſtes? vnde ergo alius eſurit, & tu ebrius es? ille frigore & fame conficitur, ſine cibo, ſine ueſte, ſine lare. tu uerò non ſolum neceſſariis abundas, uerum etiam

ad

ad luxum abuteris? hoccine eſt diligere proximum tuum tanquam teipſum, & non potius negligere atque deſpicere? aufer ſuperuacua (dixit uir quidam pius) & nulli deerunt neceſſaria. quin etiam ex neceſſariis impertiri egenti proximo debes, ſi charitatis pręceptũ implere uis. quod ſi ita eſt, cum prætereа tot ſuperuacua poſsideas, & ſine quibus uiuere poſſis etiam honeſtè, neque tamen de iuuando proximo cogitas, quid tibi præter Geennam relinquitur expectãdum? quod ſi mihi non credis, audi quid in iudicio dicturus ſit Dominus aduerſus tui ſimiles. diſcedite à me maledicti in ignem *Mat.25.* æternum. quare? eſuriui enim, & non dediſtis mihi cibum. ſitiui & non dediſtis mihi potum. nudus eram, & non operuiſtis me. hoſpes eram, & non ſuſcepiſtis me. infirmus & in carcere, & non ueniſtis ad me. & hęc quidem vltio in eos fiet, ſine vlla mentione ſuperuacuorum. nam, quod dixit alibi Dominus, ex iis, quæ ſuppe- *Luc.11.* tunt, date eleemoſynam, nullam ſuperuacuorum fecit mentionem. cum uerò ne ſuperuacua quidem das, tu te cogita, quàm ſeuera cenſura ſis caſtigandus. Intuere pręterea in illis Domini verbis, omnibus proximi neceſsitatibus tibi eſſe ſuccurrendum. nam, ſi panem dediſti, neque addas & potum, & ueſtem, & quæ ibi commemorantur, non eſt factum ſatis. refer enim animum ad præceptum, quod ait. diliges proximum tuum ſicut teipſum. quibus uerbis *Leu.19.* admoneris, ut tantum des proximo quantum tibi ipſi. quare qui *Mat.22.* amat proximum tanquam ſeipſum, nihilò plus poſsidet, quàm eius proximus. quòd ſi poſsides, liquet te propria commoda multorũ ſolatio antetuliſſe. quantò itaque diuitiarum plus habes, tantum tibi de charitate imminuitur. memento illius Euangelici adoleſcen- *Luc.18.* tis, cui, cum dixiſſet ſe impleuiſſe omnia præcepta ab adoleſcentia *Mar.10.* ſua, reſpondit Dominus, vnum tibi deeſt, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. quo (inquit) pacto impleſti omnia præcepta, cum tam multæ tibi ſuppetant opes? ſi proximum dilexiſſes, iam olim cogitaſſes de abalienandis opibus, nunc verò quia arctius tibi adhærent, quàm membra corpori, moleſta tibi eſt earum ablatio. ſi nudum veſtiſſes, ſi dediſſes eſurienti panem tuum, ſi ianua tua aperta fuiſſet cuiuis hoſpiti, ſi fuiſſes pater orphanorum, ſi cuiuſuis egentis miſertus eſſes, non ſuppeterent tibi tot diuitiæ, neque triſtarere, cum admoneris eas in pauperes tribuere. illud etiam cogita. in nundinis nemo triſta-

tur

tur dum præſentia proijcit, ut ea comparet, quibus indiget, ſed quanto minori pretio res pretioſiores emit, tantò magis gaudet, quòd egregiè ceſſerit illis negociatio. tu uerò triſtaris, dum aurum & argentum & facultates das, hoc eſt, lapides & puluerem, ut beatam & immortalem uitam adipiſcaris? verum ad quid tot diuitiis eges? pretioſo veſtitu indueris? at tantus ſumptus operiendo corpori non eſt neceſſarius. num ad ciborum delicias abuteris? at panis unus ventrem implere idoneus eſt. quid ergo triſtaris, ſi diuitiis priuere? ob gloriam quæ ex diuitiis proficiſcitur? at, ſi hanc humilem non quæras gloriam, ueram illam inuenies & illuſtrem in regno cœlorum. fortaſſe hoc unum te delectat, uidelicet habere diuitias, quamuis nullum ex eis fructum capias? memento quod dudum dicebamus, quod licet paradoxum videatur, veriſſimum tamen eſt, quòd diuitiæ ſcilicet ſi diſpergantur, quemadmodum iubet Dominus, permanent & augentur etiam, detentæ uerò abalie-

Pſ. 111. nantur. ſi ſeruas, non habes, ſi ſpargis, non amittis. diſperſit (inquit) dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum. Sed enim apud multos ſtudium pecuniarum non eſt alimentorum gratia, ſed à Diabolo excogitatum eſt compendium ac uia ſubiiciendi multas ad ſumptus faciendos occaſiones, vt ea, quæ ſuperuacua ſunt, neceſſaria exiſtimentur, vt nihil ſatis ſit ad ſumptuũ excogitationem. videntur autem mihi eiuſmodi homines eſſe perſimiles viatori alicui, qui viſendæ alicuius vrbis ſtudio, cum totum iter uſque ad illam peregiſſet, in diuerſorium aliquod iuxta eius urbis muros ſe reciperet ob pigritiam reliquę exiguæ uiæ conficiendæ, ex qua re & inutilem faceret totius itineris laborem, & contemplatione pulcherrimarum in vrbe rerum priuaretur. tales ſunt, qui alia quidem bona faciunt, ſed ad impertiendas pauperibus facultates pigri ſunt. vi deas multos ieiunare, orare, gemere, lacrymari, omnem deniq; pietatem prę ſe ferre, ad dandum verò egenis obolum adduci non poſſe.. quid iis prodeſt reliqua virtus? non enim recipit illos regnum

Mat. 19. cœlorum. facilius eſt enim (inquit) camelum tranſire per foramen

Mar. 10. acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. & ſententia qui-

Luc. 18. dem manifeſta, & qui hoc dixit, verax eſt, & mentiri non poteſt. at ij, quibus perſuadeatur, rari. At, quę erit viuendi ratio (inquies) ſi omnes ſua diſtribuerent? ne interroges mentem Dominicorum mandatorum, nouit hoc legiſlator, & eius curę relinquendum eſt,

quo

quo pacto hęc ſint aptanda, tuum verò cor tanquam in trutina examinatur, vtrum ad veram vitam, an ad præſentem fruendam propendeat. nam, qui prudenter ęſtimare vult, hunc arbitrari oportet, diſpenſationem ſibi rerum, quas habet, non dominium datum, & cum eas deponunt, gaudere, vt qui res alienas depoſuerint, non triſtari, quaſi propria amiſerint. quid ergo triſtaris, quid luges, cum audis, vende quę habes? etenim ſi poſt hanc vitam te ſequerentur, ne ſic quidem æſtimanda eſſent. quādo à pretioſioribus rebus, quę illic ſunt, obſcurarentur, cum verò neceſſe ſit, ea omnino hic manere, cur non eis venditis lucrum nobiſcum auferimus? tu verò dato quidem auro equum emens non doles, corruptibilia uerò proiiciens, vt regnum cœlorum recipias, lacrymaris, auerſaris petentem, renúis dare, dum infinitas interea inſumendi occaſiones excogitas? quid reſpondebis iudici, qui parietes induis, & hominem non veſtis? equos ornas, & fratrem calamitoſum contemnis? permittis triticum putreſcere, nec eſurientes paſcis? infodis aurum, & egenum deſpicis? quod ſi vxor diuitiarum appetens accedat, duplex morbus, nam & delitias accendit, & voluptates auget, & ſtimulos ad curioſas appetitiones immittit. nullus eſt finis mundi illius muliebris, ſericum, aurum, argentum, lapides pretioſi, phrygia opera ornando capiti, auribus, collo, pectori, brachiis, pedibus, toti denique corpori vinciendo excogitantur, nec ulla renuunt quāuis multa & grauia vincula, modo aurea ſint. cum ergo hoc pacto diuitiæ à viro & vxore inuicem decertantibus, vanitatum inuentione conſumuntur, meritò nullum habent tempus contemplādi eos, qui egeant. ſed ſiquidem audis, vende quæ habes & da pauperibus, vt habeas viaticum ad ęternam vitam, diſcedis triſtis. ſi uerò audis, da pecunias mulieribus voluptuariis, da gemmariis, fabris, pictoribus, gaudes, vt qui pretioſius quid ac charius adeptus ſis. nunquam defatigaris in parandis veſtibus & ornatu vario. qui tam multiplex eſt, vt ſoli annuli & gemmæ multas erigere domos poſſent, vna veſtium arca gregem pauperum algentem veſtire. & inter hæc auerſaris pauperem, nec metuis iuſtam retributionem iudicis. non miſertus es? nec tui ille miſerebitur. qui enim obturat aurem (inquit) ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. *Pro. 21.*
non aperuiſti domum? arceberis à regno. non dediſti panem? non accipies vitam æternam: Sed dicis te eſſe pauperem. & ego plane

aſſentior. pauper enim eſt, qui multorum indiget, multis verò vos egere, habendi inſatiabilitas facit. decem talentis decem alia addere ſtudes, cum viginti facta ſunt, alterum tantum quæris, atque ita ſemper quod additur, non impetum ſiſtit, ſed potius appetitum accendit. quemadmodum in ebrijs occaſio bibendi fit vini additamentum. ſic qui nouas ſemper diuitias amant, cum multa adepti ſint, plura appetunt, ex eo quod additur, morbum nutrientes, & eorum ſtudium in contrarium vertitur. non enim ita delectant eos præſentia tam multa, quàm triſtitiam afferunt quæ deſunt, vel quæ deeſſe ipſi ſibi perſuadent. quare eorum animus ſemper curis colliqueſcit, dum ad maiora contendunt. oportuerat lætari. & gratias agere, quòd multis ſint ditiores, at ij ęgrè ferunt, ac deflent, quòd ab vno aut altero ditiore deſtituantur, & cum hunc diuitem æquauerint, confeſtim ditiori æquari contendunt. quem vbi fuerint aſſecuti, ad alium referunt ſtudium, vt qui ſcalas aſcēdunt, ad ſequentem ſemper gradum veſtigia attollunt, neque prius ſiſtunt gradum, quàm ſummum ſcalæ ſint aſſecuti. accidit etiam iis, quod in equorum curſu vſu venit. cum enim è carceribus emiſſi currunt, auriga præteritos negligens, inſtat vincentibus, donec eos, ſi poſſit, aſſequatur. inde fit, ut rarò reperias, qui dicat, ſe vixiſſe beatum, & ſuperiori contentus tempore, veluti conuiua ſatur, vitæ concedat. at horum demum finis eſt, vt, quò altius fuerunt euecti, eò grauiorem
Pſal. 9. caſum dent. & impletur in eis quod ait propheta. periit memoria eorum cum ſonitu. Hæc intuentes charisſimi contemnamus has ineptias. & tandem aliquãdo agnoſcamus, in quem vſum diuitię ſint & comparandę, & inſumendę. ut faciamus nobis videlicet amicos de Mammona iniquitatis, vt, cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORA-

ORATIO LIX.

CVm hodierna dies parandis naſcituro Chriſto nuptiis dicata ſit, non erit ſatis commodum,conſueta in Euã gelico monte ſpatia conficere, ne vtraque res coniun-ctà,plus temporis ſecum rapiat,quàm par ſit, his prę-ſertim frigoribus, quibus imbecilliores, qui in hoc conſeſſu non deſunt, affligi poſſent. meminiſſe enim me oportet, quid dixerit paſtor ille Iacob. ſi greges meos (inquit) nimium labo- *Gen. 33.* rare ambulando fecero, morientur cuncti una die. quare aliud potius dicam,quod uenit mihi in mentem,cum de hoc die cogitarem. Quoties ſubit animum, quantò paſtores ouium meliore conditione ſint, quàm epiſcopi, animarum & ſpiritualium Chriſti gregum paſtores, illis ego vehementer inuideo. multa enim ſunt, quę nos continuis laboribus ac moleſtiis premant, rara admodum quæ delectent. contra in ouium paſtoribus, commoda ſunt plura, incommoda uerò multò pauciora. quid enim? labor eorum omnis in tribus hiſce ferè deprehenditur,vt bona inueniãt paſcua, vt fures & lupos arceant ac nocentes feras, vt ægrotas curent, aut deſperatas, ab aliis metu contagionis arceant. hęc autem omnia factu non ſunt admodum difficilia. nam ſalubria paſcua non ita multò cum labore inueniuntur. fures item & luporum incurſus prohiberi non difficile poſſunt, quando & venientes ante videri poſſunt,quàm caulas inuaſerint,& ſocii ac canes paſtori opitulantur, quę remedia veriti lupi ac fures fugiunt, atque ad aliquod tempus deſinunt inſidiari. vbi verò ęgrotant aliquę, licet paſtori,quibuſcunque velit vti curandi modis, ſi ligare, ſi incidere, ſi à paſcuis arcere opus ſit, nemo prohibet, non reſiliunt oues, non obmurmurant. quòd ſi contagio formidatur, facile eſt illas ab aliarum commercio ſeparare. hactenus cura & labor. reliqua iucunda ſunt. fruitur lacte ac lanis, pinguem interdum agnum mactat, atque cum ſociis hilarè epulatur. bonam diei partem ſub vmbra agit, amatorio aliquo carmine ſe oblectans. vt ſole ſub ardenti reſonent Amaryllida ſiluę. at ſpiritualis paſtor diuerſa habet omnia. nam, vt à primo incipiam, maximus labor eſt, paſcua inuenire alendo gregi opportuna. neque ſatis eſt ſanam doctri

nam adhibere, niſi ſit etiam auditorum capacitati accommoda. ſi
Heb. 5. enim ijs, quibus lacte opus eſt, ſolidus cibus proponatur, opprimũ
tur potius quàm reficiantur. contra verò, ſi is, qui iam quaſi in virum
euaſit, lacte paſcatur, id ei ad maiorem profectum eſt impedimento. cum verò accuratè & ſalubria & opportuna paſcua nactus
eſt, res plerunque miſeranda accidit, quod ouium paſtoribus nunquam vſu venit. oues enim ſponte ad oblata paſcua accurrunt. at
hic inuitatur & rogatur Chriſti grex ad hęc cœleſtia verbi Dei paſcua, & pars maxima refugit & auerſatur. qui dolor quàm ingens
epiſcopo ſit, ex ouium paſtore capite coniecturam, qui ſi cerneret
ex decem millibus ouium non niſi mille ad paſcua conuenire, deſperatam haberet reliquarum ſalutem, quę tanti gregis iactura quantam ei ſolicitudinem afferret, voſmet iudicate. at multò maior animarum paſtori eſſe debet, cum in Chriſti grege uel ęterna ſalus, vel
æternus agatur interitus. Eadem difficultas eſt in tuendo ſpirituali
grege. nam fures ac ferę illi inſidiantes cerni non poſſunt, & noctes
ac dies inſidiantur, &, ſi interdum fugentur, mox reuertuntur,
neque unquam interquieſcunt, miras inſidias ſtruunt, vt maxima
Diuina luce opus ſit ad eas internoſcendas. iam vbi ad curandum
gregem veniendum eſt, ſumma hic incidit difficultas. nam qua in
re gratię agendæ eſſent curatori ac medico, hac ipſa in re illum auerſantur atque oderunt. &, dum mederi vulnus curat, ipſi maiora plerunque vulnera faciunt. neque enim hic licet, quod ouium
paſtori, ut ſcilicet ſeruare inuitos poſſint, nam ab eorum propoſito ac voluntate hoc proficiſci neceſſe eſt, & poteſtas admittendæ curationis, non eſt in medico ſed in ęgroto. quod apoſtolus huius artis peritus intelligens aiebat Corinthiis. non quod dominemur fi-
2.Co.1. dei ueſtrę, ſed cooperatores ſumus gaudii ueſtri. externi quidem
iudices, cum peccantem quempiam deprehenderint, multam exercent in eos auctoritatem, & inuitos etiam prohibent ſuis vti moribus. at hic non ui ſed perſuaſione tales efficere oportet meliores.
neque enim eiuſmodi facultas data eſt à Diuinis legibus, ut ui
coerceamus peccantes. quòd ſi etiam data eſſet, nequiremus vti ea
cum vtilitate, cum Deus non eos muneret, qui coacti, ſed qui volentes à peccatis abſtinent. Et hę quidem atque huius generis difficultates aliæ, maiores ſunt animarum paſtori, quàm ei, qui oues curet.
commoda verò non ſunt à ſpirituali grege expectanda temporaria
vlla,

vlla, ſed omnia ad illius commoda ſunt referenda, & labores, & opes, & vita etiam ipſa. nam bonus paſtor (ait princeps paſtorum) *Ioan.* 10.
animam ſuam dat pro ouibus ſuis. meum verò vnum commodum eſt, vna voluptas, cum video vos paſcuis cœleſtibus pingueſcere, & vegetos fieri, quod vna dũtaxat in re licet mihi intelligere, nimirum in rectè factis veſtris, in quibus eleemoſyna primas tenet, quæ ſi deſit, cętera omnia nihil ſunt. hoc vt experiar, decretus eſt hodiernus dies huic negocio. quare accingimini iam, & proferte, quæ ſecuturo anno Chriſti fratribus futura ſint adiumento. interea duo memineritis. primum vos hodie ſeminare, & pro ſeminis menſura futuram eſſe meſſem. qui enim parcè ſeminat (inquit) parcè & metet. *2.Cor.9.*
& qui ſeminat in benedictionibus (hoc eſt, liberaliter & abundè) de benedictionibus & metet. alterum, quòd hæc oblatio fit regi Chriſto. at regibus aurum offertur, quod ſancti illi magi intelligentes, egregiè id prę́ſtiterunt. declarate ergo factis ipſis, vos Chriſtum regem agnoſcere, auri potius quàm argenti oblatione. *Mat.2.*

(hic facta fuit egregia oblatio, qua peracta rurſus epiſcopus dixit.)

Funiculus triplex (ait Salomon) difficile rumpitur. ecce tertius *Eccl.* 4.
hic annus eſt, cum hæc oblatio fuit inſtituta, & maiora ſemper Diuina benignitate habuit incrementa. quare cerno iam ea fundamenta fuiſſe iacta, vt ſperandum omnino ſit, reliquam ſtructuram eſſe duraturam, & ſecuturis annis tam egregium opus perſeueraturum. etenim cum labor in eo eſſe ſoleat, vt initium alicui rei detur, hæc verò initia iam data & progreſſa etiam ſint, non niſi optimam ſpem uideo ſecuturi profectus. Videte uerò quantum Deo optimo maximo debeamus ob tam multa, quę hoc temporis ſpatio operatus eſt in nobis. nam dandę eleemoſynæ, & iuuandorum pauperum atque ægrotantium mos feliciſſimè progreditur, exhomologeſeos & ſumendæ ſępius per annum euchariſtiæ uſus factus iam eſt celeberrimus, alearum & eiuſmodi ludorum ſublatus abuſus, blaſphemię illę deteſtandæ profligatę ſunt. unum tantum ferè deerat, quod me torquebat uehementer propterea, quòd dum illud perduraret, cernerem ciuitatem hanc ſemper futuram miſerrimam. & hoc demum Dei benignitate ſum aſſecutus, ut uidelicet immanibus illis dotibus, & fœminarũ pompis ac infinito illi muliebri mundo modus imponeretur, qui modus cum ab hoc ſenatu iam impoſitus ſit, & ab eo ſim rogatus, ut mea illum auctoritate firmarem, id quod

ſponte

ſponte omnino feciſſem, multò libentius rogatus præſtabo. quare hodie cōgregatis uobis cum meo ſpiritu, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, fretus auctoritate, quam ipſe apoſtolis & eorum ſucceſ-
Mat.16. ſoribus dedit, cum dixit quæcunq; ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, pronuntio eos fidelium communione priuandos, quicunque eas leges fuerint tranſgreſſi, quę pro coërcēdo hoc abuſu à ſenatu ueſtro poſitę ſunt, quę excommunicationis pœna uim habebit, ubi primum promulgatæ iſtæ leges fuerint, & ab omnibus intellectę. & quoniam immanes dotes in cauſa plurimum ſunt, cur hę ueſtium & reliquorum ornamentorum pompę fiant, & hominum eſt ea malitia, vt fucum facere legibus ſoleant, declaro, omnes in eam pœnam, quam dixi, caſuros, quicunque nō ſolum dotis nomine, uerum etiam quacunque uia alia, uel ipſi uel per alios addiderint quippiam pręter id, quod præfixum eſt, iis ego pręter excōmunicationis pœnam ſignifico, eos non ante abſoluendos, quàm duplam ſummā exoluant pecuniæ, quam contra pręfixas leges impenderint, quæ pecunia in pauperes per epiſcopum erit diſtribuenda. quod ſiqui præſtare contempſerint, eccleſiaſtica priuabuntur ſepultura. Moneo autem omnes, & per Dominū Ieſum etiam obſecro, ut non pœnarum metu, ſed ſponte ac uolentes iſta præſtetis, cogitetis que, hęc non ſolum animę utilitatem afferre, ſed etiam temporaria commoda, quanta res alia ulla huic ciuitati poſſit. nam hęc intemperantia una eſt, quę perpetuam ciuitatis paupertatem alit, dum quicquid lucri fit, totū in hos ſumptus & abuſus inſumitur. quod ſi in re, quę cum honore Chriſti coniunctam habet ſummam & interioris & exterioris hominis utilitatem, fueritis nęgligētiores, quid ulla unquam alia in re boni à uobis erit expectandum? ſed ſperamus omnino meliora, & uiciniora ſaluti, tametſi hoc dixerimus. Reliquum illud eſt, ut ad ſuſcipiēdum naſciturum Chriſtum, unuſquiſque ueſtrum ſeſe apparet, conetúr que dignum tanto regi hoſpitium præparare, quod tantò alacrius ſtudioſiús que eſt à uobis faciendum, quantò factu eſt facilius propterea, quòd hæc pręparatio minimè externis ſumptibus indiget, ſed totum in animi ueſtri eſt
Luc.17. poteſtate. regnū enim Dei (inquit) intra uos eſt. ſeponite omnem
Phil.4. humanarum rerum ſolicitudinem. nihil ſoliciti ſitis (ait Paulus) ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones ueſtræ innoteſcant apud Deum. & hęc quidem uolebat Paulus

omni

omni tempore uitæ fieri, quantò ergo magis uel certis anni temporibus eſt præſtandum? caueantur comeſſationes & ebrietates, & prophanæ cantilenæ, ſed cantate in cordibus veſtris in hymnis & pſalmis & canticis ſpiritualibus, & verbum Dei abundantius habitet in uobis. agnoſcite huius Chriſtianæ philoſophiæ maieſtatem, & in ea meditamini die ac nocte, de ea loquimini & domi & foris, docete eam filios ueſtros ac domeſticos omnes. maior pauperum uobis per hoſce dies cura ſit, memineritis que fratres eos appellatos à Seruatore Chriſto, qui, cum eſſet diues, pauper pro nobis factus eſt, ut nos ſua paupertate ditaret. pudeat nos puluerē ac cinerem pompis ac huius uitæ uanitatibus uti, cum ante oculos habeamus illum unigenitum, per quem omnia facta ſunt, natum in ſtabulo & poſitum in præſepio, quod præſepium inuiſendum ſæpius à nobis eſt, pro quibus in illo eſt poſitus. cum enim comparati eſſemus iumentis inſipientibus & ſimiles illis effecti, ut ait pſaltes, iumentorum cibus fieri uoluit, ut ad priſtinum honorem reuocaremur. huic ergo ob incomprehenſa tot beneficia in nos collata, ſit cum patre & ſpiritu ſancto honor & imperium & nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

Ephe. 5. 2.Cor. 8. Ioan. 1. Luc. 2. Pſ. 48.

ORATIO LX.

NOLITE *iudicare, ut non iudicemini, quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & qua menſura menſi fueritis, alij metientur uobis.* In hoc ſermone Dominus ac Seruator noſter ea tangit, quæ magis ſcitu ſunt neceſſaria, & quæ ſeruata æternam ſalutem pariunt, uel neglecta ad æterna damna homines trahunt. quo in genere illud eſt, quod præ manibus tractandum habemus. quod eò magis eſt obſeruandum, quo eius negocium apud miſeros mortales eſt familiarius. ait ergo. *nolite iudicare, ut non iudicemini.* Græca vox κρίνω ſignificat & iudicare, & condemnare, & ob hanc cauſam cum alii uerterint, nolite iudicare, alii, nolite condemnare, factum uidetur, ut inueniantur aliqui Latini codices, qui habeant utrunque, hoc eſt,

nolite

nolite iudicare, vt non iudicemini. & , nolite condemnare, ut non
Luc. 6. condemnemini. fieri etiam poteſt, ut, cum Lucas utrunque ponat, acceptum à Luca, poſitum hic fuerit. ſed utrunque ad idem refertur. prohibemur enim uel iudicare uel damnare quempiam temere.
Ioan. 7. nam, cum alibi dictum ſit, iuſtum iudicium iudicate, non prohibemur omnino iudicare, ſed iudicii differentiam docemur. quibus in rebus iudicare oporteat, & in quibus non, manifeſtè nos docet apoſtolus, dum in iis, quę in cuiuſque poteſtate poſita ſunt, neque
Rom. 14. à ſcriptura prohibentur, dicit, tu uerò quid iudicas fratrem tuum?
Ibidem. & rurſum. ne igitur poſthac mutuò iudicemus. in iis uerò, quæ Deo diſplicent, reprehendit eos, qui non iudicant, etiam ipſe ſuum
1. Cor. 8. iudicium proferens, dum ait. nam ego quidem ut abſens corpore, pręſens autem ſpiritu, iam iudicaui ut præſens eum qui hoc egit, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis uobis & meo ſpiritu, tradere eiuſmodi hominem Satanę in interitum carnis, ut ſpiritus ſeruetur in die Domini Ieſu. Eiuſmodi ergo iudicium non hic prohibetur, ſed nequis temere facta aliorum aut dicta iudicet, atque in malam partem illud interpretetur, quod plerunque laude potius, quàm calumnia eſſet dignum. quantum autem malum hoc uitium hominibus afferat, ab ipſis progenitoribus noſtris diſcere poſſumus, qui fidē habentes ſerpentis, uerbis qui falſa interpretatione calumniatus fuit, quæ Deus præceperat, mortē & ſibi ipſis & toti
Gen. 2. poſteritati acceſſiuerunt. dixit enim Deum pręcepiſſe illis, ne ederent de ligno ſcientię non propterea, quod edentes eſſent morituri, ſed quòd ſciret, fore, ut quo die ederent de ligno illo, aperirentur oculi eorum, & eſſent ſicut Dii. perinde quaſi obiicere Deo inuidiam vellet. quare miſeri neglecto Dei pręcepto, peſſimi hoſtis perſuaſioni adhæſerunt, maximo ſuo & noſtro cum detrimento. ſic
Mat. 26. Iudęi Seruatoris Chriſti Diuina facta ac dicta plenis inuidię calumniis inſectantes, & in eius mortem conſpirauerunt, & totius gentis ſuæ interitum ob tantum ſcelus pepererunt, neque unquam uolue-
Ioan. 7. runt admittere, quod eos admonebat, cum diceret, nolite ſecūdum faciem iudicare, ſed iuſtum iudicium iudicate. quòd ſi quotidiana uos ueſtrę urbis facta intueri uelitis, reperietis maximam malorum partē ex iniquis iudiciis proficiſci. nam obſeruo frequentiſſimum hoc inter uos uitium uerſari, ut ſemper deteriorem partem amplexemini, & quicquid proximi veſtri vel dicunt vel faciunt, in partem

tem malam interpretemini, quæ res odiorum & inimicitiarum ingens ſeminarium eſt. nam & ij, qui hoc morbo laborant, mala ſemper præditi mente ſint, neceſſe eſt, à qua, tanquam à mala arbore eiuſcemodi fructus proficiſcuntur, & qui hęc audiunt, veluti peſtifero aëre infecti vitiantur, & ij, de quibus detrahunt, re tam iniqua aduerſus detractores irritantur. neque ij ſolum, ſed eorum etiam amici ac conſanguinei, ut neceſſe ſit, miſeram ciuitatem perpetuis odiis, oblocutionibus, diſsidiis, inimicitiis laborare. ita verò inſita vobis hęc peſtis eſt, facta ac dicta proximi cuiuſque peruersè interpretandi, vt interdum ex eo, quod expertus ſum, mirer, quo pacto plerique veſtrum eius generis ſomnia, quæ imaginando fingitis, potuerint excogitare. ſi loqueris, calumniantur tua verba. ſi taces, rancori aſcribunt. ſi cum illo verſaris, fraudem ſuſpicatur, ſi ab eius commercio abſtines, odio aſcribit. ſi bene ei facis, captatum (inquit) uenit. ſi non facis, auaritiam vel maleuolentiam obijcit. quare in eiuſmodi homines dici poteſt ſimilitudo illa, quam Dominus in Iudęos dixit. cui aſsimilabo generationem hanc? ſimilis eſt pueris, qui ſedent in foro, & acclamant ſodalibus ſuis ac dicunt. tibia *Luc. 7.*
cecinimus vobis, & non ſaltaſtis, lugubria cecinimus vobis & non planxiſtis. venit enim Ioannes nec edens nec bibens, & dicunt, Dęmonium habet. venit filius hominis edens ac bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum amicus & peccatorum. & ſanè is, qui malignis eiuſmodi iudiciis aſſuetus eſt, iis eſt perſimilis, qui ob febrim aut morbum aliquem, vitiatum palatum & linguam habent, ut & ipſum mel amarum eis videatur. ſic eiuſmodi homines dum prauè omnia interpretari conſueuerunt, hoc morbo occupati. rectè ac piè iudicare nunquam ſciunt, ſed optima etiam quęque carpunt, ac mordent. liceret cum & ſua & aliorum vtilitate in bonam partem accipere, quæ à proximo quoque vel dicuntur, vel fiunt, & malunt ipſi damnum facere, & animæ detrimentum ingens pati, quàm ab hoc deteſtando vitio abſtinere. Quãta verò temeritas eſt, audere de alterius mente & cogitatione iudicare, & quod ſolius Dei eſt, velle vſurpare? ſolius enim Dei eſt ſcru- *Pſal. 7.*
tari renes & corda. & audet puluis ac cinis ea ſibi vendicare, quę Deus uni ſibi reſeruauit. atque hoc erat, quod Paulus reprehendebat quoſdam, qui veſcentes cibis neſcio quibus iudicabant. & ait. tu quis es, qui iudicas de alieno ſeruo? Domino ſuo ſtat aut cadit, *Rom. 14.*

Ppp hoc

hoc eſt, iudicio ſui Domini relinquendum eſt hoc iudicium. quod iudicium non huius temporis eſt, ſed quemadmodum paulò poſt ait. cum omnes ſtatuemur ante tribunal Chriſti. ſic & ad Corin-
1.*Cor*.4 thios. nolite ante tempus iudicare, donec ueniat Dominus, qui & reuelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Qui hoc morbo laborant, oſtendunt ſe charitate deſtitutos, de qua
1.*Co*.13. Paulus ſcribens ait. charitas non cogitat malum. nam ij contra faciunt, ut ſemper malum de proximo quoque opinentur. ſed uideamus quod ſequitur. *Quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & qua menſura menſi fueritis, alij metientur uobis*. hęc uerba ſi obſeruarentur, quis auderet temere de altero iudicare? audis hic, te eodem iudicio iudicandum, quo alium iudicaueris, & tam multa iudicia tibi arceſſere non uereris? tot enim iudiciis damnaberis, quot in proximum quenque temere exercuiſti. & eadem menſura tibi reprendetur, qua uſus aduerſus alios fueris. cur non ergo potius eligis piè atque amicè iudicare, ut habeas unde laudandis iudiciis honeſteris, & qui utili menſura tibi remetiantur? quòd ſi amore proximi tui non permoueris, cur non ſaltem tui boni contemplatione ad hoc præſtandum inuitaris? non aduertis illud in te
Rom.2. recidere quod ait Paulus. inexcuſabilis es ò homo, quiſquis es qui iudicas. nam hoc ipſo quod iudicas alterum, teipſum condemnas. ſi enim tu, qui multa reprehenſione digna facis, tam ſeuerus es erga proximum iudex, quomodo non cenſes Deum iuſtiſsimum & irreprehenſum iudicem tam iniqua iudicia ulturum? Et quidem ſi etiam irreprehenſus omni ex parte eſſes, oporteret tamen te circunſpectè agere erga proximum, primum quia potes in poſterum im-
1.*Cor*.10. pingere. nam, qui ſtat (ait Paulus) uideat, ne cadat. & rurſus. con
Gal. 6. ſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. deinde quòd, cum hominis, quem iudicas, cor ignores, multa redarguere contingit, quæ non
Iac. 3. eſſent redarguenda. cum uerò nemo ſit, qui non impingat, in mul
Pro. 20. tis enim offendimus omnes, &, quis gloriabitur, mundum ſe habere cor? quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum & purus ſum à peccato? cum inquam hæc ita ſint, & plerunque tu grauiora pecces, unde tibi iſta iudicandi alterius curioſitas ac petulantia? quare adiecit Dominus. *cur autem uides feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui, trabem autem, quæ eſt in oculo tuo non animaduertis? aut quomodo dicis fratri tuo, ſine eximam feſtucam ex oculo tuo, & ecce trabs in*

oculo

oculo tuo? hypocrita eijce primum trabem ex oculo tuo, & tunc perſpicies ut eximias feſtucam ex oculo fratris tui. per feſtucam intelligit erratum leue, per trabem grauius peccatum, exemplum autem oculi accepit propterea, quòd leuiſsima quæque res officit oculo, & uel ſenſum doloris facit uel uiſum impedit. arguit ergo inſignem hominum ſtupiditatem, qui, cum in mente, quæ interioris hominis oculus eſt, grauia peccata habeant, non ea ſentiant, cum minima queque ſentire debuiſſent, & leuiſsima quæque in altero acutè conſpiciant, quę ipſi grauiore impedimento obſeſsi, mirum eſt, quo pacto intueri poſsint. primum ergo reprehendit tantam hominum vecordiam, qui neglectis ſuis grauioribus vitijs, exigua aliorum errata obſeruent, quod per ſe, ſi etiam ſola cogitatione fieret, eſt uitioſiſsimum. deinde quòd audeant aliorum taxare minima quæque peccata, dum ſua interea non animaduertunt, neque tollere curant. ubi obſeruandum eſt, Dominum eiuſmodi homines appellaſſe hypocritas. nam ferè fit, ut ij, qui in aliorum uitijs tam acutè cernunt, bonam de ſeipſis habeant opinionem. ſi enim bene de ſe non ſentirent, profectò deſcenderent in ſeſe, & in ſe inquirerent, neque tantum ab re ſua eſſet illis ocij, aliena ut curarent, & quæ minimè ad ſe pertinerent. nam ita facilè mordere ac taxare alios, ex eo proficiſcitur, quòd homines ſeipſos obliuiſcuntur, neque obſeruant, quàm multa ipſi peccent, atque inde fit, ut ſe aliquid eſſe arbitrentur, cum nihil ſint, & iudicent ſe idoneos, qui de aliis iudicent. quare non iniuria hypocritam eum appellat, qui diſſimulatis ſuis uitiis grauioribus in aliena etiã exigua inuehatur. Verum cum hoc uitium tam latè pateat, tantúmque uobis damnũ afferat, quantum experiri quotidie poteſtis, aliqua huic malo ſunt adhibenda remedia. quorum primum illud eſt, quod hic docet Dominus. *eijce* (inquit) *prius trabem de oculo tuo*. cogitemus quantum deſit nobis, quantáque ſingulis horis, cogitatione, ſermone, factis peccemus & in Deum & in proximum quenque, quàm ſint lubrici pedes noſtri, & continuò appetitus ille iudicandi de altero conquieſcet. rectè enim uir quidam pius dixit, uerè homo ſi teipſum attendas, mirum eſt, ſi in quippiam aliud animum intendas. cogitemus item, quod idem Dominus hic comminatur, cum ait. *quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & qua menſura menſi fueritis, alij metientur uobis*. quàm enim ſtultum eſt. fruſtra Diuinum

iudicium aduerſus noſmet ipſos prouocare, & aliena uitia noſtra facere, atque adeo interdum potius ex alienis bonis, dum plerunque homines id, quod bonum eſt, prauè interpretantur, dãnum facere, & ſibi parere damnationem. Meminiſſe preterea oportet,
Eph. 4. nos eſſe inuicem membra, &, quemadmodum, ſi contingat membrum aliquod ægrotare, membra reliqua non diſceptant aduerſus illud peruerſè diiudicando, ſed mederi & curare ſtudent laborantem partem, aut, ſi exiguus morbus eſt, non calumniantur eſſe magnum, multò uerò minus, ſi ſanum membrum ſit, iudicant illud ægrotare. ſic nos, ne ſyncerum uas, quod dicitur, tentemus incruſtare, & quod rectè factum eſt, ne peruerſè iudicemus. quòd ſi quando peccatum ab aliquo eſt, primum ne augeamus illud peruerſis iudiciis. deinde curare ſtudeamus, non autem dilacerare iudicando. poſtremò ueniat nobis in mentem, quanta ſit temeritas, illud, quod ad ſolum Deum pertinet, audere uſurpare, & de alieno corde iudicare, quod ſolus ſcrutatur Deus. quòd ſi interpretari cor alterius uolumus, illud cum fructu faciamus, bene de proximi cuiuſque animo iudicantes, aut uitium benigna interpretatione minuentes. Ii uerò, in quos praua iſta iudicia feruntur, meminerint
1. Pet. 2. quod beatus Petrus de Seruatore Chriſto dixit, cum malediceretur, non maledicebat. cum pateretur, non comminabatur. tradebat autem uindictam iudicanti iuſtè. ſic nos relinquamus omne iudicium ei, qui iuſtè omnia iudicat, neque hominum iudi-
1. Cor. 4. cia plurimi faciamus. quod generosè faciebat Paulus, cum dicebat. mihi autem pro minimo eſt, ut à uobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque me ipſum iudico. qui autem iudicat me, Dominus eſt. cernis generoſum animum, qui iudicia omnia humana pro nihilo ducat? ubi illud etiam obſeruandum eſt, quod ait, ſe uereri etiam
1. Cor. 2. de ſemet ipſo iudicium ferre, quamuis nemo ſciat, quid ſit in homine, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo. non audet Paulus ipſe ſe iudicare, & nos de alieno animo tam facilè tam temerè iudicium proferimus. quid uerò cauſę erat. cur Paulus ita aliorum iudicia
1. Cor. 4. parui faceret? qui iudicat me (inquit) Dominus eſt, cuius unum iudicium æſtimandum eſt. ſic enim cogita. ſiquis regi cuipiam ſeruiret, quem ſciret nullius circumueniri poſſe calumniarum fraudibus, neque falſis cuiuſquam accuſationibus decipi, is non curaret, ſi quando audiret, æmulos quoſque ſibi apud regem detrahere, cũ

certò

certò ſciret, calumnias illas ſibi nihil officere poſſe. quare ſecurus ab omni metu eſſet. ſic nos, cum ſciamus habere nos eum Dominum, qui omnia nouerit ante etiam, quàm fiant, cur aliorum iudicia tantopere formidamus? quę certò ſcimus, ſi per nos non ſtet, nihil damni afferre nobis poſſe, atque adeo prodeſſe potius, quandoquidem ad mercedem & hoc nobis accedet. beati enim ſumus ſi 1.Pet.3.
quid patimur propter iuſtitiam. hæc cogitatio efficaciſſimum remedium eſt aduerſus eiuſmodi iudicia, quę plerique tanti ęſtimant, vt maximo interdum ob ea mœrore conficiantur, atque à multis etiam rectè factis abſtineant. qui ſi hæc Pauli verba recordarentur, facilè negligerent humana iudicia, ut erroris plena, & digna, quę pro nihilo putentur. & animum adiicerent ad illud Domini iudicium, quod ſolum ęſtimandum eſt, ut quod iis, qui integro corde illi ſeruierint, copioſam mercedem, iis uerò, qui ſe aliter geſſerint, dignã eorum factis ſtipendia ſit redditurum. claudamus itaque orationem hanc iis uerbis, quę Paulus eodem loco addit. nolite ante tempus 1.Cor.4.
iudicare. donec veniat Dominus, qui & illuminabit occulta tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LXI.

NE *detis ſanctum canibus, neque proijciatis margaritas ne ſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis & conuerſi lacerent uos.* Chriſtianę philoſophiæ dogmata cum à Deo per prophetas & Diuinos homines data ſint, (omnis enim ſcriptura, ait Paulus, Diuinitus in 1.Tim.3
ſpirata eſt) ſancta meritò appellantur, & ea eſt margarita, qua inuen Mat.13.
ti negociator ille Euangelicus uendidit omnia quę habebat, & emit eam. & ſola quidem dignitatis eius contemplatio, omnem illi honorem ac reuerentiam uendicat. uerum ſi præterea utilitas cogitetur, intelligemus profectò nihil eſſe aliud in hac uita expetendum. utrunque horum regius ille propheta cum intueretur, cum aliis locis tum quodam in pſalmo erupit in hæc uerba. lex Domini imma- Pſal. 18.
culata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam

præſtans paruulis. iuſsiones Domini rectæ lętificantes corda. pręceptum Domini purum illuminans oculos. timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi. iudicia Domini uera iuſtificata per omnia. cum enim prius magnificam Dei gloriam prædicaſſet, quæ in cœlorum mirabili opificio & ſtructura tanta maieſtate ſeſe continentium oculis ingerit, præſertim qui adnertunt motum, lucem, calorem, vim influentem, magnitudinem, & numerum ſiderum, & alia huius generis multa. mox ad prędicandam Dei legem conuertitur, & quaſi facta utriuſque rei comparatione, multò eam hac mundi fabrica illuſtriorem canit. ea enim ſyncera, perfecta, & abſoluta eſt, nihil mutationis admittens, nihil continens inſynceri, cum in cœlis lucis viciſſitudo & alię mutationes multę obueniant. animos hominum hæc uerè reſtituit, & in æternum recreat, cum cœli tantum corporibus opitulentur. fidele & certum eſt teſtimonium Domini in ſcripturis, at cœlorum ſæpe uariat & immutatur. cœli ſapientię quidē Dei præclarè admonent, at ſcriptura etiam imperitis ſapientiam ſuppeditat. iuſſa Domini æqua & recta ſunt, in quibus nihil deſiderare queas. at cœlorum lux obliqua & ſui diſſimilis fit. pręterea exhilarat illa cor gaudio ſpirituali & ſempiterno. cœli autem ſua luce ad tempus tantū & euanidam lętitiam afferunt. pręcepta Dei pura ſunt, quibus nihil iniqui admixtum eſt. at cœlorum lucem ſæpe terræ nubes obſcurant. tum ij oculos corporis, illa mentis illuminat. lampas cœlorum mira quidem puritate pollet. at purior timor eſt & religio Domini. obtinet illa ordinem & curſum ſuum, dum hoc ſeculum perſtiterit, at ultra ſeculum hoc ſtat obſeruantia Dei. iudicia Dei uera ſunt, at ſæpe iudicia aſtrorum fallunt. iudicia Dei iuſta ſunt per omnia, ut nulla unquam ſui parte non obſeruanda ſint. ſed ab indicatura ſiderum plerunque recedere oportet. lux ipſa plerunq: deficit. cum uita, quam præcipit ſcriptura æterna ſit. ob hanc cauſam in Deuteronomio commendans Moſes Iſraëlitico populo legem Dei, aiebat.

Deu. 4. hæc eſt ueſtra ſapientia & intellectus coram populis, ut audientes uniuerſi pręcepta hæc dicant. en populus ſapiens & intelligens, gens magna. nec eſt alia natio tam grandis, quę habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſeruationibus noſtris. quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat ceremonias, iuſtà que iudicia & uniuerſam legem, quam ego propono

hodie ante oculos ueſtros? & alio loco in eodem libro docens, quanto ſtudio in eam ſit incumbendum, ait. ponite hęc uerba mea in cordibus & in animis ueſtris, & ligate ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. docete filios ueſtros, ut loquantur de illis. quando ſederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque ſurrexeris. ſcribes ea ſuper poſtes & ianuas domus tuæ. Sic Ioſue præcepit Deus. non recedat uolumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia, quę ſcripta ſunt in eo. tunc enim proſperum reddes iter tuum, & tunc prudenter ages. Res ergo tantę dignitatis ac maieſtatis, cauendum eſt, ne indignis proponantur: quos & canum & porcorum nomine appellat. quibus ſignificantur & ij, qui à Dei agnitione ita ſe faciunt alienos, ut cum Diuina dogmata audiunt, ea inſectentur atq; dilacerent, & ij, qui quamuis fateātur ſe noſſe Deum, factis tamen negant, prędertim qui laſciuię & carnis uoluptatibus operam dantes, in illis tanquam ſues in luto uolutantur. & ſanè oporteret, cœleſtia hęc myſteria audituros, maximè purgatos eſſe, & animum habere à terrenis curis quàm alieniſſimum. quòd ſi in prophanis ſtudijs atque externa philoſophia hoc requiritur, multo profectò magis in hac, quę à Deo eſt profecta, eſſet pręſtandum. uenit autem mihi in mentem mos ille, qui apud Indos ſeruabatur in ijs, qui ad philoſophiam admittebantur. nam adoleſcens qui iam ad pubertatem perueniſſet, penes fluuium Hypaſim ad philoſophos ducebatur, oportebát que illum prius publicè profiteri, ſe philoſophiæ daturum operam, nec admittebatur, ſi aliquo pollutus ſcelere eſſet. ſcelus inquam primum à patre matré ue profectum. cauebant enim, nequid ab illis turpitudinis ſortirentur, né ue ab eorum parentibus uſque ad genus tertium. quo in genere quęrebatur, nequis eorum contumelioſus, aut incontinens, aut auarus, aut iniuſtus fuiſſet. ubi autem in ipſis nulla uitiorum macula reperiebatur, tum adoleſcentis mores diligenter inſpiciebant, multis modis illum tentantes ac probantes. & primo quidem an ingenio ac memoria valeret, experiebantur. deinde an eſſet natura uerecundus, & non aſtutè ad tempus id ſimulans. an eſſet ebrioſus ac gulę deditus, iactator, audax, conuiciator, an parentibus ac pręceptoribus (ut decet) obtemperans. cum enim apud Indos maximo in honore eſſet philoſophia, neceſſe erat, omnibus modis probatos eſſe eos, qui ad eam percipiendam

Deu. 11.

Ioſue. 1.

Ti. 1.

percipiendam accederent. Qua in re cogitemus, quanto maxima noſtri pars in errore uerſetur, cum Diuina hęc philoſophia quaſi proſtituta cernatur, & in ſordidiſſimi cuiuſque manus uenire permittatur. quotus enim quiſque eorum, qui theologiam profitentur, inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac vita conſtitutus, ut ratio poſtulat, qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitę putet, quí que obtemperet ſibi ipſi, & decretis ſuis pareat? videre licet alios tanta leuitate & iactatione, ijs ut fuerit non didiciſſe melius, alios pecuniæ cupidos, glorię nonnullos, multos libidinum ſeruos, ut cum eorum uita mirabiliter pugnet oratio. quàm rari inueniuntur, qui eo affectu rem theologicam tractent, eo quo tractanda eſſet modo? ad fidelium uidelicet utilitatem, & uitæ compoſitionem, ſatis eſt pleriſque omnibus, ſi eruditi & eloquentes uideantur. nulla aut certè per quam exigua cura tenentur, & ſtu
2.Cor.5. dio acquirendarum animarum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. ſi eſſet, ut eſſe debuerat, pręcipua aut ſola potius cogitatio, longè diuerſa profectò uia ingrederentur. Et hæc quidem ij, qui docendæ huius philoſophiæ magiſtros ſe eſſe profitentur. cæteri uerò, qui eam ſunt audituri, nihilo magis ſe idoneos præbent. nam magna hominum pars etiam contemnit, tantum abeſt, ut ad audienda hęc Diuina oracula ſe accommodet. alii canum more, de quibus hic Dominus loquitur, dilacerant concionantem, alii peſſundant quæ dicuntur, ij nimirum, quos ſues Dominus appellat, qui ſe totos laſciuiæ & libidinibus dedunt, ſe que humanis uitiis contaminant, quibus cæcati in omnia ſcelera ſe ingurgitant. quàm uerò ſint pauci, qui ſyncerè uerbum Dei percipiant, & fructum inde referant, oſtendit Dominus in illa parabola ſeminantis, in qua ex quatuor partibus una duntaxat laudatur, quæ fructum fecerit. quam enim ob cauſam ex tam multis tam aſsiduis concionibus tam exiguum prodire fructum cernimus, niſi quòd nullum ſtudium adhibetis tam pretioſæ rei comparandę? oporteret ergo, quod aliâs ſępe uos admonui, vt acceſſuri ad audiendam cœleſtem hanc philoſophiam primum purgatos animos ab omni concretione mortali afferretis, poſt habitis terrenis omnibus curis, & domitis ac ſubactis carnis affectibus, ut tanquam ſpecula munda cœleſtes illuſtrationes perciperetis. nam impuro purum tangere (ut rectè quidam externus dixit) nefas eſt, & fortaſſe damnoſum etiam. quemadmodum ii, qui uitiatos

tiatos oculos habent, ſolis lumine offenduntur potius, quàm iuuentur. deinde cogitandum, quam ob cauſam ad audienda hęc Diuina oracula accedatis, nempe comparandæ ęternæ ſalutis gratia, quam ſolę ſacrę literæ docent, quo pacto comparetur. neque hæc tantum uis eſt Diuinę legis, uerum etiam docet, qua ratione felicem hanc vitam agamus. medetur enim animis, inanes ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores, multò magis quàm externa philoſophia, quę idem & ipſa pollicetur. quòd ſi hęc eius uis non idem ualet apud omnes, id hominum uitio accidit, qui ſe, quemadmodum dudum dicebam, minimè præparant, & idoneos reddunt. quæ ſocordia iccirco illis accidit, quia bonorum ingentem copiam, quę hinc proficiſcuntur, non intelligunt. etenim quæ non ex his fontibus bona hauriuntur? aut vbi bona potius inuenies, cum ab eis receſſeris? nam, ſi ab externa philoſophia exordiri libet, quicquid utilium dogmatũ habet, à noſtris accepit, quod ſi temporis ratio pateretur, copioſè poſſemus oſtendere. & quoties externi philoſophi, relictis dogmatibus noſtris, ſuas cogitationes ſequi uoluerunt, in multos ſe errores induerunt. atq; hinc etiã factum eſt, vt, dum nullis aliis fundamentis niterentur, quàm ijs, quę ipſi excogitauiſſent, quæ vnus aſtruxiſſet, alius deſtrueret, id q; de maximis quibuſque rebus. uide enim quæ de mundo ac mundis tractant, quàm incertè & confuſè de eius origine, duratione, gubernatione digladientur. Ariſtoteles verò peripateticæ ſectæ princeps, cum ſtatuat mundum non genitum cauſa & tempore, non uidetur facere Deum creatorem. de animæ item immortalitate, re tanti apud homines ponderis. nihilò magis inter eos conuenit. de reſurrectione uerò corporum ad immortalem uitam, ſummum apud eos ſilentium eſt, cum res factu minimè poſsibilis iudicetur apud illos. ſic de Dei prouidentia & eius cura rerum humanarum ſunt ex eorum primatibus, quibus uitio detur, quòd Dei prouidentiam ad hęc vſque inferiora minimè porrigi cenſeant. nam plerique ex ethnicis philoſophis & ex noſtris etiam putauerunt Ariſtotelem tollere prouidentiam. certè Auerrois ex Ariſtotelis ſententia ſcribit, Deum nihil ex iis, quæ hic fiunt, intelligere. quam cogitationem qui habeat, quis eo miſerabilior queat excogitari? quid enim accidere homini infelicius poteſt, quàm Diuino auxilio eſſe deſtitutum, neque ulla ſpe illius impetrandi auxilij ſuſtineri? at Chri

ſtiana philoſophia hæc omnia habet exploratiſsima. habet ſacra uo
Gen. 1. lumina, quæ de mundi, & hominis, cuius gratia factus eſt mundus, origine certiores nos facit. immortalitatem uerò animæ, & corporum reſurrectionem, ex ipſis Seruatoris Chriſti factis apertiſsimè demonſtrat, ut uerborum argumentis opus non ſit. in eundem modum aſtruit Diuinam prouidentiam, quæ tanta eſt, ut ob generis
Ioan. 3. noſtri ſalutem, unigenitum filium ſuum Deus dare in mortem non
Mat. 10. recuſauerit. docemur capillos noſtros omnes eſſe numeratos. do-
Mat. 6. cemur cœleſtem patrem paſcere uolatilia cœli, & ueſtire flores ac lilia, multò uero magis curare nos, quorum gratia omnia fecerit. ui-
Eſa. 49. de enim quid per prophetam dicat. nunquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum, ut non miſereatur filii uteri ſui? quòd ſi illa oblita fuerit, ego tui non obliuiſcar. hoc quãtum eſt ad ſedandos humanarum perturbationum fluctus? ad erigendum omni ſpe animum? ad tranquillam mentem reddendam? ad difficillima quæq; ſuperanda? hoc erat quod communi generis noſtri nomine Serua-
Mat. 11. tor ipſe gratias agebat patri, cum diceret. confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quòd abſcondiſti hęc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. & profectò ita eſt. nam adoleſcentulis & ſimplicibus mulieribus maxima ueritatis dogmata nũc peruia ſunt, quæ maximis & ſapientiſsimis philoſophis nunquam fuerunt intellecta. Hæc itaque cœleſtis philoſophia ſecuros nos in mediis etiam periculis ac mortibus facit, dum certò ſcimus, nos Deo tantæ
Pſal. 54. curę eſſe. quare admonebat propheta. proiice (inquiens) onus tuũ in Dominum, & ipſe te enutriet, non dabit in ęternum fluctuationem iuſto. his tam efficacibus ſolatiis, externi erant deſtituti. ſicut & cum deterrere uolebant pœnarum metu ab iniquis factis, erant quidem aliqui ex eis, qui futurum iudicium dicerent, & inferos minarentur, ſed tam multa interſerebantur fabuloſa, ut præter admodum paucos, qui hoc certò ſibi perſuaderent, reliqua multitudo ea, ut à poëtis excogitata non admodum curarent, neque illis permouerentur. at terror qui à ſcripturis ſacris proficiſcitur, eſt efficaciſsimus, à quibus diſcimus & ultiones, quas Deus in hac ipſa
Gen. 7. etiam uita exercuit, præſertim in immiſſo in totam terram diluuio,
Gen. 19. & pluuia ignis ac ſulphuris in Sodomam & ſocias eorundem peccatorum ciuitates. diſcimus etiam futurum poſt hanc uitam exactiſ
Mat. 12. ſimum iudicium, in quo & ocioſa verba diſcutientur, multò uerò magis

magis res grauiores,ut rectè dixerit Paulus.horrendum eſt incidere *Heb.10.*
in manus Dei viuentis. hi autem terrores multam afferunt utilitatem, ne effluamus, atque vt, qui virtutis amore non adducuntur, ſaltem ęternarum pœnarum metu cohibeantur. Scripturę item ſacræ doctos faciunt. quod intelligens pſaltes dicebat. ſuper omnes *Eſa.118*
docentes me intellexi,quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. ſuper ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. nam, ut dudum dicebã, qui idiotæ apud nos ſunt,multò doctiores iis ſunt, qui fuerũt apud illos præſtãtiſſimi.efficaciter itẽ hęc philoſophia perſuadet difficilia, vt diligere inimicos,bene precari deuouentibus nos, benefacere ijs, qui nos odio perſequũtur,orare pro ijs,qui lędũt & inſectãtur nos. cur hęc? vt ſitis (inquit) filii patris ueſtri, qui eſt in cœlis. quia ſolẽ *Mat.5.*
ſuũ oriri facit ſuper malos ac bonos,& pluuiã mittit ſuper iuſtos & iniuſtos. quantę hoc efficaciæ eſt,proponere tantum prẽmium,ſore ſcilicet, ut, qui hæc erga inimicos exerceant, eam dignitatem aſſequantur,vt ſint filii Dei,& cœleſtis patris facta imitentur? vide vero vt apud externos philoſophos, qui aliquid eiuſmodi aggredi uellent,ineptè iſta fiebant. percuſſit neſcio quis philoſophum quendam, is non pugno quidem aut ferro repercuſſit,ſed nomen percuſſoris fronti ſuę inſcriptum circunferebat. quod grauiſſimum & inimiciſſimum mihi videtur vltionis genus, & tamen vt celebrãdum, & obſeruatione dignum exemplum illis proponitur. Quòd ſiquis appetit vlciſci inimicum,docemur à noſtris id cum fructu facere. ſi eſurit (inquit) inimicus tuus,ciba illum. ſi ſitit,potum da illi. quid *Rom.12.*
tum? hoc faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius. hoc eſt, damnabit ipſe ſeſe, & quaſi incendetur contemplatione huius generoſi tui animi. vix enim inuenitur quis tam feris moribus,qui non beneficentia molliatur. hoc autem eſt, verè inimico euadere ſuperiorem. ſicut & illud,quod mox addit. noli vinci à malo, ſed vince *ibidem.*
in bono malum. quæris aliud (inquit) quàm victoriam? non opinor. at vinci à malo victoriam amittere eſt. vince ergo per beneficentiam malum. Docemur item hinc,quo pacto pecunias tutò recondamus,quod multò eſt melius,quàm illas inutiliter,aut fortaſſe etiam iactanter proiicere,quod quidam è philoſophis externis fecerunt. recondite (inquit) vobis theſauros in cœlo,vbi neque ærugo *Mat.6.*
neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt nec furantur. *Luc12.*
docemur vtiliter fœnerari,vt centuplũ,ſicut pollicitus fuit Domi- *Mat.19.*

*Mat.*10. nus, ex eo fœnore lucremur. & Salomon, fœneratur Domino, qui
Pro. 19. miſeretur pauperis. docemur, quo pacto non egeamus, & ditemur
Pro. 20. etiam. qui dat pauperi (ait idem Salomon) non indigebit. & rur-
*Pro.*10. ſus. benedictio Domini diuites facit. externi philoſophi multa ſibi ipſis & ſuę induſtrię vendicant, quæ noſtrę literę docent Diuino muneri eſſe tribuenda. uirtutem (ait quidam externus) nemo unquam Deo acceptam retulit. & alius. det vitam, det opes, animum mi æquum ipſe parabo. nimirum virtutes & rectè facta, à ſe proficiſci
Ioan. 15. exiſtimantes. at cœleſtis magiſter longè aliter docet. ſine me (inquiens, nihil poteſtis facere. & ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemet ipſo, niſi manſerit in vitę, ſic nec vos niſi in me manſe
2.*Co.* 3. ritis. & Paulus. non quòd idonei ſimus cogitare quicquam à nobis, quaſi ex nobis, ſed id, quod idonei ſumus, ex Deo eſt. multa pręterea ex ſcripturis ſacris aperiuntur peccata & caſtigantur, quæ externi ſapientes videntur ignorauiſſe digna eſſe reprehenſione. quis enim ſapientior cenſeatur eo, qui dignus iudicetur, qui leges ciuitatibus & populis ferat? & tamen apud hos ſapientes ſcortatio nullum eſſe videtur malum, neque pœna dignum. quare nullæ externæ leges illam punierunt. quòd ſiquis ob eam cauſam ad tribunalia quempiam traxiſſet, deriſus eſſet, neque id iudex fuiſſet paſſus. prætermitto multò turpiora verecundiæ cauſa. ebrietas & ventris ingluuies non ſolum non erat crimen, ſed apud multos pro laude habebatur, & in militaribus cęnis multum erat huius rei certamen. neque tamen vllus legiſlator in hæc vitia & alia multa animaduertit, quę omnia Chriſtiana philoſophia abominatur, & reprehendit. Hęc intelligentes agnoſcamus diuitias noſtras & ingenteis huius philoſophiæ theſauros, neque patiamur, quemadmodum admonet Dominus, *ſanctum dari canibus, neque proijci margaritas ante porcos.* agnoſcamus ſacrarum ſcripturarum & maieſtatem & vtilitatem, re-
Pſ. 147. cordemúr que quod de ijs canit propheta. non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. neq, tanto muneri ingrati ſimus. ex ijs enim eſt pręſentis vitæ vera tranquillitas, & illius æternæ beatitudo comparatur, quam vtinam omnes aſſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LXII.

PETITE *& dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis. quiſquis enim petit, accipit. & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.* Deus beneficentiſsima natura eſt, cum bonus ſit, & ſolus bonus, atque adeo ipſa potius bonitas. quare ad benignè nobis faciendum ſemper eſt paratiſſimus, & nihil ei magis ingratum eſt, quàm ubi nos uitiis noſtris atque peccatis prohibemus eius beneficentiam, ne ad nos proficiſcatur. ſunt enim peccata tanquam nubes quędam, quæ ſolis lucem abſcondit, ne ad terras deſcendat. atque hoc erat, quod aiebat Eſaias. ecce non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare ne- *Eſa. 59.* queat, neque aggrauata eſt auris eius, ut non exaudiat, ſed iniquitates ueſtræ diuiſerunt inter uos & Deum ueſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. quamuis enim etiam auerſos aſpiciat, & minimè meritos quotidie, aut potius ſingulis horis atque momentis innumeris afficiat beneficiis. nam ſolem *Mat. 5.* ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, multa tamen eáque maxima noſtro uitio prohibemus in nos deſcendere, cum æquum non ſit, perditiſsimos filios, & eos, qui ſemper paternę uoluntati aduerſentur, eiſdem proſequi beneficiis, quę in obſequentiſſimos conferri ſolent. Dominus ergo bonorum noſtrorum ſtudioſiſſimus adhortatur nos, ne ceſſemus, né ne ob deſidiam noſtram priuemur iis bonis, quibus cœleſtis pater afficere nos vehementiſſimè cupit, & iubet, ut petamus, quęramus, pulſemus. neque contentus dixiſſe, *petite*, adiecit, *quærite & pulſate.* nam petunt quidem multi, & optant. ſed interea ſupini ſtertunt: de quibus ait Salomon. deſiderat piger, & nihil habet anima eius. uult *Pro. 21.* ergo, ut ſtudioſè atque ex animo petamus. quod tunc fit, cum ſoliciti ſumus ad quærendum, & perueſtigandum, quid bonú, quid ve vtile nobis ſit. quòd ſi non continuò aſſequimur, perſtemus tamen petendo in eorum pauperum morem, qui eleemoſynam quęrentes, non ante ceſſant petendo & pulſando, quàm aliquid accipiant,

piant, atque ut ad hoc alacrius faciendum animaret, addit. *omnis enim, qui petit, accipit. & qui quærit, inuenit. & pulſanti aperietur.* &, cum ſciret infirmitatem naturæ noſtræ ad diffidentiam propen-
Luc. 11. dere. uide quid apud Lucam dicat, de hac ipſa re uerba faciens. quis ueſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi. amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum. & ille intus reſpondens dicat. noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi. dico uobis, etſi non dabit illi ſurgens eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. pulchra ſimilitudo & efficaciſsima ad omnem in uobis fiduciam ingenerandam. ſi homo non ob amicitiam, ſed ob amici improbitatem ſibi incommodare non recuſat, quid non ſperetur à cœleſti patre, qui ſumma cum charitate paratus eſt ſemper nobis dare, & nullum incommodum dando pati poteſt, ſed illi potius id agere eſt iucundiſſimum? ad eandem ſententiam pertinet, quod alio item loco apud eundem Lucam dicitur, cum doceret, o-
Luc. 18. portere ſemper orare & non deficere. iudex quidam (inquit) erat in ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. uidua autem erat in ciuitate illa, & ueniebat ad eum dicens. uindica me de aduerſario meo, & nolebat, per multum tempus. poſt hęc autem dixit intra ſe. etſi Deum non timeo, nec hominem reuereor. tamen quia moleſta eſt mihi hæc uidua, vindicabo illam, ne in nouiſſimo ueniens ſugillet me. & adiecit Dominus. audite quid iudex iniquus dicat. Deus autem non faciet vindictam electorũ ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte, etiam ſi patiens fuerit erga eos? dico vobis, quòd citò faciet uindictam illorum. hæc autem omnia eò ſpectant, ut excitemur ad fidendum illi, & omni cum fiducia ad eum accedamus, tanquam ad amantiſsimum noſtri patrem, qui omnium parentum longo interuallo ſuperat charitatem. quod ut declararet, adhuc ſimilitudinem adiecit, & ait. *quis eſt ex uobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei? ſi ergo uos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs ueſtris, quantò magis pater ueſter, qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe?* quibus verbis quid efficacius eſſe poſsit ad perſuadendum, vt ſemper poſtulare audeamus? ſi enim

nim nos, cùm mali ſimus, & malorum natura ea ſit, ut ad mala propendeant, quia tamen filiorum charitas nos trahit, bona tantum damus petentibus filiis, quid non expectemus à Deo, cuius natura eſt bonitas? qui iccirco appellari à nobis pater uoluit, vt tota fiducia ad poſtulandum accedamus. Sed videre videor pleroſque veſtrum intra ſe ambigere, cum cernant, atque experiantur, ſe multa ſæpius ac ſtudioſè petere, neque tamen impetrare quod petunt. quibus reſpondendum eſt. primum eos frequentius ea petere, quæ ſi pręſtarentur, pernicioſiſſima illis eſſent futura. in quo genere vi dentur fuiſſe ij, quibus beatus Iacobus aiebat. petitis & non accipi tis eo quòd male petatis, ut in voluptatibus veſtris inſumatis. cogi tet enim quiſque veſtrum, quid optare ſoleat, & inueniet reſponderi ſibi poſſe, quod filiis Zebedæi à Domino dictũ fuit. neſcitis quid petatis. & tamen petebant regnare cum Chriſto, quod ut nos peta mus, non ſolum nobis permittitur, ſed mandatur etiam. ſed quia non eo modo petebant, quo petere debuerant, iccircò dicebat, eos neſcire quid peterent. quòd ſi in illius regni, ad quod facti ſumus, atque inuitamur, poſtulatione reprehendimur, cum non recta uia illud petimus; quid in noſtris optatis, quæ puerilia ferè eſſe conſueuerunt, expectare debemus eſſe faciendum? petit quiſpiam diuitias, & auerſatur paupertatem. hoc quid eſt aliud, quàm laqueum ſibi parare, & à regno ſe facere quàm alieniſſimum? nam Chriſtus pauperibus regnum cœlorum pollicetur, & diuitibus ęternum ignem minatur. beati (inquit) pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum Dei. & uę uobis diuitibus, qui habetis conſolationem veſtram. & Paulus. qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum, & deſideria multa ſtulta & nociua, quę mergunt homines in interitum & perditionem. radix enim omnium malorum eſt auaritia, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſerue runt ſe doloribus multis. mitto quòd in hac ipſa etiam uita, maximorum malorum cauſæ ſunt diuitiæ atque potentia. quàm multi enim ob diuitias vitam amiſerunt? quàm multos accepta afflixere imperia, & vltimis merſere ſuppliciis? ſi ergo in iis exaudiare, & præſentia tibi & futura comparas mala. Rurſus alius filios uel dari vel ſeruari ſibi votis omnibus expetit. quamobrem? quia ſolatium maximum arbitratur, & illos, dum viuit, cernere, & ſuarum hæredes relinquere facultatum. & tamen vtrunque ſæpiſſimè parum

Iac. 4.
Mat. 20.
Mar. 10.
Luc. 6.
Ibidem.
1. Ti. 6.

rum feliciter cedit. nam plerunque liberi multis calamitatibus aſficiunt parẽtes,& paternas facultates in delicias & luxum perdunt. qui filij ſi defuiſſent, potuiſſent parentes eaſdem facultates in cœlo recondere,& vitam inde ſibi comparare ſempiternam. quod contra ſæpe fit,vt videlicet,dum parentes nimio ſtudio parandarum filijs opum inuigilant, Geennam ſibi atque æterna incendia acquirant duas ob cauſas, & quòd iniquo Mãmonæ parando, plus æquo operam dederint,& quòd occaſionem præbuerint filijs perditè uiuendi ob ſuperuacuas à parentibus relictas diuitias. idem accidit in petendis alijs rebus, quæ videntur ad hanc vitam feliciter degendam accommodæ,ut forma,robore, incolumitate. cum plerunque contraria futura eſſent nobis vtiliora. ſpecies enim corporis, dum illi nimis incumbitur, veri hominis pulchritudini eſt impedimento,&,dum exterior forma nutritur, interior, quę ſola hoc nomine dignanda eſt,negligi, atque adeo ſordidari conſueuit. ſic robur & incolumitas, dum corpus ſe vegetum ſentit, ad inſolentiam ac temeritatem trahit. at corporis imbecillitas, temperantem ac mode-
Eccl.31. ſtum hominem reddit. rectè enim quidam ſapiens dixit. infirmitas grauis ſobriam facit animam. Cum ergo res huius generis petimus,quæ & in hac etiam vita,& multò magis in futura damno eſſe nobis poſſint,neque ea aſſequimur, maximæ à nobis hoc nomine gratiæ debentur cęleſti patri, qui minimè nos in damnum noſtrum ac perniciem exaudiat. an non ſaltem exemplum à vobis ipſis accipitis? qui ſi infantem habeatis,qui aliquid petat, quod certò ſcitis illi nociturum,recuſatis eius appetitioni indulgere,qui ſi inſtet pertinacius,ut uoti fiat compos, uerberibus etiam interdum coërcetis temeritatem,quę eſt ingens erga filios charitatis ſignificatio. ſic cœleſtis pater ſummam plerunque miſericordiam in nos exercet, qui infantibus ſępe ſumus ſtultiores, cum non ſolum negat quę petimus,ſed contraria uotis noſtris dat. Quid? quòd ea plerunque negat,quę nos honoris illius gratia poſtulamus? Paulus enim,qui cerneret,ſtimulum illum adhibitum carni,hoc eſt,moleſtias,quas à ſua gente patiebatur,curſum Euangelij impedire, ter Dominum roga-
2.Co.12 uit, vt auferretur à ſe. ſed Dominus quid? ſufficit (inquit) tibi gratia mea. nam virtus mea in infirmitate perficitur. ſed quare adhibitus erat ſtimulus ille? ne magnitudine (inquit) reuelationum
Ioan.16 extollar. Quid ergo, & quomodo petendum eſt? petite (inquit alio

alio loco) & accipietis, ut gaudium ueſtrum ſit plenum. nam hæc inferiora gaudia minimè digna nobis ſunt. uult ut meminerimus, nos habere patrem Deum. ſi enim quiſpiam rex haberet filium, quem regni ſucceſſorem declarauiſſet, deinde illum cerneret, nihil minus quàm de regno cogitare, ſed humilia ſemper aliqua petere, vehementer indignaretur, illúmque increparet, nothúmque ac degenerem appellaret, iuberétque, ut poſitis humilibus cogitationibus, regni duntaxat negocia curaret. atq; hoc eſt, quod beatus Ioannes aiebat. hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum, quòd quicquid *Ioan.5.* petierimus ſecundum uoluntatem eius, audit. cernis nos exaudiendos, ſi iuſta petamus? iuſta uerò tum demum, aut potius tunc ſolum petimus, cum ſecundum uoluntatem eius petimus. quod ſi pręſtamus, uide quantus bonorum torrens conſequatur. audi enim quid dicat propheta. uoluntatem timentium ſe faciet, & precationem eorum exaudiet. *Pſ.144.* quantum hoc eſt, Deum uoluntatem noſtram facere? quid optari maius ab homine poteſt, quàm ut Deus uotis noſtris omnibus obſecundet? nón ne hoc eſt, in hac etiam ipſa uita eſſe beatiſſimum? contra uerò nihil eſt aliud, quod nos perpetuò eſſe miſeros faciat, quàm quòd malè petimus, & quę nobis damno potius quàm utilitati ſint futura. hac miſeria, & his moleſtijs carere nos cupiens Dominus, docuit nos, cum precaremur, dicere. fiat uoluntas tua, ut ſcilicet uota & appetitiones noſtras illius *Mat.16.* uoluntati accommodaremus. ſed nos puerorum more ſemper puerilia cupimus, & utilia negligentes, in uanis & inutilibus ac damnoſis etiam occupamur. *Luc.11.* Pater (inquit) *ueſter dabit bona petentibus ſe.* quæ bona? Lucas apertius dicit. dabit ſpiritum ſanctum petentibus *Ibidem.* ſe. hoc ergo eſt petendum, & dabitur quod petimus. hoc faciebat Dauid. cor mundum (inquiens) crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis. *Pſ.50.* ne proijcias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. quòd ſiquis dicat, ſe & hoc petere, ſed tamen non aſſequi. reſpondendum huic eſt, hoc uerum eſſe non poſſe. ſi enim ſeriò atque ex animo quis petat ea, quę petenda ſunt, proculdubio aſſequetur. ſed multi optant quidem eſſe viri boni, & ſpiritualibus donis eſſe diuites, cum interea iniquè factis operam dent, neque à uitijs ac peccatis abſtinere curent. hoc petere non eſt eo modo, quo eſt petẽdum. nam ij ſimiles illis ſunt, de quibus dicitur. fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.

ſic ij dicunt ſe petere. interim verò facta votis illis contraria oſtendunt. quòd ſiqui etiam ex animo petant, neque tamen continuo aſſequantur quod petunt, non propterea dicendum eſt, illos non exaudiri. nam differt plerunq; Dominus dare quod petimus, noſtræ vtilitatis gratia. ipſe enim melius nouit, quid & quando cum utilitate nobis ſit daturus. & fortaſſe ob eam cauſam differt, vt erudiaris aſſiduus eſſe ad illum rogandum, intelligás que, quid ſit donum Dei, & datum cum timore ſerues. quicquid enim cum labore quis adeptus eſt, ſtudet illud ſeruare, ne, ſi id amittat, & multi laboris ſui iacturam faciat, & grátiam Dei ſpernens æterna vita indignus

3.Reg.3 efficiatur. quid enim profuit Salomoni citò accepiſſe gratiã ſapien-

11. tię, & eam amiſiſſe? ne itaque puſillanimus ſias, ſi non ocyus aſſequare quod petis. etenim ſi intelligeret bonus Dominus, quòd citò gratiam accipiens, non eſſes illam amiſſurus, paratus eſſet ante etiam præbere, quàm peteres. nunc autem ob tui curam id agit.

Mat.25. nam ſi is, qui talentum accepit, quíque integrum illud ſeruauit, ob eam cauſam condemnatus eſt, quòd non eſſet in eo negociatus, quantò magis condemnabitur is, qui illud amiſerit? Conſideremus præterea ſanctos uiros, quàm fuerint longanimes in expectan

Gen. 12. dis Dei pollicitationibus, neque quicquam deſperauerint. uocauit Deus Abraham adhuc iuuenem, & ex Aſſyriorum terra tranſtulit

Gen.15. in Palęſtinam, dicens ei, tibi dabo terram hanc & ſemini tuo poſt te, & ſicut ſtellæ cœli ſic erit ſemen tuũm, quod non numerabitur. prætetiítque multus annorum numerus. & mortua quidem erat eius natura, in foribus autem finis, & tamen non ait. Domine ſemper mihi liberos polliceris, & patrem me futurum omnium gentium prædicis. mortui mihi ſunt ex ſenectute naturæ motus, & Sarra uxor mea iam non fert muliebria ob ſenectutem, quocirca mendax eſt promiſsio. nam duo ſenes quam habent ſpem? non hoc dixit, non cogitauit, ſed permanſit nihil fluctuans fide, & ætate quidem ſeneſcebat, ſpes uerò iuueneſcere uidebatur. & corpus quidem ad imbecillitatem accedebat, & deſperationem ingenerabat, ſed fides neruos & animæ & corpori afferebat. Deus (inquit) eſt, qui promiſit, Dominus naturę, & aliter fieri poſsibile non eſt. ipſe eſt, qui ea etiam, quæ poſsibilia non ſunt, facit poſsibilia, iccirco facit & mutat omnia, ut uult. Cum ergo imbecilla facta natura fuit, eiúſ que motus mortui, tunc euixit pollicitatio Dei, longè

gè maiore cum miraculo, quàm ſi in iuuentute filium ei prębuiſſet. Duo ergo in primis præſtanda à nobis ſunt. primum ut petamus digna nobis, non diuitias, non terrenam gloriam, non corporis ſanitatem. ipſe enim fecit nos, eiq; noſtra ſalus eſt curæ, & *Pſa. 99.*
nouit quo pacto cuique utile ſit, ſiue ſanum eſſe, ſiue imbecillum. ſed petamus ſicut imperatum nobis eſt. regnum duntaxat cœlorū. eſt enim rex noſter maximè ſtudioſus dignitatis, & indignatur, ſiquis eum rem petat exiguam, ſiquis noſtrum ab eo poſtulet, quæ nequaquam ſunt nobis conſentanea, & indigna rege noſtro Deo. deinde ne cadamus animis, ſi continuò non aſſequimur, quod petimus, ſed perſtemus donec accipiamus, nihil hæſitantes. qui enim hęſitat (ait beatus Iacobus) ſimilis eſt fluctui maris, qui à uento *Iac. 1.*
mouetur, & circunfertur. non enim exiſtimet homo ille, quod accipiet aliquid à Domino. hoc autem ingentis erga nos charitatis Dei indicium eſt, uelle, ſi optemus exaudiri, ut nobis certiſſimè perſuadeamus, illum nos auditurum. quæ res in ijs tantum, qui vehementer amant, uſu uenire ſolet. Huic ergo tam benigno patri per Ieſum Chriſtum filium eius, in unitate ſpiritus ſancti ſit honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LXIII.

OMNIA *igitur, quæcunque uolueritis, ut faciant uobis homines, ſic & uos facite illis. hæc enim eſt lex & prophetæ.* Hic locus apud Lucam declaratur apertius, *Luc. 6.*
cur poſitus ſit. dixerat enim prius, omni petenti te tribue. & poſt adiecit. & prout vultis, ut faciant vobis homines, & uos facite illis ſimiliter. & ſanè non ineptè poſita ſunt hęc verba poſt illa, quæ ſuperiore oratione declarauimus, quamuis ſacrarum ſcripturarum more ipſe orationis contextus obſcuritatis aliquid habere uideatur. nam cum breuitati ſtudeant, breuitas ipſa oſcuritatem parere ſolet, quemadmodum & quidam poëta dixit. cum ergo de petendis à Deo beneficijs feciſſet mentionem, aptè de exercenda in proximum quenque eadem beneficentia admonet. nam rectè quidam externus dixit. minimè conuenit, cum

Rrr 2 ipſi

ipſi inter nos abiecti neglectíque ſimus, poſtulare ut Deo chariſſimus,& ab eo diligamur. at uerò non eſſe erga proximum quenque beneficum, arguit, quòd non ſolum proximus, ſed ne Deus quidem ametur. quare qui hoc agit, multò minus dignus eſt, qui beneficia à Deo accipiat. uide enim, quid dicat beatus Ioannes. ſiquis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. qui enim non diligit fratrem ſuum quem uidit, Deum, quem non uidit, quomodo poteſt diligere? cum enim conſuetudo conciliare amicitiam ſoleat, ſi tuæ conſortem naturæ, cum quo uerſaris, ſine cuius conſuetudine uitam viueres iniucundam, non amas, Deum quem nunquam uidiſti, quomodo potes diligere? præſertim cum ipſius præceptum ſit, ut, ſi amare uelimus Deum, & proximum etiam amemus, quaſi gratum minimè ei ſit, ſi abſq; proximi amore Deum amemus. cuius pręceptum niſi ſerues, qui dicere potes, te illum diligere? qui tenet (inquit) mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me. *Quæcunque uultis* (inquit) *ut faciant uobis homines, ſic & uos facite illis*. ab hac ſententia proficiſcitur & illud. quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. alterum enim ex altero pendet. etenim ubi quis paratus eſt ea præſtare proximo cuique, quæ optet ipſe ab alijs ſibi fieri, idem cauebit, nequid in eundem proximum agat, quod pati ab illo nollet. quæ verba quanti ſint facienda, oſtendit per ea quæ addit. *hæc enim* (inquit) *eſt lex & prophetæ*. hoc eſt, hęc ſumma legis eſt, ac prophetarum. iccirco enim data eſt lex, & prophetæ tam multa ſcripſerunt, vt amica & benefica eſſet hominum inter ſe conſuetúdo, & mutua charitate coniungerentur. atque hoc etiam eſt, quod dicebat Paulus. qui diligit proximum, legem impleuit. nam illa, non adulteraberis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſiquod aliud præceptum, in hoc ſermone ſummatim comprehenditur, nempe diliges proximum tuum ſicut teipſum. dilectio malum proximo non operatur, plenitudo ergo legis eſt dilectio. quanti ergo faciendum eſt illud, quod ſummam totius Diuinę legis complectitur, & in quo tota ſalus noſtra verſatur? Hæc Domini Seruatoris verba ſi obſeruarentur, iuſtitiæ plena eſſent facta noſtra omnia, nunquam quiſquam circumuenire alterum cogitaret, nulli ſtrueret inſidias, ceſſarent iurgia, conquieſcerent lites, & pro malis, quibus miſeri homines mutuò ſe conficiunt ac perdunt,

Ioan.4. *Ioan.14* *Tob.4.* *Rom.13.*

ſuccederet

ſuccederet charitas, beneficentia, liberalitas, modeſtia, pax. nunc verò quia hic ſcopus minimè ante oculos ponitur, contraria his vitia introducuntur, & nullus moleſtiarum eſt finis: vbi enim à ſalutaribus Chriſti mandatis diſcedimus, quę ſeruata ſummam vitæ tranquillitatem afferunt, mox perturbationibus omnibus, veluti marinis fluctibus obijcimur agitandi. vnde enim fit, vt plerique omnes continuis laborent afflictionibus, nullum litibus, controuerſijs, inimicitijs, diſſidijs finem inueniant, niſi quòd nunquam hæc Euangelica verba in mentem illis ueniunt, *quæcunque uultis ut faciant uobis homines, ſic & uos facite illis?* nam, ſi hæc monita animo verſarent, ita ſecum dicerent. quid vellem ego mihi ab alijs hominibus præſtari? nimirum vt meis inſeruirent commodis. ſiquid à me læſi eſſent, benignè iniuriam remitterent, eámque obliuiſcerentur. ſi beneficijs eſſent affecti, ea recordarentur, & viciſſim rependerent beneficentiam. ſiquid mihi deberent, vltrò redderent, neq; expectarent, dum cogerentur per lites & contentiones reſtituere. bene de me loquerentur. facta mea ac dicta in bonam partem interpretarentur. non obloquerentur, non detraherent. breuiter, mihi ſemper prodeſſe cogitarent. cur igitur ego de meis tantum commodis cogito, nulla vnquam aliorum commodorum habita ratione, atque adeo potius quęro alijs incommodare, dum ipſe mihi commodem? cur læſus ob minimam quanque offenſionem, excandeſco, & vlciſci iniuriam conor, ac perpetuam cuiuslibet offenſionis memoriam ſeruo? cur tam parum curo, & facile obliuiſcor, cum ab altero ſum beneficio affectus, & plerunque facta contraria rependo? cur, ſicui pecunias debeo, tam difficile patior à me, quod debetur, extorqueri, vt plerunque tantundem in lites impendat creditor, quantum eſt illud, quod iuſtè exoluendum eſt? cur ſemper obloquor, & de proximi cuiuſque fama detrahere nó ceſſo, & factum eſt guttur meum ſepulcrum patens? cur recta etiam aliorum facta prauè interpretando maculare contendo, & ex aliorum reprehenſione gloriam mihi venor? in ſumma, nunquam venire mihi in mentem patior, quo pacto proximo cuique prodeſſe poſſim. hoc ſi faceretis, atque ad Euangelicam regulam facta & dicta ueſtra dirigeretis, uitã ageretis tranquilliſſimam atque iuſtiſſimam. Hæc uerba, quæ hic poſita ſunt, ut ſcilicet omnia quęcunque nolumus, ut nobis faciant homines, eadem illis faciamus, interpretatio quędam ſunt illius, quod

Pſ. 5.

pręcipitur.

Mat. 22. præcipitur. diliges proximum tuum ſicut teipſum, neque enim impletur unquam hoc præceptum, niſi hoc præſtetur, ut ea, quæ optamus ab hominibus fieri nobis, eadem illis faciamus, & quæ nolumus ab alijs pati, ea neque nos aduerſus alios exerceamus. *Hæc eſt*
Mat. 22. (inquit) *lex & prophetæ*. hinc pendet, ut alibi dicit, uniuerſa lex & prophetæ. videte uerò hominum ſtupiditatem, qui quod in primis, aut quod unum potius eſſet æſtimandum, penè nihil curent, aut certè quàm frigidiſſimè curent. propter hoc (ait per prophetam quendam) rupi prophetas, & occidi eos in verbis oris mei, vt iudicia mea quaſi lux egrederentur. propter hoc præcepta digito Dei in tabulis lapideis ſcripta ſunt, & tantis cum myſterijs lex data. propter hoc miſſus eſt vnigenitus ille, & è ſinu Dei patris in ſinum virginis matris deſcendit, naſci in ſtabulo, & collocari in præſepi voluit. hanc vnam ob cauſam legem Euangelicam promulgauit, & humanæ uitæ magiſter eſſe non eſt dedignatus, & cum verbis tum factis, quid à nobis eſſet præſtandum, declarauit, & prædicatio-
Ioan. 15 nem ſuam hoc quaſi ſigno obſerauit. hoc eſt præceptum meum (inquiens) ut diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. & in hoc agnoſcent homines, quòd diſcipuli mei eritis, ſi vos mutuò inter vos dilexeritis. Quid graue tibi uidetur hoc præſtare, quod hic præcipitur? graue potius, ſi contrarium præciperetur, uideri debuiſſet, nónne ipſa te natura ad hoc inuitat, ſi duntaxat illud cogites, quòd om-
Ephe. 4. nes eiuſdem naturæ conſortes ſumus, atque inuicem membra? non cernis in corporis membris idem ſeruari, ut, quod obſequium unum membrum præſtari ſibi à reliquis membris optaret, idem ipſe alijs præſtet. ſi læſum ſe oculus ſentiat, cupit continuo & manus & pedes opem illi afferunt quærendis remediis, quibus curetur. idem ipſum & ille rependit. ſi enim calcaneus viliſsima corporis pars forte aliqua lædatur, non dedignatur obſequium ſuum officioſisſimè exhibere, & ſummo ſtudio inuenire curat, quæ cauſa ſit, cur calcaneus laboret. ſimul illud obſerua, ut in facillimis rebus, & quæ obuiæ cuique ſunt, ſalus noſtra ſit collocata, vt rectè
Luc. 17. dixerit Dominus, regnum Dei intra vos eſt. Mandatum hoc (ait
Deu. 30. Moſes) quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſsis dicere, quis noſtrum valet in cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus? neque trans mare poſitum, vt cauſeris & dicas,

cas, quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire & facere quod præceptum eſt? ſed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum. ſi hęc ſalus non aliter haberi poſſet, quàm vltimas orbis terræ parteis peragraremus, etiam id eſſet faciendum, & ſubeundi maximi quique labores, ne infinito illo bono deſtitueremus. nunc verò ſine labore in ſummo ocio degentibus licet tanto bono frui, eo tantum oblato, quod in noſtra eſt poteſtate, ad quod ſponte naturæ inuitamur, & ad tam facilem rem pręſtandam ita inertes ſumus. Quòd ſi regni illius, quod certè ſtupidum quenque excitare deberet, cogitatio te nihil permouet, non ſaltem fructus, qui ex ea re in hac ipſa uita capitur, te ad hoc pręſtandum prouocabit? primum enim qui hoc affectus animo eſt, ut curet ea in proximum quenque conferre, quæ ipſe optaret, in maxima ſemper uoluptate, atq; animi lętitia degit, quæ res ſecuritatem quandam ſecum affert. quod quanti ſit, vide quid dicat Salomon, ſecura mens quaſi iuge conuiuium. fruitur *Pro. 15.*
ſingulis horis pulchris illis cogitationibus, dum cogitat, quibus artibus prodeſſe proximo cuiq; poſſit. hoc quid aliud eſt, quàm quædã cœleſtis vitę repręſentatio? deinde qui hoc agit, omnibus gratus eſt, apud omnes bene audit, certant omnes mutuam ei rependere beneuolẽtiam, amici omnes ſunt, benefactorem ac patrem appellant. quę tanti ſunt ęſtimanda, vt nullum auri aut gemmarum pretium illis queat comparari. nam melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ. nunc intuere eos, qui contraria ingrediuntur via, ſi non *Pro. 22.*
eam vitam hic referunt, quàm in Geennam damnati habituri ſunt, atque adeo quam nunc Dæmones ipſi agunt. quid enim faciunt Dęmones? nihil machinantur aliud, quàm quo pacto hominibus noceant, atque illos perdant. ſic ij dum omnia ſuis commodis metiuntur, quęrũt que ſibimet tantum ipſis prodeſſe, cum id ſine damno proximorum fieri non poſſit (lucrum enim, ait quidam externus, ſine damno alterius fieri non poteſt) coguntur nemini parcere, dum lucrum ipſi faciant. nullius miſerentur, à nullius iniuria abſtinent, peſſimas ſemper cogitationes animo verſant, atque, vt Salomonis verbis vtar, ſeptem nequitiæ ſunt in corde eorum. nullam nouerunt cognationem naturæ, ignorant quid ſit erga proximum charitas. quare fit, vt, cum neminem diligant, viciſſim omnibus odio ſint, omnes eos auerſentur, & veluti communem peſtem dete- *Pro. 15.*

deteſtentur. hanc tu vitam exiſtimas, & non potius rem quauis morte magis exhorreſcendam? quæ Geenna hoc vitæ genere deterior eſt? nam eiuſmodi homines tot carnifices intra ſe habent, qui animum excrucient, quo perueſis poſſidentur appetitionibus. an hoc non eſt Geennam atque æternos illos cruciatus in hac ipſa vita repræſentare? nón ne leones ac ſilueſtres feras ij ſuperant crudelitate? illę enim vbi tantum cibi accepere, quod ſatis ad ventris ſaturitatem faciat, reliquam prædę partem, non ſolum ſui ſed etiam di uerſi generis animantibus fruendum relinquunt. qui uerò ſuis dun taxat commodis ſeruiunt, neque vnquam cogitant alijs præſtare, quod ipſi ſibi cupiunt, etiam aliena poſſidere quærunt, tantum abeſt, vt de eo, quod adepti ſunt, quippiam in aliorum manus ve nire patiantur. *Omnia quæcunque uultis, ut faciant uobis homines, ſic & uos facite illis*. quàm generoſum, adde & felix viuendi genus nobis Dominus proponit, quo ſi vteremur, viueremus beatiſſimi. cogita enim, quàm admirandum ſpectaculum eſſet, & omnium bo norum plenum, ſi, exempli gratia, mercatores cum negotiantur, in vendendis emendíſque mercibus, quod lucrum ipſi facere cupiunt, idem de altero mutuò cogitarent. ſic in artibus quibuſcunque, in controuerſiis & ciuilibus litibus. nam multa hinc bona ſequerentur. primum quòd non minus lucri hoc pacto facerent, atque adeo plus etiam. nam vbi pacata omnia ſunt, maiora multò & copioſiora commoda reperiuntur. deinde lucra illa non ſolum in animę damnum non redundarent, quod nunc fit, ſed cum maxima animarum utilitate fierent. prętereà ſublatę eſſent omnes lites ac controuerſię, quæ nunc tam frequentes ſunt ob eam vnam cauſam, quòd homines bene ſibi eſſe malunt quàm alteri, quanq̃ illud reuera bonum non eſt, ſed ij in eorum numero ſunt, de quibus di

Eſa. 5. cit Eſaias. qui dicunt bonum malum & malum bonum, ponentes lucem tenebras & tenebras lucem. Videte quàm uerum ſit, quod

Io. 10. ait alibi Dominus. ego ueni, ut uitam habeant, & abundantius habeant, quod non ſolum de futura uita, uerum etiam de pręſenti proculdubio eſt intelligendum. quàm felicem enim rerum ſtatum fuiſſe cenſendum eſt, cum ij, qui Chriſto nomen dederant, ita mu

Act. 4. tuo affecti erant, vt de eis ſcriptum ſit. multitudinis credentium erat cor unum & anima vna, nec quiſquam aliquid eorum, quæ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. neque

que quiſquam egens erat inter illos. quotquot.n.poſſeſſores agrorum aut ædium erant, vendentes afferebant pretia eorũ, quę vendita fuerãt, & ponebant ad pedes apoſtolorum. diſtribuebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat. tam ingens multitudo ita coniuncta erat, vt vna omnium voluntas eſſet, neque alterius animus ab altero diſcreparet. quod eſſe non poterat, niſi quiſque, quod ſibi vellet, idem alteri optaret. ex quo admirandum illud ſecutum eſt, vt nullus inter eos egens eſſet. vbi ſunt, qui, ſi quando illos inuito, vt me alendis pauperibus iuuent, reſpondent, ſe id minime poſſe? & ſanè quidem verum eſt, eos tandiu id non poſſe, dum ita male affecti erga Chriſtũ ſunt, vt nunquam etiam in ſumma copia, habere ſe quicquam ſuperuacui opinentur. ſed eſto, concedatur, rem ita ſe habere. at iſti, quos commemorauimus, omnibus ſe exſpoliabant, & neceſſaria ipſa, non ſuperuacua offerebant. uos uerò ſi requiramini ut unum nummum aureum in pauperes impendatis, continuo reſilitis, tantúm que ab Euangelico ſcopo aberratis, ut canum uobis maior quam pauperum ſit cura. at illorum Chriſto aſſecta liberalitas efficiebat, ut tanto in numero nullus egeret. hoc quantum eſt? ita magnum, ut ne in regibus quidem ſummíſque principibus reperiatur. quos ſi interroges, multis egere ſe, uideas eos conqueri. unde enim quotidianę illæ, & nouæ identidem excogitatę à populis exactiones? tanta uerò credentium multitudo nullius egebat, nam diſtribuebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Ii uerò tam egregii fructus unde ortum habent? à matre bonorum omnium charitate. de qua ſcriptum eſt. charitas non quærit, quæ ſua ſunt. hęc uerò charitas effuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. qui nos docet, quantum Deo debeamus, teneamúr que eaduntaxat quęrere, quæ illi ſint placita, & illi potius quàm nobis uiuere. quę apud ſe cogitans Paulus aiebat. charitas Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quòd ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt, ut & qui uiuunt iam non ſibi uiuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. uidete plenam grati animi ratiocinationem. reddit rationem ijs, qui fortaſſe admirarentur, cur nil aliud curaret, quàm ut placeret Deo, & cur nullam ſui ipſius rationem haberet, ſed ſolam Dei gloriam quęreret. fortiſsimo (inquit) aſtringimur argumento, ut id agamus, ſic colligentes. ſi Chri-

1. Co. 16
Rom. 5.
2. Co. 5.

ſtus pro omnibus mortuus eſt, ſignificatio fit, omnes fuiſſe morti obnoxios, quod ſi ita eſt, cum ipſe nobis vitę auctor fuerit, reliquũ eſt, vt intelligamus, quicquid viuimus, hoc totum nos illi debere, qui vt nobis hanc compararet vitam, pro nobis mortuus eſt, &
ibidem. reſurrexit. quare etiam adjecit. itaque nos ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem. ſuperioris (inquit) argumenti contemplatione id ſtatui, neminem poſthac agnoſcere ſecundum carnem, hoc eſt nullam hic agnoſcere carnalem cognationem. nam Iudæos quidem meum ſanguinem, meum genus amo, ſed quatenus ad gloriam Chriſti pertinet, cætera neminem eorum agnoſco. Hoc & nos fundamento uti debemus, ut charitati ergo Deum nihil anteponamus, quem cum ſciamus præcepiſſe, vt amemus proximum noſtrum tanquam nos ipſos, dabimus ſedulò operam, vt id præſtemus, & omnia quæcunque optamus fieri nobis ab hominibus, eadem illis faciemus, quemadmodum hodie à Seruatore Chriſto docti ſumus. cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LXIIII.

INTRATE *per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa uia eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. quoniam anguſta porta & arcta uia eſt, quæ ducit ad uitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Quàm verè de hominibus loquens pſaltes di-
Pſal.61. xit. vani filij hominum, mendaces filij hominum, in ſtateras ſi aſcendant, ipſi pariter leuiores ſunt vanitate. non poterat aptiori ſimilitudine eorum vanitatem redarguere. tam vani ſunt (inquit) vt, ſi eos omnes ſimul in vnam poſueris trutinæ lancem, futuri ſint ij leuiores vanitate ipſa. uenit filius ipſe Dei, ſapientia patris, in quo ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientiæ abſconditi, quem ſcimus præterea ad hoc vnum veniſſe in terram, vt nos doceret vias ſuas, vias vitæ, vias ſalutis, vias, de quibus ſcriptum eſt, viæ eius viæ pulchræ. & eas tamen tanquam rem pernicioſiſſimam auerſamur. admonet hic, vt *per anguſtam portam* intremus, & per

arctam

arctam viam,quia hac ad vitam ducimur, atque ut latam portam & ſpatioſam viam caueamus,quia ad perditionem ducit, & tamē perinde quaſi vitam oderimus, & perditionem expetamus, anguſtam fugimus,& latam amplectimur. ita ad perniciem tantum noſtram miſeri inuigilamus. quare obſecro,vt ea,quę hodie à Seruatore Chriſto admonemur,attentiſſimè audiatis. *Intrate* (inquit) *per anguſtam portam*. anguſta non ſolum arctam habet latitudinem, uerū etiam & altitudinem humilem, ut eos,qui per illam ingredi uelint, & inclinari ſit neceſſe,& premi,niſi admodum exiles ſint. uidentur ergo mihi hic duo pręcipi, vt & humilitatem animí que ſubmiſſionem amplectamur, & paupertatem, quæ vtraque in prima beatitudine diximus contineri,cum ait Dominus. beati pauperes ſpiritu. alioqui metuendum eſt,ne in anguſta porta elatus caput frangat, & obeſus crepet ac diſrumpatur. ſic nimirum ijs accidit, qui Euangelicos ſe profitentur ac Chriſtianos,& tamen à ſuperbia & arrogantia, & à diuitiarum appetitione nolunt diſcedere. grauiores enim pœnas dabunt,quam ij,qui nunquam hanc uiam profeſſi ſunt. & de ijs dicit Petrus apoſtolus. melius erat illis non agnouiſſe uiam iuſtitię, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. *Intrate* ergo (inquit) *per anguſtam portam,quia lata porta & ſpatioſa uia eſt,quæ ducit ad perditionem,& multi ſunt,qui intrant per eam*. cauſam reddit, cur uelit, ut intremus *per anguſtam portam*, & ingrediamur per arctam uiam, ut uidelicet interitus periculum declinemus. ſic enim cum iter amico alicui agendum eſt, in primis curamus illum admonere periculorum, in quæ incidere poſſet. Sed cur latam portam & ſpatioſam uiam appellat,quę ad interitum ducit? non enim dubium eſt,intelligi de ea uia, quam homines huic uitæ addicti ſequuntur. at ea mihi uidetur pluribus ac maioribus anguſtijs circunſepta, quàm iuſtorum uia. da enim exempli gratia ambitioſum hominem,& qui honores ac dignitates,pręſertim eccleſiaſticas,quando hoc negocium hac ętate eſt frequentiſſimum,venetur. quantis hic obſidetur difficultatibus, primum ut id aſſequatur, quod quærit, deinde ut adeptum retineat? ante enim quàm appetitum gradum habeat,quot labores, quot curas patitur? quot illiberales ſeruitutes ſubit? quàm multos aduerſarios perfert? quot periculis obiicitur? poſt adeptum uerò,ut eum ſeruet,nihilo minus ſuperſunt difficultates. mitto enim conſcien-

Mat. 5.
Luc. 6.
2. *Pet.* 2.

tiæ tormenta,continuám que carnificinam,quę noctésque dies que
excruciat hominem ſibi conſcium, quo animo illam appetierit di-
Rom. 1. gnitatem. mitto hoc inquam, quando reperiuntur pleriqué, qui in
reprobam mentem dati ſunt, & in cordis duritiem, atque ex ea in
auerſionem. contemplemur ea tantum, in quibus illum uerſari
quotidie neceſſe eſt. eiuſmodi homines inanis gloriæ vitio oportet
ſint obnoxij,cui qui addictus eſt, vinctis poſt tergum manibus mul
tis feris traditur obſidendus. quænam hæ ſunt? indignatio, triſti-
tia,inuidiæ,lites,calumuię, irę aduerſus eos,qui nihil læſerunt. uo-
luptates,cum alij eiuſdem ordinis aliquid ignominiæ patiuntur. lu-
ctus,cum honeſtantur. laudis amor,honoris appetitio,quæ res ma-
ximè omnium humanam pręcipitat animam. illiberales adulatio-
nes,ſermo ad audientium uoluptatem, minimè generoſa obſequia,
contemptus inferiorum,in diuites reuerentia,honores ſine ratione,
ſeruilis timor, & qui ſolis uiliſsimis mancipijs conſentaneus ſit. li-
bertatis ablatio, redargutiones è medio ſublatę atq; increpationes.
immo uerò aduerſus humillimum quenque etiam ſupra modum
inuehuntur, uerum in potentiores ne mouere quidem labia au-
dent. hæ ac plures aliæ feræ eius generis homines obſident, à qui-
bus qui ſemel captus eſt, in tantam neceſſe eſt trahatur ſeruitutem,
ut plerunque multa agat in mulierum obſequium,quę turpe eſt di-
cere. quas Diuina quidem lex prohibet uel loqui in eccleſia. hę ue-
rò ob pręſulum uitium,& ſeruilem eorum animum,plerunque ſuo
arbitrio dare epiſcopatus volunt, in epiſcopos inuehuntur, & acer-
bius increpant, quàm Domini propria mancipia. hanc viam quis
non anguſtiſſimam atque arctiſſimam iudicet? quod melius ex re
oppoſita intelligemus. accipiamus enim hominem, qui honorum
appetitione liber ad epiſcopatum euehatur,licebit ei omnia ſumma
cum libertate facere. qui enim non optauit hac poteſtate frui, ne
deijci quidem metuit. non metuẽs autem,agere omnia poterit cum
ea auctoritate,quæ Chriſtianum hominem decet. quod non accidit
ijs,qui deijci de gradu contremiſcunt, & propterea amaram perſe-
runt ſeruitutem, ac multis plenam malis, & Deum atque homines
offendere ſępe coguntur. vt hic,quem dicebam,non ita eſt affectus,
ſed quemadmodum in bello generoſos milites cernimus,& egregiè
ac promptè pugnare, &, cum ſuccumbẽdum eſt,cadere uiriliter, ſic
qui ſine ambitione ad hoc officij munus accedit,nihil metuit,neque

commouetur,

commouetur, ſi inimicorũ inuidia deijciatur, cum certò ſciat, hanc deiectionem nihilò minorem ſibi coronam ferre, quàm ipſam in dignitate perſeuerantiam. cum enim quis nequid indecorum neq; indignum ea dignitate faciat, hæc à maleuolis patitur, maiorem ſibi mercedem conciliat & gloriam. imitatur enim generoſos milites, qui honeſtam mortem turpi vitę anteponunt. cernis quantum inter utranque viam interſit, & quantò hæc latior illa ſit & ſpatioſior? idem accidit in reliquis affectibus, ut in quęrendis diuitijs, in uenandis uoluptatibus. non minores enim in ijs, & eius generis alijs anguſtię ac difficultates reperiuntur. Quę enim, obſecro, inueniri anguſtior via poteſt, quàm ea, quæ ſpinis eſt obſita? & per eiuſmodi viam auari ingrediuntur. ſi enim diuitiæ, teſte ipſa ueritate Chriſto, ſpinę ſunt, quò quis maiori affectu erga diuitias tenetur, eò viam Luc. 8.
ſibi ſpinoſiorem facit. nam & hic prius, quàm eas acquirat, anxius ſemper eſt, dum excogitare vias cupit, quibus fiat diues. ubi uerò factus eſt, multò maioribus obſidetur ſolicitudinibus. neque quiſquam ſeruus reperitur, qui ſeruitutem ſeruiat miſerabiliorem. non ſatis eſt, huic crudeli Domino totum diem ſeruire, accedit & nox; quę cum data ſit ad animorum corporúm que refocillationem, ea tamen auaris plerunque eſt diurno ſpatio inquietior. abundant opibus, & continua egeſtate conficiuntur, dum eas contingere non audent. longum eſſet, ingenteis difficultates, atq; anguſtias, quibus miſeri premuntur, recenſere. cur ergo lata appellatur à Domino illa vitiorum? quia ſcilicet indulget ſenſibus, qui cum proni ſint ad malum, facilior illis uidetur uitiorum ac peccatorum uia, & iccirco lata appellatur, accepta à uijs ſimilitudine, quę cum latę ſunt, facilius iter uidetur per eas. Sed cur, de hac lata porta & ſpatioſa uia loquens, adiecit, *& multi ſunt, qui intrant per illam*? opinor, ut intelligeremus, de qua loquatur. cum enim multò plures, ut aperte demonſtrauimus, hæc uitiorum uia anguſtias habeat, quàm illa uirtutũ, difficultatem atq; ambiguitatem parere hominibus poſſet, de qua loqueretur. uerum cum addit, illã eſſe, per quam multi ingrediũtur, nihil relinquitur dubitationis, de qua ſit intelligendum. Sed obſeruemus ſtultitiam hominum & ſupinas eorum mentes, audiunt hic admonentem Dominum, uiam quæ ducit ad perditionem, eſſe illam, per quam multitudo ingreditur, & omnes ferè ſequũtur multitudinem, neque periculum quiſquam intelligit,

in quo

in quo uerſetur, & nemo ſe ex multorum illorum numero eſſe arbitratur, quamuis ipſam ſequatur multitudinem. quis hanc ſtupiditatem non obſtupeſcat? uiam latam ingrediuntur, qui in prauis cogitationibus, in obſcœnis ſermonibus, in detractionibus, in conuiciis verſantur, qui inuident, qui proximum fraudant, qui auaritię ſtudent, qui ſtupris & adulteriis operam dant, qui rempublicam expilant, qui honores ambiunt, qui diſſolutum uictum cultúmq; ſectantur, qui deſpiciunt paſcere eſurientes, ueſtire nudos, infirmis ſuccurrere, & aliis egentium neceſſitatibus ſubuenire, & hanc eſſe uiam ait Dominus, *quæ ducit ad perditionem*, & omnes ferè per eã ingrediuntur, & tamen omnes ſe ad uitam ingreſſuros eſſe ſibi pollicentur, cum per eam ingrediantur, quam ad interitum ducere ipſa ueritas dicit. heu nos miſeros, qui in re tam periculoſa ludere uidemur. neque enim in ludo nullius momenti eſſemus ſomniculoſiores. Sed uideamus quid de altera dicat. *quoniam anguſta porta & arcta uia eſt, quæ ducit ad uitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam.* non eſt dubitandum, uiam, *quæ ducit ad uitam*, eſſe uiam Do-
Pro. 3. mini. cum autem de illius uiis audierimus ſcriptum, uiæ eius uiæ pulchrę, atque ad pulchritudinem uiarum pertineat, ut & latæ ſint. iccirco enim Homerus cum urbem aliquam laudare uult, appellat εὐρυάγυιαν, quaſi dicas, latiuiam. quomodo pulchra hęc uia eſſe poteſt, cum arcta ſit? uerum ne huic quidem uiæ deeſt ſua latitudo, quę niſi adeſſet, non facile curreretur per eam. at propheta uidę
Pſ. 118. quid dicat. uiam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. cum ergo lato quis corde eſt, neque his terrę anguſtiis con-
Phili. 3. cluditur, ſed eius conſuetudo cum Paulo in cœlis eſt, in quibus longiſſima quotidie conficit ſpatia, is huius uiæ latitudinem intelligit, quæ latitudo ſuam habet proportionem. at latitudo illius uię, *quæ ducit ad perditionem*, çum careat proportione, uitioſa & turpis eſt, dum honeſtis, & qui pulchram uiam decent, terminis contenta non eſt. appellat ergo *arctam*, quia illam infinitatem, quam ſenſus expetunt, amputat Deus in uiis ſuis, quę ijs, qui nondum illas ingreſſi ſunt, arctę uidentur, at iam ingreſſis non ita. quòd uerò ſcripturæ ſanctę ad morem noſtrum orationem accommodent, non ſemel à
1. Co. 15 nobis eſt demonſtratum, ut cum Paulus dixit. ſi in hac tantum uita ſperantes in Chriſto ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. hoc procul dubio dixit ad humanã infirmitatem ſeſe demittens,

mittens, quę niſi mercedem laborum aliquam adipiſcatur, operam perdidiſſe arbitratur. at Paulus ita Chriſto affectus erat, vt pro Chriſti honore optaſſet anathema eſſe à Chriſto, & illis ſibi paratis in cœlo bonis priuari, ſi hoc Chriſti glorię inſeruiret. ſic cum de diſcipulo illo, qui uicinus morti fuerat, loquitur, ait. ſed Dominus miſertus eſt eius. neque enim hoc dixit Paulus ex perſona ſua, qui optabat diſſolui & eſſe cum Chriſto, ſed ſe ad eorum, ad quos ſcribebat, imbecillitatem demittebat. mos enim omnium ferè hominum eſt, lætari cum ex grauiori morbo fuerint recreati. ob hanc itaque cauſam & Dominus hic arctam uiam appellat eam, *quæ ducit ad uitam,* quia ſic carni ac ſenſibus uidetur. qui uerò carnem ſuam crucifixerunt cum uitiis, & concupiſcentiis, longè aliter de illa iudicant. quid enim felicius illa uia eſt, per quam ingredientes impingere non poſſunt? at de hac uia ait Salomon. uia iuſtorum abſque offendiculo. & alius propheta. ſemita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum. illa uerò altera obliquitatibus plena eſt, ſpinoſa, ſcabra, ut in ea frequenter impingere ſit neceſſe. danda ergo opera eſt, ut ſecundum interiorem hominem uiuamus, ſi huius uię pulchritudinem intelligere uolumus. interea tamen dum adhuc ad ſenſus propendemus, & ſi *arcta & anguſta* uidetur, per eam eſt ingrediendum, ſi uitam aſſequi optamus. quis enim non malit per arduam aſperámque uiam ad regnum duci, quàm per amœna prata ad carcerem & crucem? ſed cur dixit, *pauci ſunt, qui inueniunt eam,* & non potius, quemadmodum de illa altera, *qui intrant per eam?* opinor, ut oſtenderet ingens tanti amittendi boni periculum. nam inuenire difficilius eſt, quàm per inuentam ingredi. inuenire agnoſcere eſt. inuênerunt, qui intelligunt, ad quid factus ſit homo, & cur hic poſitus. factus homo eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ut eo in perpetuum fruatur. locus hic, ubi nunc eſt poſitus exilium eſt, è quo feſtinare ſemper ad patriam debet. interea oportet, ut in hac ipſa uita cœleſtem illam repręſentet, quod ut aſſequi poſſit, diuina lex & Euangelica philoſophia promulgata eſt. uerum cum pars maxima exilium pro patria habeat, & tantum ſenſus ſequatur, quod brutorum & ratione carentium animantium eſt proprium, ueriſſimum eſt, quod ait Dominus, paucos eſſe, qui inueniant eam, tantum abeſt, ut per eam ingrediantur. qua etiam in re inſignem hominum deſipientiam licet contemplari. latam, ut diximus, ingrediuntur

Rom. 9.
Phili. 2.
Phili. 1.
Gala. 5.
Pro. 15.
Eſa. 26.
Gen. 1.

diuntur uiam, *quæ ducit ad perditionem*, & tamen uitam ſibi polli-
centur, quod non eſt aliud, quàm opinari, ſe per arctam uiam in-
gredi. ſed uideant miſeri, ſi hoc faciunt. *arcta uia eſt*, cohibere ſen
Eſa. 33. ſus, & facere id, quod Eſaias de iuſtis ait. qui obturat aureis ſuas,
ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne uideat malum, iſte
in excelſis habitabit. *arcta uia eſt*, caſtigare corpus cum Paulo, &
ſeruituti ſubijcere, prohibere à detractationibus, & murmuratio-
nibus linguam, manus à rapina ac cæde, cauere ſcortationes, &
adulteria, ſubuenire oppreſſo, tueri pupillum, & uiduam, ſub-
miſſe ſe gerere, amare paupertatem, paucis contentum eſſe, non
1. *Cor.* quærere quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, & alia huius generis plu-
10. ra. hæc autem omnia neminem ferè aut certè quàm pauciſſimos
amplecti uideo. nec uerentur, ne, cum arctam uiam deſerant, &
ab ea ſe faciant alieniſſimos, & manifeſtè latam teneant, ad perdi-
tionem ferantur, per cuius uiam citato curſu ingrediuntur. *Pauci
ſunt* (inquit) *qui inueniunt eam*. non inueniunt, quia non quærunt,
Luc. 11. nam ueritatis certa ſententia eſt, omnem qui quærat, eſſe inuentu
rum. quotus enim quiſque eſt, qui facta ſua examinet? qui legem
Dei, quæ uiam rectam commonſtrat, ante oculos ponat, & in ea,
Pſal. 1. quemadmodum admonemur, meditetur die ac nocte? qui ex om-
nibus diei ac noctis horis unam ſeponat, ad ſeſe uitamque ſuam di
ſcutiendam? hoc qui faceret, inueniret facile uiam illam, *quæ ducit
ad uitam*, & inuentam mox teneret. qui ſi præterea adderet, latam
illam ne ad hanc quidem uitam eſſe utilem, multò magis huic affi-
ceretur. quid enim infinitus ille habendi ardor, quid opum copia,
quid honorum, uel inquiſitio, uel adeptio, quid uoluptatum in-
temperantia, quid luxus in uictu & cultu denium affert aliud,
quàm curas, ſolicitudines, animi ac corporis diſſolutionem, & to
tius uitæ perturbationem? Sed fieri poteſt, ut multi decipiantur,
qui putant, ſe arctam uiam ingredi, dum exiguum quid incommo
di perpetiuntur. ſed falluntur. non enim hoc ingredi eſt, ſed clau-
dicare, & uideri uelle quidem anguſtam uiam tenere, ſed nolle ab
altera recedere. uis noſſe, quàm arcta ſit hæc uia, *quæ ducit ad ui-*
1. *Pet.* 4. *tam*? audi quid ſcriptum ſit. ſi iuſtus uix ſeruatur, impius & pec-
cator ubi apparebit? audis uix iuſtum ſeruari, & audes ita laxe in-
gredi, & unam cum altera uiam permiſcere? uix aſſequere ſalutem,
totus in unam hanc intentus, & aliò circunſpicere audes? age fin-
gamus

gamus arctiſſimum pontem, qui pedis latitudinem uix æquet, per quem ire oporteat, & lacum traijcere, in quo draconum & aliarum immanium ferarum ingens numerus ſit, quæ cadentem ſint excepturæ ac deuoraturę. fingamus præterea ex utraque huius lacus parte eſſe miræ pulchritudinis ædificia, quæ nunquam alibi uiſa ſint, hortoſque ac uiridaria, quæ omne genus plantarum, fructuum, florum, omnem denique amœnitatem habeant, ut quemlibet inuitare ad ea contemplanda uehementer poſſint. cenſes huc, cui traijcere lacum illum per tam anguſtum pontem neceſſe ſit, oculos ad res tam pulchras auſurum attollere? non profectò. ſed aſpectum omnem ponti ac pedibus affigeret, ſciens ſe minimo quoque lapſu in beſtiarum illarum ora eſſe uenturum. abijceret præterea ueſtes & quicquid impedimento eſſe poſſet, ut quàm expeditiſſimus tam periculoſum iter ageret. quòd ſiquis polliceretur ei maximas opes & regna etiam, ſi illo ſpatio, quo lacum traijceret, oblectare uellet oculos contemplandis tam pulchris circumpoſitis rebus, ualde recuſaret illarum beſtiarum metu. & hæc quidem quiſque ueſtrûm faceret temporariç mortis timore. vbi uerò æternæ mortis minas, & euidentiſſima pericula cernimus, nihil formidabimus? non omnia, quæ impedimento eſſe poſſint, abijciemus? non aſpectum ſemper ad greſſus noſtros defixum habebimus? non precabimur quotidie, ut eripiantur pedes noſtri à lapſu? ut liberemur à *Pſ. 90.*
laqueo uenantium, & à uerbo aſpero? quam ob cauſam cenſetis Paulum admonuiſſe, ut cum timore, & tremore noſtram ipſorum *Phili. 2.*
ſalutem operaremur? qui timor ac tremor in quonam noſtrum cernitur? ubi illa eſt circunſpectio, qua idem Paulus nos uti uolebat, cum diceret. uidete, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſi- *Ephe. 5.*
pientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt? Hæc cogitantes chariſſimi mutemus mentem, & arctam hanc uiam plenè ingrediamur, atque integre. ne illud nobis ab Elia erranti populo dictum obijciatur, uſque quo claudicatis in duas par- *3. Re. 18*
teis? dicamus identidem cum propheta. uias tuas Domine demon- *Pſ. 24.*
ſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. ſi iter anguſtum terret, inſpiciamus finem, ad quem ducit, nempe uitam, eamque æternam, & leuia omnia ac facillima uidebuntur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LXV.

NEſcio, quantum uos ſuperiore oratione, ac illis
Domini uerbis ſitis permoti, me certè rerum magni
tudo & pondus ita affecit, ut ægrè ab illis diuelli poſ
ſim. cum cernam, quanto in periculo uerſemur, qui
uitam nobis polliceamur, nequedum uiam, quę ad
illam ducit, inuenerimus. qui ſi non aliundè, certe ex ijs, quę exi-
guæ huius uitæ commodorum gratia facimus, intelligere debere-
mus, quanto in errore uerſemur, & quanta digni ſimus reprehen-
ſione. uidere licet mercatores, quibus longiores interdum uię ſunt
conficiendæ, non prius iter aggredi, quàm totius uiæ rationem di
ligentiſsimè perquiſierint, & pericula, in quæ incidere posſint, ex-
plorauerint. iter uerò aggresſi, de re eadem inter ſe loquuntur, inter
rogant obuium quenque, & attente circunſpiciunt, num aberrent,
nequid aduerſi ingruat, quod negocium, à quo plurimum lucri
expectant, impedire aut euertere posſit. & illi quidem ut tempora
rium lucrum faciant, tam uigiles ſunt. nos uerò in tam periculoſa
alea, ubi æternitas agitur, ita ſtertimus, tam inertes ac ſomniculo-
ſi ſumus, nunq̃ mutuò conquirimus, non ab alijs diſcere curamus,
num rectum itér teneamus, aut aberremus à uia, perinde quaſi lu-
dicra iſta, non ſeria ſint. aliud exemplum Paulus proponit, de hac
1.Cor.9. eadem re loquens, athletarum uidelicet, & ait. neſcitis, quòd ij,
qui in ſtadio currunt, oẽs quidem currunt, ſed unus accipit brauiũ.
ſic currite, ut comprehendatis, hoc eſt ſtudioſè nõ inerter currite.
Ibidem. quod quo pacto ſit faciẽdum docens addit. omnis aũt, qui in agone
contendit, ab omnibus abſtinet. quod quantò accuratius nobis ſit
Ibidem. faciendum, adhuc ſubdit. & illi quidem ut corruptibilem coronam
accipiant, nos autem incorruptam. & nequis ſuis progresſibus fi-
dat, &, quaſi iam in tuto ſit, pigrius currat, ſuum ipſius exem-
Ibidem. plum proponit. ego itaque (inquiens) ſic curro non quaſi in incer-
tum, ſic pugno non uelut aërem uerberans. ſed caſtigo corpus
meum, & in ſeruitutem redigo, ne, cum alijs prędicauero, ipſe re
probus efficiar. hoc exemplum ſingulis momentis habendum no-
bis ante oculos eſſet, quis enim noſtrum gloriari unquam poterit,
non dico æquaſſe, ſed propius acceſſiſſe ad Pauli perfectionem? &
tamen

tamen uir tantus in quo Chriſtus loquebatur, qui ſpiritus ſancti 1. Co. 13
templum euaſerat, qui ſanctificationem aſſecutus fuerat, qui ra- 2. Co. 12
ptus ad tertium cœlum, & in paradiſum admiſſus audierat arcana
uerba, quæ non licet homini loqui, hic inquam caſtigabat corpus 1. Cor. 9.
ſuum, & in ſeruitutem redigebat, metuens adhuc, ne poſt tam ma
gnifica & generoſa facta, reprobus efficeretur. neque his conten-
tus monitis, exemplum. Iſraelitarum profert, quibus hoc pericu-
lum accidit. & ait. Nolo autem uos ignorare fratres, quòd patres 1. Co. 10
noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, &
omnes in Moſen baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes ean-
dem eſcam ſpiritualem comedebant, & omnes eundem potum ſpi
ritualem bibebant. bibebant enim de ſpirituali, quę eos comitaba
tur, petra, petra autem erat Chriſtus. ſed plures illorum non ap-
probauit Deus, nam proſtrati ſunt in deſerto, hæc autem figura no
ſtri fuerunt. & paulò poſt. ſcripta uerò ſunt hæc propter admoni- *ibidem*.
tionem noſtri, in quos fines ſeculorum peruenerunt. proinde qui
ſibi ſtare uidetur, uideat ne cadat. cernitis quàm cautè, & circun-
ſpectè, & uigilanter agendum ſit homini chriſtiano? quod ſi intel-
ligitis, iudicate nunc uoſmet ipſi ex factis ueſtris, arctam ne, an la-
tam uiam teneatis. quòd ſi in lata uos hactenus fuiſſe deprehendi-
tis, reuocate gradum, mihi credite, & cogitate hanc uitam nobis eſ-
ſe datam, non ad remisſionem, ſed ad laborem. in ſudore (inquit) *Gen.* 3.
uultus tui ueſceris pane. expoſiti ac relegati fuimus in terram exe-
crationi traditam, quæ ſpinas profert & tribulos, quibus eradican-
dis & amputandis ſemper incumbendum eſt, nec unquam ceſſan-
dum. in pugna ſumus, in qua aduerſus terrificos hoſtes eſt decer-
tandum. de quibus ait. non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſan *Eph.* 6.
guinem, hoc eſt, aduerſus hoſtes, qui hiſce corporis oculis cerni
posſint, quod multò eſſet leuius, ſed aduerſus principatus, aduer
ſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſe-
culi huius, aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus. quare iube-
bat, ut aſſumerent fideles uniuerſam armaturam Dei, vt poſſent re
ſiſtere in die malo. perferendorum malorum tempus eſt, non re-
mittendi & laxandi in uoluptates animi. meminerimus quod ſcrip-
tum eſt, oportuiſſe pati Chriſtum, atque ita intrare in gloriam ſuam. *Luc.* 24.
quòd ſi per crucem intrare in gloriam oportuit regem gloriæ, &
eum, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, *Eſa.* 53.

Ttt 2 quid

1.Pet.2 quid nobis faciendum eſt, in quibus à planta pedis uſque ad uerti-
Eſa. 1. cem non eſt ſanitas? audiamus dicentem Dominum, qui uult ueni re poſt me, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. quòd ſi eam libenter feramus, nullum illius pondus ſentie
Mat.11. mus, & inueniemus uerisſimum illud eſſe, quod idem Dominus ait, iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. nam ijs duntaxat grauis eſt crux, qui eam inuiti ferunt. Verum, quando ea, quæ in ſermone Domini ſequuntur, hodie tractanda nobis ſunt, ſatis iſta ſint, quæ ad ſuperiorem orationem pertinent. nunc reliqua pergamus. ſequitur enim. *Cauete autem uobis à pſeudo prophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtitu ouium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces.* facturus dicendi finem Dominus, & hunc clauſurus ſermonem, qui omnem Chriſtianę uitę ſummam complectitur, vt omni ex parte nos muniat, admonet, vt caueamus ab ijs, qui falſam doctrinam ac vitam malitioſè introducunt, & ſpeciem quidem pietatis præferunt, virtutem autem eius ignorant, qui in ipſis naſcentis eccleſiæ initijs apparere cœperunt, neque unquam ſunt deſituri. ad uerſus hos magnum fuit Paulo certamen, & de ijs dicebat. iſtiuſmo-
2.Co.11 di pſeudo apoſtoli operarij doloſi ſunt, ſumpta perſona apoſtolorũ
ibidem. Chriſti. neque id mirum, quandoquidem, ipſe Satanas transfigurat ſe in angelum lucis. non magnum eſt igitur, ſi & miniſtri illius perſonam in ſe transferunt, quaſi ſint miniſtri iuſtitię. quemadmodum autem nullum tentationis genus periculoſius eſt, quàm cum angelus Satanę transfigurat ſe in angelum lucis, ſic nullum genus hominum eſt pernicioſius ijs, qui ſub pietatis ſpecie in errorem ducunt. hos ergo Dominus pulchra ſimilitudine oſtendit, cum dicit, illos venire in veſtitu ouium, ſed intrinſecus eſſe rapaces lupos, & iccirco eſſe periculoſiores. quemadmodum ſi poſſet lupus ouillam pellem induere, multò profectò maiore damno gregem afficeret, quàm cum apertè lupus eſſe conſpicitur. ſed quonam ij pacto dignoſcuntur? *à fructibus* (inquit) *eorum agnoſcetis eos*. & alia rurſus ſimilitudine hoc aperit, dicens, *nunquid colligunt de ſpinis uuas, aut de tribulis ficus? ſic omnis arbor bona fructus bonos facit, putris autem arbor fructus malos facit. non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere.* Quod ait, non poſſe arborem putrem ſeu malam *fructus bonos facere*, ſic eſt accipiendum, quandiu mala eſt, non poſſe eam *bonos fructus ferre*. ſic bonam, quandiu bona,

na,non poſſe *malos fructus ferre*. atque ita non erit neceſſe, naturarum diuerſitatem,bonarum uidelicet ac malarũ introducere, quod olim quidam hæretici ſomniauerunt. multò uerò minus hic locus pro ijs facit,qui fingunt, quoſdam ita à Deo reiectos,ut ſeruari nunquam poſſint,neque fructus ſalutis edere. de quorum peſtilentiſſima doctrina (quando locus hic eſt opportunus) ea tantummodo dicemus,quæ iudicabimus magis neceſſaria, vt & dogmatum integritas,quam hactenus habuiſtis, ſolidior ac firmior in vobis perſeneret,& præterea,ſiqui forte clandeſtinis, ut ſolent, inſinuationibus aliquem ueſtrum aggreſſi ſunt, aut in poſterum aggredi conentur, hoc tanquam antidoto eorum venena propulſetis. aduerſus quos etſi ſuperioribus annis ſcripſimus, ueſtri tamen gratia hic aliqua repetemus,& interea oſtendemus,quàm uerum ſit,quod hic Dominus ait,quòd ſcilicet ueniant in ueſtitu ouium,*ſed intrinſecus ſint lupi rapaces*. ijs enim pietatis uelaminibus obtecta eſt eorum doctrina,ut uerear,ne in ea tempora uenerimus,de quibus prędixit Dominus, futura ea tam periculoſa, ut,ſi fieri poſſit, inducantur in errorem etiam electi. uidete enim, quibus ingrediantur uijs, uidentur uelle in ſuis omnibus dogmatibus hunc unum habere ſcopum, ut gloriȩ Chriſti ſtudeatur,quare dicunt, tam ingens fuiſſe Chriſti Seruatoris beneficium ad parãdam ſalutem noſtram, quòd,ſi exiſtimaremus,facta noſtra eſſe ad comparandam iuſtificationem neceſſaria, hoc eſſet in fide deficere,& uileſceret ſanguis Chriſti,citant que apoſtoli locum dicentis. ſi per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. dicunt,poſtea quàm in Chriſtum credidimus, non imputari nobis quicquid peccamus. dicunt, nos per Chriſtum apud cœleſtem patrem eſſe iuſtos ac ſine peccato propterea, quòd imputat nobis iuſtitiam,habét que nos pro iuſtis coram ſe. quamuis interea ſimus peccatores, & pleni concupiſcentijs ac corrupta uita. dicunt, donari nobis à Chriſto peculiarem fidem, vt credere poſſimus eius Euangelio. dicunt,nos libero deſtitutos arbitrio, quo eius Euangelio obedire poſſimus,aut quicquam agere, quod Deo gratum futurum ſit,ſed Chriſtum efficere,ut omnia operemur. dicũt,Chriſtum ita nos liberos ab omni legis ſeruitute atque onere feciſſe, ut quicunque ſexta feria ac ſabbato carnibus non ueſcitur, is nondum perfectè in Chriſtum crediderit. dicunt,Chriſtum voluiſſe priuato ac peculiari munere eligere nos ac ſeruare,reliquos verò æterno igni cruciandos

2.Pet.3.
1.2.Ti.4.3.
Iud.e.1.
Gala.2.

ciandos relinquere, neque redimere eos voluiſſe, ac ſuam eis largiri gratiam & miſericordiam, quin potius obdurauiſſe, & excæcaſſe, ne ſeruari unquam poſſint, opinor vt hinc agnoſcatur eius in electos benignitas & miſericordia, quos æquè deſtituere potuiſſet. dicunt, nos, qui electi ac prædeſtinati ſumus, interire poſthac nunquā poſſe, quia, cum ſemel electi fuerimus, ac prædeſtinati, neceſſe ſit, nos omnino ſeruari, ſi etiam multis lætalibus peccatis inuoluamur. contra verò, eos, qui non, vti nos, prędeſtinati fuerunt, neceſſe eſſe in tartarum detrudi, quamuis multò minora peccent quàm nos. quia, cum prædeſtinati minimè ſint, eos æterna morte dānari ſit neceſſarium. hæc & eius generis alia dicunt, vt gloria Chriſto addatur. quis non hac ouilla pelle, qua nihil aliud, quàm Chriſtum & eius gloriā quærere ſe profitentur, non facile decipiatur? & tamen ſapientia hęc non eſt è ſupernis profecta, atque hæc æmulatio honoris Chriſti caret ea

Rom. 10. ſcientia, quam Paulus deſiderabat in Iudæis ſua gente, cum dicebat. teſtimonium perhibeo illis, quòd æmulationem quidē Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam: atq; utinam hæc ſit æmulatio, quamuis erroris plena, & non potius peruicacia, in eorum morem, qui acceptam ſemel ſententiam mordicus tenere ac tueri uolunt. quod ut uerear, illud facit, quòd horum errorum admoniti, ab eis non recedunt, ſed acrius tuentur. De his mendacibus magiſtris loqui-

2. Pet. 2. tur Petrus apoſtolus, cum ait. fuerunt & pſeudo prophetæ in populo Dei, ſicut & in uobis erunt magiſtri mendaces, qui introducunt ſectas perditionis, & eum Dominum, qui emit eos, negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem. an non Dominum negant ij, qui impia ſua de prędeſtinatione doctrina euidentisſimè negant eius Diuinam miſericordiam, clementiam, ac paternam charitatem erga quemuis impium, & peccatorem, qui redire ad cor uelit, atque ad ſancti Euangelij ſui obedientiam? qui negant Diuinam gratiam pasſim ad omnes porrigi, neque uolunt eam redemptionem, quæ per Chriſtum facta eſt, fuiſſe à cœleſti patre propoſitam ad totius mundi ſalutem, quod omnes ſcripturæ ſacræ teſtantur, modo per nos minimè ſtet? qui negant ueritatem Diuinarum promisſionum, quę annuntiatæ fuerunt per ſcripturas ſacras in ueram ſanctificationem credentium, & obtemperantium Euangelio, in Diuinæ ueritatis teſtimonium & Chriſtianæ redemptionis? qui negant Chriſtianæ ueritatis doctrinam, quæ eſt, cum aliquem ex animo

mo pœnitet, ac Diuinis præceptis obtemperat, ut adipiſci liceat Chriſtianam iuſtificationem? quare in cauſa fuerunt, cur ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium in libertatem carnis acceptum ſit, non in diſciplinam & uitiorum mortificationem. adulterant Diuinas ſcripturas, vt ſuas fallaces opiniones aſſerant. criminantur Diuinam iuſtitiam in condemnandis ad æternum ignem peccatoribus, ut ſuam prædeſtinationem tueantur, faciúntque crudelem Deum, qui eos eligere ac prædeſtinare noluerit, ſed obdurauerit & excæcauerit, ut conuerti nequeant, & apud Deum gratiam & miſericordiam inuenire. quod in Phalaridas & eiuſmodi immanes tyrannos conuenire quidem poſſet, at non in Deum, qui ſumma eſt bonitas, nec quicquam crudele reperiri in eo poteſt. Verum, cum ij à nobis reprehenduntur, in hac pręſertim parte, quòd Deum crudelem & immanem faciant, reſpondent, nos in Diuinis rebus non debere humanis rationibus regi, quin ingenteis tragœdias excitant in humanę rationis ſubſannationem, nempe ut eorum ſectatores falſam illorum doctrinam ſequantur tanquam bruta animantia. & hęc quidem propterea faciunt, quod ignorant (nolo enim omnia eorum peccata malitiæ aſcribere) quid ſit humana ratio. quæ uirtus quædam eſt naturę hominum à Deo indita, ut per eam regeremur ſecundum Dei uoluntatem. & ſecundum hanc rationem ad Dei imaginem & ſimilitudinem facti ſumus, qua ſi quando abutimur aduerſus Deum, & prauè interpretandis Diuinis ſcripturis, non ea ratio eſt, ſed deflexio à ratione. Quoniam itaque eſt in homine uirtus hęc rationis à Deo inditę, iccirco quoties agit Deus cum homine, ut de more ſeſe ad conſuetudinem noſtram demittat, ſemper hac utitur ratione. quare Diuinæ eius ſcripturę nobis non ſine ratione, ſed ſumma cum ratione loquuntur. quòd ſi ſcripturę ipſæ ſanctę fundamento hoc utuntur rationis, cur eas ſine humana prorſus ratione uolumus interpretari? quę eſt hęc deſipientia, nolle hominem, qui iccirco homo eſt, quòd ratione eſt pręditum animal, uti ea re in ijs, quę ſalutem nobis annuntiant, quam uoluit Deus eſſe hominis propriam? hac ſublata ratione, quid Diuinitas ipſa agat in homine? cur obſecro ij tam uehemẽter humanam rationem deijciunt? niſi forte ipſi Diuino iudicio ea ſunt prorſus deſtituti. nam in hoc toti incumbunt, ut naturam noſtram deprimant, & ratione carentibus animantibus faciant ignobiliorem, dum omnem

Gen. 1.

illi

illi adimunt arbitrij libertatem, & uim omnem qua uelint in rectè facta incumbere. ex quo ſequitur, ut noſtrorum inique factorum culpam in Deum reijciant, & eius gratiam. at Diuinę ſcripturę contraria prorſus ingrediuntur uia. nam uehementer naturam noſtram extollunt, & eam dignitatem, quam illi indidit Deus. ut agnoſcens homo, quàm excelſus conditus ſit, uel pudore cogatur honeſtè uiuere, ac ſuę dignitati reſpondere. quòd ſi legimus. homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, non de ipſa generatim natura eſt, ſed de ijs, qui, cum deberent ac poſſent uitam agere ſuæ dignitati conſentaneam, ſpernunt tam ingens bonum, & moribus ac uita ad bruta animantia ſe demittunt. hęc itaque prophetę uerba admonent potius hominem erroris ſui, quòd tam incogitanter ſuã deijciat dignitatem. In eundem modum Ioannes apoſtolus, vbi ait, Deum eſſe lucem, & tenebras vllas in eo non eſſe, admonet, nos, qui ab ea luce ſecundum interiorem hominem proficiſcimur, debere in ea luce ambulare, vt dicere liceat, & nos cum Deo habere ſocietatem, quatenus ad Diuinam eius imaginem ac ſimilitudinem facti ſumus. quòd ſi dixerimus(inquit)quòd ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritas in nobis non eſt. quare addit. ſi autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus inuicem, & ſanguis Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato. hic itaque apoſtolus non deprimit, ſed attollit naturam noſtram, ut eius contemplatione dignitatis aſſurgamus, & honeſtè ac cum uirtute uiuamus. atque hoc non eſt imminuere quicquam de Diuina gloria, & eam naturę noſtrę dare. quid enim habes(ait Paulus)quod non acceperis? quòd ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? tantum uerò ab eſt, ut liceat homini ſeſe ita humilem atque abiectum reddere, ut nullam aliam ob cauſam Deus in ęternum ignem peccatores ſit relegaturus, niſi quòd turpiter & indecore uixerint, neque ſuam, cum poſſent, agnoſcere uoluerint dignitatem. at ij, qui iſta aduerſus humanę naturæ dignitatem ſomniant, ipſis mihi uidentur ethnicis deteriores. audi enim quid quidam ex eis dicat. Qui ſeipſum norit(inquit)primum aliquid ſe habere ſentiet Diuinum, ingeniúm que in ſe ſuum ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum putabit, tantó que munere Dei ſemper dignum aliquid & faciet & ſentiet. & qui ſe ipſe

Pſal. 48. *1. Ioa.* 5. *ibidem.* *1. Cor.* 4.

ipſe perſpexerit, totúm que tentarit, intelliget, quemadmodum à natura ſubornatus in vitam venerit, quantá que inſtruméta habeat ad obtinendam adipiſcendám que ſapientiam. En hominem ethnicum intelligere, quantam vim habeat ad rectè honeſté que uiuendum ſuæ dignitatis conſideratio. uidete uerò quàm contraria iſti ſibimet ipſis dicant. cum enim prohibeant nos vti humana ratione, ipſi tamen vt ſua dogmata tueantur, ad philoſophiæ humanæ argumenta cõfugiunt, quę philoſophia proculdubio ab humana ratione tota profecta eſt. dicunt enim, eos, quos Deus præuiderit eſſe ſeruandos, non poſſe vnquam interire, ſi etiam aſſiduè in carnis delicijs & mundi voluptatibus viuant. contra verò, ęos, quos ipſe præuiderit eſſe damnandos, nunquam ſeruari poſſe, quantumlibet cunque in recte facta incumbant, & quantumcunq; agant pœnitentiam. alioqui fore, vt Diuina præſcientia mentiatur. at hę ſunt humanę philoſophię ratiocinationes, quam damnãs Paulus ait. videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, & non ſecundum Euangelium. nam philoſophia & humana ſapientia apertiſſimè contra veritatem, iuſtitiam, & miſericordiam Dei ſic ait. Deus, cum ipſa ſit ſapientia, ſine vlla dubitatione pręuidit in ſua pręſcientia finem creaturarum omnium, & ſalutem cuiuſque ac condemnationem. cum verò ſit hæc Diuina pręſcientia inſuperabilis, ac falli non poſſit, ij proculdubio, quos Deus præuidit eſſe ſeruandos, damnari nunquã poterunt, & quos ipſe damnandos pręuidit, ſeruari non poterunt, quantumlibet & illi malè, & hi bene fecerint. & hoc (inquiunt) Deus facit, ne ſuperetur ab hominibus, né ue mendacem ſuam pręſcientiam faciat. qua facta argumentatione, licebit cuique Chriſtiano perditiſſimè viuere, quandoquidem qui ſeruandi ſunt, ijs certa eſt promiſſio. qui verò damnandi, dicere poſſunt cum propheta. comedamus & bibamus, cras enim moriemur, ne, ſi tantum in hac vita in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſimus omnibus hominibus. cernis quem ad finem humana ducat philoſophia? at Diuinę ſcripturę prorſus ex aduerſo ſtant, in quibus Deus pollicetur paſſim omnibus ſalutem, quos ex animo peccatorum ſuorum voluerit pœnitere. atque id iuramento confirmat. viuo ego (inquiens) dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed ut conuertatur impius à via ſua mala & viuat. & quàre moriemini domus Iſraël? conuertimini & viuetis.

Col. 2.

Eſa. 22.

Eze. 33.

Eze. 18.

viuetis. non eſt enim uoluntatis meę, ut pereat impius, ſed ut magis conuertatur & uiuat. in quacunque enim hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. inuitat Deus, vt conuertatur peccator, & negabit illi ſuam gratiam, ſi conuerti voluerit? aut non poterit velle, qui inuitatur, vt velit? ecce facultatem, vt quis ſeruetur, Deum poſuiſſe in hominis arbitrio, non in ſua pręſcientia reſeruauiſſe, quæ tamen pręſcientia nihil de ſua maieſtate perdit, cum non propterea fallitur, quòd ſemper in hominis poteſtate eſſe velit, vt ſeruetur, ſed utrunque ſtat, ut & præſciat ſine vllo errore, quę futura ſunt, & nunquam prohibeatur peccator, neque Diuina gratia deſtituatur, ſi eam velit, & toto corde ad Deum
Ier. 18. reuertatur. quocirca alibi dicitur. ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos domus Iſraël in manu mea. repente loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem & deſtruam & diſperdam illud. ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei. & ſubitò loquar de gente & regno, vt ædificem & plantem illud. ſi fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum, vt facerem ei: Hęc eſt illa Diuina, longè à philoſophię humanę definitione diuerſa præſcientia, quam ex ſcripturis ſacris Deus nobis commonſtrat. & impletur quod ait apoſtolus, nónne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? ſicut ſcriptum eſt. Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. nam Diuinæ ſcripturę apertè aduerſantur ijs, qui dicunt, eos, quos pręuidit Deus condemnandos aut ſeruandos, non poſſe non aut damnari aut ſeruari. ob hanc cauſam, in eiuſmodi auctoritatibus in noſtram fiduciam & viuam ſpem ſuæ miſericordiæ & cœleſtium promiſſionum, noluit Deus mentionem vllam ſuæ pręſcientiæ facere, quod ad priuatam cuiuſque vel ſalutem vel damnationem pertinet, ſed ſolum meminit ſuę fine carentis & inextinctę miſericordię, & certiſſimarum ac fidiſſimarum promiſſionum ſuarum, vt eiuſmodi philoſophicas argumentationes ac definitiones contemnamus: uerum, quando res, qua de nunc agimus, maximi eſt momenti, atque ad rectè viuendi rationem maximè pertinet, nec non ad confirmandos in ſpe Diuinę ueritatis & miſericordiæ animos, operę pretium erit, eas uel rationes uel auctoritates in medium ponere, quibus iſti in ſuis

1. Co. 1. *Eſa. 9.* *Abd. 1.*

pernicioſis

perniciosis dogmatibus nituntur, vt ijs confutatis, & demonſtrata Diuinarum ſcripturarum veritate, regia via ingrediamur, neque ad dextram neque ad ſiniſtram deflectentes. ſed, quando iam hodie multa diximus, vtilius erit, ea, quæ reſtant dicenda, in alium diem differre. ſic enim locus ille animi noſtri ſtomachus hæc per temporis interualla melius concoquet, quæ concoctio in vitam proficiet ſempiternam. Iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto; cui cum patre, & ſpiritu ſancto eſt honor, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LXVI.

EXIGVO mihi paſtori faciendum eſt, quod magno illi paſtori Petro curę fuiſſe, in eius epiſtolis legimus: ſic enim ait. dabo ſemper operam, ut uos poſt exitum meum horum mentionem facere poſsitis. non contentus uidelicet eo, quod, dum in hac uita eſſet, efficere ſatagebat. quod ſignificant uerba, quę pręceſſerant, ubi dixit. iuſtum arbitror, quandiu ſum in hoc tabernaculo, excitare uos per commonitionem, cum ſciam breui futurum, ut deponam hoc tabernaculum meum. deinde adiecit. quin & dabo ſemper operam, ut uos poſt exitum meum horum mentionem facere poſsitis. ut ergo & uos, cum à uobis emigraro, inſtructi & armati aduerſus eiuſmodi peſtilentiſsimas hęreſes eſſe poſsitis, age perſequamur, quę ſuperiori oratione dici à nobis cœpta ſunt. quę iccirco etiam ſcriptis mandabimus, ut poſteri ac nepotes veſtri æquè atque uos, ſint muniti. non autem omnia eorum attingemus breuitatis gratia, ſed ea duntaxat, quę magis uiſa fuerint admonitu neceſſaria. Totius erroris eorum fundamentum eſt, quod tamen & cum alijs hæreticis commune eſt, praua Diuinarum ſcripturarum interpretatio, qua fortaſſe initio ob imperitiam ſunt uſi, ſed uidentur demum (ut ſuperiori oratione attigimus) non tam ob ignorantiam plerique eorum peccauiſſe, quàm ut ſuam ſententiam mordicus tenerent, ac tuerentur. pręcipuus autem illorum eſt error, unde alij plurimi proficiſcuntur, in mala de pręd eſtinatione Diuina, interpretatione, de qua

2.Pet.1.

ibidem.

etſi ſuperiori oratione locuti aliquid ſumus, nonnulla tamen adij-
cienda adhuc ſunt, ut fundamenta, quibus nituntur, euertamus,
& ueram intelligentiam ſcripturarum Diuino adiuuante lumine
aperiamus. cum enim humanum genus duas in partes diuidant,
vnam eorum, qui electi, alteram eorum, qui reprobi appellantur,
& alteros nunquam damnari, alteros nunquam ſeruari poſſe, ni-
Rom. 9. tuntur potiſsimum verbis apoſtoli, vbi ait. vt ſecundum electio-
nem propoſitum Dei maneret. & totum illud nonum ad Roma-
nos caput putant pro ſe facere, & ob eam cauſam loca alia omnia,
quę illis aduerſantur, uiolentiſsima interpretatione in ſuam ſenten-
tiam detorquent, quod quàm impudenter faciant, ſcire operæpre-
Eze. 33. tium eſt. cum enim legunt, nolo mortem impij, ſed vt magis con-
Rom. 2. uertatur à via ſua mala, & viuat. &, non eſt acceptio perſonarum
2. Pet. 3. apud Deum, ſed eſt diues in omnes, qui inuocant illum. &, patien-
ter agit Deus, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuer
ti, & ſexcenta alia, quibus ſcripturę ſacræ plenę ſunt. reſpondent, hęc
ad electos duntaxat pertinere. at quo pacto id fieri poteſt, ſi non eſt
1. Ti. 2. acceptio perſonarum apud Deum? ſi (ut ait Paulus) vult omnes ho
mines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? audis hic per
eum non ſtare, quin omnes ſeruentur, & tu illud vniuerſale apertiſ
ſimum ad neſcio quos electos tuos contrahis? qua id fronte? admo
net alibi Paulus, obſtinationem hominum eſſe, quæ eos damnet,
Rom. 2. non Dei ſubductionem gratiæ, cum ait. ignoras, quòd benignitas
Dei ad pœnitentiam te adducit, ſecundum autem duritiam tuam, &
cor pœnitere neſcium, recondis tibi iram in die irę, & reuelationis
iuſti iudicij Dei. tu verò culpam in Deum reijcis, quòd ſcilicet repro
bis non ſolum gratiam pręſtare nolit, ſed potius obduret atque excę
cet, ne eos pœniteat, & miſericordiam conſequantur, cum contra-
rium Paulus dicat, Deum ſua lenitate inuitare peccatores ad pœni-
tentiam? atque hoc gloriæ Dei cedere opinaris, quod de homine di
ctum optimus quiſque auerſaretur? Ex hac erroris opinione illud
quoque nefandisſimum ſequi volunt, Diuinas promisſiones, &
cruentam Chriſti mortem ad electos tantum pertinere. at Chriſtus
1. Io. 1. (ait Ioannes apoſtolus) eſt propitiatio pro peccatis non ſolum no-
ſtris, ſed totius mundi. cernis hęc verba totum mundum comple-
cti? quid verò apertius, ad hanc inſaniam refutandam, illis Pauli
Rom. 14. verbis, cum ait. noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mor
tuus

tuus eſt? & rurſus. peribit in tua ſcientia frater, pro quo Chriſtus *ibidem.*
mortuus eſt? audis illum periturum, pro quo tamen Chriſtus mor
tuus eſt? ſed ij aut ſua malitia omnino obduruerunt, aut falluntur
in eorum morem, qui, cum diu in aſpectum niuis oculos defixe-
rint, vbi aliud aſpiciunt, omnia eis niuis colorem habere videntur.
quare amiſſo omni iudicio, quò expedire ſe magis putant, in eò
plures ſemper laqueos induunt, & vertiginem quandam patiun-
tur, vt rectà ingredi neſciant, de quibus ſcriptum eſt. in circuitu *Pſ. 11.*
impij ambulant. & alibi. Deus meus pone illos vt rotam. Verum, *Pſ. 82.*
quando iſti nolunt intelligere, vt bene agant, & facti ſunt ij, de qui *Pſ. 35.*
bus ſpiritus ſanctus locutus eſt per Eſaiam prophetam. auribus au- *Eſa. 6.*
dietis, & non intelligetis. vos audite, quid hac in re ſit tenendum, *Act. 28.*
quídue Diuinę ſcripturæ veteris ac noui teſtamenti doceant. Deus
enim ſua benignitate uoluit, vt per vnigenitum filium ſuum totum
genus hominum ſeruaretur, quod genus per Seruatorem noſtrum
& Dominum Ieſum Chriſtum, eiúsque redemptionem æquè to-
tum electum & deſcriptum eſt in libro vitæ. verum hæc redemptio
ſub conditione facta fuit, quemadmodum etiam ante primi paren-
tis Adæ peccatum accidit, cui poſtea, quàm Diuina gratia ac volun
tate creatus fuerat immortalis, atque in paradiſo voluptatis poſitus, *Gen. 2.*
præcepit, ne veſceretur ex ligno ſcientiæ boni ac mali, alioqui fore,
vt moreretur. is verò non obtemperans, ipſe ſe tanto bono atque
immortalitatis munere priuauit. idem ipſum fecit Deus in hac ſe-
cunda humani generis electione, cum propoſuit filium ſuum, vt
per eius cruentam mortem redimeremur, ac ſeruaremur. hac in-
quam conditione, vt obediamus Diuinę maieſtati ſuę, & virtuti ac
rectè factis operam demus, fidentes interea Diuinę charitati ac mi-
ſericordię, alioqui delendi de libro vitæ, in quem ſcripti fueramus,
& à iuſtisſimo Deo in Geennam ęternósque cruciatus relegandi.
quare, niſi per nos ſtet, ſcripti omnes ſumus in libro vitę, de quo
niſi noſtro vitio non delebimur, ſicut in Apocalypſi dicitur. qui vi *Apo. 3.*
cerit, non delebo cum de libro vitæ. quæ verba duo complectun-
tur, & conditionem videlicet, ſi vicerit, & quòd deleri poſſit, qui
ſe non ſtrenuè geſſerit. ſi enim qui ſemel ſcriptus in eo eſt, deleri,
vt iſti prædeſtinatores volunt, de eo libro non poſſet, non hoc lo-
quendi modo vſa fuiſſet ſcriptura. quę enim fixa, atque immòta
ſunt, neque aliter eſſe poſſunt, alio dicendi modo pronuntiantur.
quis

quis enim dicat, ſi Deus ſemper vixerit, erit hoc vel illud? aut ſi-
quis iureiurando decreuiſſet aliquem habere in filium, & hęredem
ſuarum facultatum omnino relinquere, ſi etiam perditisſimè victu
rus eſſet, num diceret, ſi honeſtè ſe geſſerit, erit mihi filius atque
hæres? ſic ſi iſti horum prædeſtinantium electi deleri de libro vitæ
Apo.3. non poſſunt, ridiculum erat dicere: qui vicerit, non delebo eum
de libro vitæ. fixum ergo ſtet, omnes æque, niſi nobis deeſſe volu
mus, ſcriptos eſſe in libro vitæ, & per Chriſtianam redemptionem
nihil de prima morte parentis primi exoluendum, niſi corpoream
pœnam, mortis que dormitionem. verum ſi obedire neglexeri-
mus, ſecundam mortem nos manere, de qua item in Apocalypſi
Apo.2. fit mentio, vbi dicitur. qui uicerit, non lædetur à morte ſecunda.
Eze. 18. atque hoc eſt, quod per Ezechielem dicitur: filius non portabit ini
quitatem patris, quod videlicet ad primam æternam mortem atti-
ibidem. tinet ob primi parentis peccatum. ſed anima quæ peccauerit, ipſa
morietur, ſecunda uidelicet morte. Neque verò tantum Chriſtus
redemit nos ac liberauit à primi parentis condemnatione, verum
etiam à priuatis peccatis noſtris, modo nos ex animo pœniteat, &
eius bonitate ac miſericordia fidamus. atque hoc eſt, quod dicebat
Rom.5. apoſtolus. non ſicut delictum ita & donum. nam iudicium ex vno
in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificatio-
nem. hęc gratia communis eſt omnibus volentibus eam, ad quam in
Ioan. 7. uitabat Chriſtus omnes, cum dicebat. ſiquis ſitit, ueniat ad me &
& bibat. qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura (quę nimirum teſti-
monium de illo perhibet) flumina de uentre eius fluent aquę uiuæ.
Oſe.13. quod donum qui non aſſequitur, ſibi imputet. nam perditio (in-
quit) tua ex te Iſraël, ſalus autem mea. atque ut oſtenderet Deus, ſe
nihil prętermiſiſſe, quod ad eos ſeruandos pertineret, dicebat. quid
Eſa. 5. debui facere uineę meę, & non feci? qui ſi gratiam ſuam ſubduxiſ-
Mat.25. ſet, quemadmodum iſti uolunt, non ea protuliſſet uerba. quin &
Luc. 13. in iudicio cum damnabit Chriſtus peccatores, hanc condemnatio-
nem referet acceptam eorum iniquè factis, & quòd nō ſuccurrerint
pauperum neceſſitatibus. quod ſi facere non potuiſſent ob gratiæ
ſubductionem, ſine qua fieri nihil boni poteſt, ſine me (inquit)
Ioan.15. nihil poteſtis facere, quid attinebit, eos de re illa reprehendere, atq;
adeo condemnare, quàm præſtare non potuiſſent? ſic Diuinæ ſcri-
pturæ non reijciunt culpam in deſtitutionem Diuinæ gratię, neque

in primi parentis peccatum (quod iſti prædeſtinatores faciunt cur) Cain execrationi ſit datus, ſed illius peſſimo & cruento in fratrem animo. ſic in originalis mundi interitu, & Sodomæ ac Gomorræ euerſione, & reliquis, quicunque execrationi ſunt traditi, culpa reijcitur in eos ipſos, qui Diuinis præceptis obedire contempſerunt. Quod verò ad electionem pertinet, de qua dudum inſtitutus eſt ſermo, verum quidem eſt, nos ſola gratia & Diuina voluntate, non ex operibus iuſtitię (vt ait Paulus) quę nos fecerimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam eſſe ſeruatos, ſed poſtea, quàm nos elegit, ut ſimus ei in regnum, & Diuinitatis eius templum per filij ſui mortem & reſurrectionem, oportet, ut eius uoluntati obtemperemus, & accipiamus illius promiſſiones, atq; ita fidamus eius benignitate, ut meminerimus interea, niſi obedierimus, nos ad ſempiternos Geennæ ignes eſſe condemnandos. quare neceſſe eſt, ut nos ſuperioris malè actæ uitæ pœniteat, Diuinis que illius pręceptis obediamus, ſperemús que & fidamus illius promiſſionibus, & paternę miſericordiæ, ſi Chriſtianam redemptionem aſſequi & cœleſte regnum uolumus, atque ęternas pœnas euadere. Et hæc profectò uera eſt prophetica & apoſtolica doctrina, quę dat omnibus ſempér que dedit uiuam eorum ſalutis ſpem, & paternę miſericordiæ conſequendæ. quod hæc horum impia doctrina nó pręſtat, quę pręter blaſphemiam, qua Diuinæ gratię & iuſtitiæ notam inurunt ob impœnitentiam & damnationem peccatorum, illud addunt, ut quiſq; de Chriſtiana redemptione dubitet, uereatúr que ne ex ijs non ſit, quos elegerit Deus, dum iſti nolunt, omnes ex æquo, ſi uelint, eſſe illius participes poſſe. quare in deſperationem miſeros homines adigunt. Illud quoque ſciendum eſt, ubi Diuinę ſcripturæ electorum mentionem faciunt, non ſelectam quandam quandam electionem quorundam hominum ſignificari, ut ij eligantur, illi reijciantur; quemadmodum proteſtantium error prędicat. ſed intelligitur electio, qua Deus ſua gratia & Diuina bonitate uoluit redimere ac ſeruare humanum genus per unigeniti ſui cruentam mortem, ijs tamen conditionibus, quas ſupra commemorauimus, ut ſcilicet pœnitentiam ageremus, crederemús que illius promiſſionibus, & in rectis honeſtis que factis uiueremus. hos, qui hac ingrediuntur uia ſcripturæ ſanctę electos appellant. qua tamen electione unuſquiſque priuare ſe ipſe poteſt, ſi nolit à peccato diſcedere,

Gen. 4. *Gen. 19.* *Tit. 3.*

dere, & in fide atq; obedientia Dei uitam agere, ſicut ſcriptum eſt.
Exo. 32. qui peccauerit mihi, delebo eum de libro uitæ. & in Apocalypſi. ſi-
Apo. 22. quis minuerit de uerbis prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro uitæ, & de ciuitatę ſancta Ieruſalem. quibus geminis auctoritatibus quid euidentius dici poteſt ad refellendam horum impietatem, qui volunt Deum vti ſelectione, & electos nullo pacto damnari poſſe? ſi deleri de libro vitę dãnari eſt, & qui iam ſcriptus eſt, deleri poteſt, neceſſariò ſequitur, alios etiam prętet eos, qui ſeruabuntur, ſcriptos eſſe in eo libro, quos pollicetur ſe deleturum, qui videlicet ſibi peccauerint. Idem autem ipſum, quod in hominum genere factum eſt, in angelis accidit, qui, cum electi omnes fuiſſent, vt Deo fruerentur, qui tamen neglexerunt in ea electione ſtare, me-
Iudæ. 1. ritò fuerunt condemnati de quibus ſcriptum eſt. angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit. & hęc quidem, quam diximus, electio eſt, quæ ad ſalutem totius generis noſtri pertinet. Eſt verò alia priuata quorundam electio, qua Deus quoſdam ſeligit ad priuatum aliquod miniſte-
Exo. 3. rium, & ipſius humani generis regimen. ſic elegit Deus Moſen & Aaron ad populi regimen, & ſacerdotalis officij munus. Saulem & Dauid ad regnum. prophetas omnes atque apoſtolos. icirco dice-
Ioan. 15. bat apoſtolis Dominus. non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui uos, vt eatis & fructum afferatis. & quamuis ij priuato ac ſelecto hoc munere donati eſſent, priuare ſe tamen eo poterant, niſi Diuinis pręceptis obtemperarent. nam Moſes atque Aaron, qui electi fuerant, vt populum in terram promiſſam introducerent, quia
Nu. 20. tamen irritauerunt Deum ad aquas contradictionis, non potuerunt
Pſ. 105. in eam intrare. ſicut ſcriptum eſt. quia non credidiſtis verbis meis,
Nu. 14. non intrabitis in terram promiſſam. ſic duo filij Aaron Nadab & A-
Luc. 10. biu, dum alienum ignem offerrent, interfecti ſunt. ſic Saul reiectus,
1. *Re.* 15 ſic Iudas præuaricatus ab apoſtolatu excidit. In eundem modum
Act. 1. cum ſacræ literæ de prædeſtinatione loquuntur, non priuatam quorundam ſelectorum hominum, vt prædeſtinatores ſomniant, electionem intelligunt, ſed peculiarem dignitatem credentium ſub Euangelio, quam veteris teſtamenti patres conſequi non potuerunt. non enim illi promiſſiones ſpirituales, atque id, quod eorum ſacrificia ac cerimoniæ ſignabant, ſunt aſſecuti, niſi imputatione quadam

dam, cum nondum facta eſſet Chriſtiana redemptio. quam ob cauſam dixit apoſtolus. credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam, quam ſcilicet per Chriſtum erat conſecuturus. at fideles noui teſtamenti re ipſa per fidem & obedientiam, quam præſtant Euangelio, conſequuntur cœleſtes ac ſpirituales promisſiones, quibus viui filij Dei efficiuntur, vt Euangeliſta Ioannes teſtatur, cum ait. quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius. quę cogitans Paulus, in gratiarum actionem erumpit per hęc verba. benedictus Deus, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, ſicut elegit nos in ipſo, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, qui prędeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum. de nobis enim dictum fuit. effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. & alibi. auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri. & rurſum. circuncidet Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua. &, vocabunt eos, populus ſanctus, redempti à Domino. &, omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quòd iſti ſint ſemen, cui benedixit Dominus, & ſexcenta alia eius generis. In hunc ergo modum ſe habet hæc prędeſtinatio, cuius eſſe participes omnes poſſumus, iuuante Dei gratia, quę nemini deeſt, qui eam velit, & eam ſine perſonarum acceptione omnibus impertitur. ſi enim ſub lege veteri non prohibebantur ethnici ad fidem venire, & Diuinæ legis obedientiam, vt teſtatur Eſaias, cum ait. non dicat filius aduenę, qui adhęret Domino, ſeparatione ſeparauit me Dominus à populo ſuo, quantò magis noui teſtamenti gratia omnibus communis eſſe debet, cum Euangelij nuntijs imperatum & dictum ſit. euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturę. qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur? cernis etiam minas intentari, vt vel metu trahantur homines ad ſalutem? & hi nolunt redemptionem hanc omnibus eſſe communem, & pasſionem ac mortem Chriſti non eſſe factam pro ijs, quos Deus abiecit & obdurauit, putántque pro ſe facere ad ſuam prędeſtinationem confirmandam, quod ait Paulus. cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. verum, quia ad caput no-

Rom 4. *Ioan. 1.* *Eph. 1.* *Eza. 36.* *ibidem.* *Deu. 30.* *Eſa. 62.* *Eſa. 61.* *Eſa. 56.* *Ma. 16.* *Rom. 9.*

num epiſtolę ad Romanos, vbi hæc auctoritas eſt, iſti potiſſimum tanquam ad aſylum quoddam confugiunt, quo ſe tueantur, dum illud prauè interpretantur, aſſignauimus ſuam orationem illi capiti interpretando. nunc illud tantum breuiter dicemus: Paulum diſputare & reſpondere ambiguitatibus ac quæſtionibus Iudæorũ, cur Deus abiecerit Iſraëlitas & gentes accerſiuerit, atque oſtendit, cur hoc iuſtè potuerit facere, & iuſta fuerit illius voluntas, & iuſtè

Pſ. 117. permiſerit, vt lapis ille, quem reprobauerunt, factus ſit illis in la-

Eſa. 28. pidem offenſionis & petram ſcandali, & miſericordiam exercuerit

Ro. 9. in gentes, quæ Euangelium receperunt. de ijs enim gentibus dicit,

ibidem. cuius vult miſeretur, de Iudæis verò, quem vult indurat. neque verò hic loquitur, quod prędeſtinatores volunt, quòd Deus partem vnam humani generis elegerit ad gloriam, alteram abiecerit. quòd

Rom. 9. verò ita ſit, ipſe ſe eodem capite aperit. ait enim. quid ergo dicemus? quòd gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem, quę eſt ex fide. Iſraël verò ſectando legem iuſtitiæ in legem iuſtitiæ non peruenit. quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus, hoc eſt, iuſtificare ſemet ipſos volebant ea iuſtitia, quam operibus legis comparabant, non ea, quam

Aba. 2. bant ea iuſtitia, quam operibus legis comparabant, non ea; quam

Rom. 1. Deus illis præſtabat per fidem, in Euangelium Chriſti, quemadmo

Oſe. 2. dum illis ante promiſerat. iuſtus (inquiens) ex fide viuet. & deſpon

Eſa. 28. ſabo te mihi in fide. & ob hanc cauſam offenderunt (ait Paulus) in

Rom. 9. lapidem offenſionis & petram ſcandali. quod verò hoc eorum cul-

1. Pet. 2. pa factum ſit, idem Paulus demonſtrat, cum ait. propter ſuam in-

Rom. 11. credulitatem fracti ſunt rami. non quòd defuerit eis gratia Dei, ut hi nouatores uolunt, ſed quòd ipſi gratiam reiecerint. quemadmo-

Mat. 23. dum obiecit illis Dominus, cum dixit. Ieruſalem Ieruſalem, quæ

Luc. 13. occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. ob ſuam ergo incredulitatem digni facti ſunt, in quos mitteret Deus ſpiritum erroris & caliginis, hoc eſt, permitteret illos in ſua obduratione magis in dies excæcari, & ex Euangelica luce accreſcere ſibi tenebras. nam Deus malorum auctor non eſt, ſicut nec

Iac. 1. creſcere ſibi tenebras. nam Deus malorum auctor non eſt, ſicut nec ſol tenebrarum, ſed ſicut homo dum lumine ſolis abutitur, ex lumine tenebras ſibi comparat, ſic qui Euangelio aduerſatur, in caliginem & erroris tenebras incidit. Vbi ſciendum eſt, in ſcripturis ſa-

cris duo obdurationis genera inueniri, vnum, quo Deus obdurat eos, qui eius gratiæ ac Diuino Euangelio reſiſtunt, in quorum numero erant ij, quos Stephanus reprehendens dicebat. dura ceruice *Act. 7.* & incircuncisi corde & auribus. vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. & hæc obduratio à corde auferri non poteſt ſine ſingulari Dei gratia. aliud genus obdurationis à noſtris deprauatis moribus proficiſcitur, dum ſine vllo Dei timore viuimus in terrenis appetitionibus & concupiſcentijs carnis, quæ obduratio plerunque ſenſim ſine ſenſu irrepit. quod vir quidam pius, ſapientisſimè deſcribens ait. Multis, quod præ amaritudine prius exhorrebant, vſu ipſo malè in dulce conuerſum eſt. primum tibi importabile videbitur aliquid. proceſſu temporis, ſi aſſueſcas, iudicabis non adeo graue. paulò poſt & leue ſenties, paulò poſt nec ſenties, paulò poſt etiam delectabit. ita paulatim in cordis duritiem itur, & ex ea in auerſionem. hęc ille. neque hanc obdurationem aduertunt homines, & tamen hoc pacto fit cor durum & inflexibile, quod neque ad precandum Deum, neque ad eleemoſynas, ad pietatem, ad continentiam, ſobrietatem, fraternam charitatem, cæterá que Chriſtiani hominis opera inclinamur. quæ cum deſunt, non poteſt homo credere & ſpem habere Diuinis promisſionibus, & Chriſtianæ redemptioni. nihil enim eſt, quod tam hebetet atque obtundat mentem, & eam auertat à fiducia in Deum, vt hæc vitæ morúm que deprauatio, qua fit, vt cum tentator nos inuadit, facilè demus manus, & eius tentationibus ſuccumbamus, & fiat in nobis, quod in Apocalypſi dicitur. quia tepidus es, incipiam euomere te ex ore meo. hæc itaque *Apo. 3.* obduratio, quam nosmet ipſi nobis facimus ob turpem & vitioſam vitam aduerſus Euangelij obedientiam, multò eſt periculoſisſima, ſed ab hac poſſumus ſurgere, excitante nos Dei gratia, quæ nemini deeſt, qui ipſe ſibi deeſſe nolit. ad quod faciendum ſcripturæ Diuinæ omnes adhortantur & inuitant. conuertimini (inquit) & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis *Ez. 18.* in ruinam iniquitas. proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum. & quare moriemini domus Iſraël? quia nolo mortem morientis dicit Dominus, reuertimini & uiuite. & alibi. circuncidite pręputium cordis ueſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius. & minas interdū adijcit, ut fortius trahat. quòd ſi nolue *Deu. 10.* *Eſa. 1.*

ritis(inquit)atq; ad iracundiam me prouocaueritis, gladius deuora-
bit uos, quia os Domini locutum eſt. qui quàm uehementer ad mi-
ſerendum ſit propenſus, cum alibi ſæpe, tum in Niniuitarum exem-
plo euidentiſſimè oſtendit. in quos cum Ionam promulgare ſenten-
tiam iuſſiſſet, fore, ut poſt quadraginta dies magna illa ciuitas tota
ſubuerteretur, nulla appoſita conditione. abſolutè enim dixit. ad-
Ioan. 3. huc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. benigniſſimus tamen
Deus, nihil ſolicitus nequid calumnię prophetica dignitas ac ſenten
tia à ſe prolata pateretur, ubì uidit illos ſcelerum ſuorum pœnituiſ-
ſe, ultro miſertus eorum eſt. quin & prophetá reprehendit, qui vi-
debatur uereri, nequid ex illa ſententiæ reuocatione Diuino honori
deperiret: at iſti nolunt omnino Deum eſſe erga omnes miſericor-
dem, ſed erga unam duntaxat partem ob ſuam neſcio quam præde-
Pſ. 144. ſtinationem, cum contra clamet ſcriptura. ſuauis Dominus uniuer-
ſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. qua benignitate
Mat. 10 confiſus Petrus, quamuis audiuiſſet antea Dominum dicentem, qui
Luc. 12. negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram patre meo,
Mat. 26. non deſperauit, cum magiſtrum negauiſſet, ſed egreſſus fleuit ama-
Luc. 22. rè, dolens quod fecerat, & nihilo tamen minus certa in ſpe conſe-
quendę miſericordiæ perſeuerans. quam miſericordiam quàm li-
bens Dominus impertitus ei fuerit, oſtendit ex eo, quòd ſeorſum
etiam ei apparuit, & voluit, angelum peculiarem eius facere mentio-
Mar. 16. nem. dixit enim angelus. dicite diſcipulis eius & Petro. videte ve-
rò, quàm iſti nodos omnes ſoluere curent, ſua, hoc eſt, à ſe excogita-
ta, non illa, quam ſcripturę ſanctę docent, prędeſtinatione. dicunt
enim, Seruatorem Chriſtum aſpexiſſe Petrum, ut à peccato ſurgeret
propterea, quòd ex electis erat. Cain verò & Iudam, quia ex electis
non eſſent, Deum non aſpexiſſe. qua tandem id ratione mori aſſe-
runt? humana non. nam humana ratio reclamat, quæ agnoſcens
Deum ſumma bonitate, atque adeo ipſam bonitatem eſſe, ſemper
affirmabit, illum neminem aſpernari, qui reuerti ad ſe uelit. ſed ne
Diuina quidem auctoritate niti poſſunt, quę contraria illis eſt, &
ait, ipſum Deum ad Cain acceſſiſſe poſt patratum fratricidium, &
Gen. 4. dixiſſe, quare iratus es? nón ne ſi bene egeris recipies. ſi autem
malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? hęc ſanè uerba ſunt inui-
tantis ad pœnitentiam, non eius, qui illum inter reprobos deſerue-
rit. ſic Iudam Seruator Chriſtus non ſolum aſpexit, ſed eum etiam
admonuit

admonuit tanti erroris,& dixit. Iuda oſculo filium hominis prodis? minas etiam intentauit, ne tantum nefas in ſuam perniciem aggrederetur. uæ (inquiens) homini illi, per quem filius hominis traditur, bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. non ergo eſt in cauſa electio vel prędeſtinatio, cur Petrus ſeruatus ſit, Cain verò & Iudas in Geennam condemnati. ſed quia ille ad miſericordiã confugit, iſti ad deſperationem. alioqui ſi ad electionem ſpectes, ſtare non poteſt illa Petri ſalus. ſi enim Chriſtus uerax eſt, atque adeo ipſa potius ueritas, cùm ipſe dixerit, qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, oportebat ut non iam Chriſtus Petrum aſpiceret, ne mentiri uideretur, quod ſi factum fuiſſet, iam non inter electos fuiſſet numeratus. non ergo ad illam electionem eſt confugiendum ad hos nodos ſoluendos, ſed ad clariſſimos ſeptentriones, hoc eſt, ad euidentiſſima Diuinarum ſcripturarum teſtimonia, quę ſalutem omnibus pollicentur, qui eam ex animo uelint. qui uerò illam reſpuunt, ut ſuis appetitionibus obſequantur, ij demum reijciuntur, atque ad ignes relegantur ſempiternos. Ingenti uerò admiratione dignum eſt, quo pacto ij in hac ſua electione, ſibi miſeri imponant. nam pro certo habent ſe ex electis eſſe, ex ſignis, quæ electorum peculiaria eſſe prędicant. quòd ſcilicet donum fidei ſint aſſecuti. ſpiritum item ſanctum, qui ueritatem illis reuelauerit, purificatam habeant conſcientiam, dulcedinẽ quandam & conſolationem in animo ſentiant, habeant patrem Deum, agnoſcant iuſtificationem, pro certo habeant ſe iuſtificatos à Chriſto atque redemptos, quę omnia non niſi electis accidere poſſe, & tamen interea reperiuntur ex ijs, qui poſtea quàm hęc tam magnifica dona ſunt aſſecuti, non recuſant iniuſtitię dare operam, & contra leges Chriſtianæ ac Diuinę iuſtitię agere, neque putant obſtare hęc malefacta, quin iuſti tamen ſint, Deum enim per Chriſtũ non illis imputare poſthac lætalia ſua peccata, & contra Diuinas leges tranſgreſſionem. quis hęc ænigmata ſoluat pręter ipſos ſolos? quanquã ne ipſi quidem ſoluere idonei ſunt. ſi enim hæc ita ſe habent, quomodo impletur in eis Diuina illa ſcriptura quæ ait. qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum uitijs & concupiſcentijs? & illud. gratias ago Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati, nũc uerò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum ueſtrum in ſanctificationem, finem uerò uitam æternam? & alibi, neque auari, neque rapaces,

Mar. 14. *Mat.* 10. *Luc.* 12. *Gala.* 5. *Rom.* 6. 1. *Cor.* 6.

rapaces, neque adulteri, neque ebrioſi regnum Dei conſequentur. & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti? hęc certè & huius generis alia, uera non reperiuntur in his, qui aſſerunt ſe uerè ſentire in ſe ſpiritum Chriſti.

Rom. 8. nam apoſtolus ait. ſi ſpiritus Chriſti habitat in uobis, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, nempe deletum ab eo. ſpiritus autem uiuit propter iuſtificationem, uidelicet acceptam. & tamen cernimus hos huius doctrinę ſectatores, qui fatentur habere & ſentire in ſeſe ſpiritum ſanctum Ieſu Chriſti, plenos eſſe concupiſcentijs atque peccatis. ſed falluntur miſeri in ea, quam ſentire ſe dicunt, pace conſcientię, atque animi conſolatione, & fiducię dono, & alijs eiuſmodi, quæ à ſpiritu ſancto in ſe proficiſci putant, uerum à natura proficiſcuntur. cum iſti dementati his horum perſuaſionibus, certiſſimè ſibi perſuadent, Deum illos pro iuſtis habere, & per Chriſtum non imputari illis lætalia peccata, quód que facti ſint à Chriſto participes ſuę Diuinitatis ac cœleſtis patrię, eós que Deus pro ueris filijs habeat. ijs & alijs eiuſmodi horum perſuaſionibus delinita natura hominis, non poteſt non gaudere & pacari, quod & in rebus temporarijs vſu uenit. cum enim ingens alicui dignitas promittitur, totus hilareſcit, & mutat plerunque mores, atque alius ex alio fit. Interea contemplemur, quales ij ſe filios præbeant, qui ob id, quòd ſe filios eſſe ſibi perſuaſerunt, impunè licere peccare

Mal. 1. putant, neque aduertunt, quod ait Deus. ſi ego pater, vbi eſt ho-

1. Pet. 2. nor meus? & quod admonet Petrus, tanquam liberi, non tanquam velamen habentes malitiæ libertatem. Sed reuertamur ad loca, qui bus præcipuè ſuam de prędeſtinatione, dé que ſuis electis ſenten-

Ioan. 10. tiam aſtruunt. in quibus locis & ille eſt, vbi Dominus apud Ioannem dicit. oues meas nemo rapiet de manu mea, & non peribunt in ęternum. at hæc verba non in eam ſententiam dicta ſunt, vt pro electis ac prædeſtinatis ſint accipienda eo modo, quo ipſi dicunt, ve rum vt nos ſub tutisſimum ſuum regimen trahat. qui cum optimus ſit paſtor, nullus ſub eius Diuina cura malignus & rapax ſpiritus lędere ſuas oues poterit, ſi ſub eius obedientia eſſe velint,

Mat. 10. & 14. atque in ea perſeuerare. nam iccirco ipſe dixit. qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. & alibi. ſi præcepta mea ſer-

Ioa. 15. uaueritis, manebitis in dilectione mea. quod nihil eſt aliud, quàm in protectione & cuſtodia. ob hanc cauſam dicebat Ioannes

nes apoſtulus. videte voſmet ipſos, ne perdamus, quod opera- 2.Io.1.
ti ſumus, ſed ut mercedem plenam accipiamus. in illis itaque verbis, videlicet, oues meas nemo rapiet de manu mea, & non peri- *Ioan.*10.
bunt in æternum, non loquitur Dominus de electis, qui perire non posſint amplius, ſed vt nos ſub ſuum regimen trahat, ſub quo qui eſſe vult, non interibit in æternum. ad quod Diuinum regimen omnes ex ęquo inuitat ſine vlla perſonarum acceptione. quod apertisſimè ſcripturę ſanctæ teſtantur. Hi etiam, ut ſuę prędeſtinationi auctoritatem afferant, ex Diuinis ſcripturis ad ſuas opiniones detortis dicunt, fidem, quam ſancto Chriſti Euangelio habemus, eſſe priuatum donum, quod Deus ſuis electis dat. atque hoc Pauli auctoritate aſtruunt, qui ad Epheſios ſcribens ait. ſeruati eſtis per *Ephe.* 2.
fidem, & hoc non ex uobis, donum Dei eſt. putantes apoſtolum hoc dicere ob fidem, quę ſancto Euangelio habetur. quòd ſi hæc fuiſſet apoſtoli mens, dixiſſet, hęc eſt donum Dei, non autem, hoc eſt donum Dei. appellauit ergo apoſtolus donum Dei, quod ſeruati eſſent intercedente credulitate, quam Euangelio præbuiſſent, quód que nemo ipſe per ſe ſurgere à morte animę posſit, atque in nouam viuificari regenerationem, & liberari ab inferni hoſtis tyrannide, corruptís que concupiſcentijs, niſi Dei gratia per Chriſti redemptionem. ideo apoſtolus ait, hoc, videlicet ſeruatos & liberatos eſſe à malis illis, & factos eſſe conſortes humanitatis ac Diuinitatis Chriſti, eiús que regni cohęredes, eius gratia ac dono fuiſſe, non ex operibus noſtris. ait ergo. gratia ſeruati eſtis per fidem, hoc eſt, credendo & fidem habendo Euangelio Chriſti. donum autem Dei eſt, noſtra redemptio, quam vult vt accipiamus credendo. quare ad Hebręos dicitur. credere oportet eum, qui accedit ad *Heb.* 11.
Deum. & ſine fide imposſibile eſt placere Deo. quòd ſi fides eſ- *ibidem.*
ſet, quemadmodum iſti dicunt, peculiare donum Dei in electos, cur Deus in terrifico ſuo iudicio vlturus eſt eos, qui credere noluerint, & ſanctum Euangelium in ſalutem ſuam recipere? ſequeretur ergo, iuxta horum impium dogma, ut quicunque credere noluerint (quam ob cauſam in æternum ignem relegabuntur) id patiantur propterea, quòd gratia illis defuerit ac Dei donum, non quòd credere, aut pœnitentiam agere noluerint. quod ſi ita eſſet, profectò Dominus non dixiſſet aduerſus obſtinatos & incredulos Iudæos. ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, & ſigna non feciſſem,

feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. nunc au-
Mar.16. tem excuſationem nullam habent de peccato ſuo. & illud. qui
crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. qui verò non credi-
Ioan.2. derit, condemnabitur. & cum dictum fuit alibi. multi credide-
runt in eum, non adiecit, propter donum Dei, ſed, videntes ſi-
gna quæ faciebat. denique Diuinæ omnes ſcripturę fidem neceſ-
ſariò à nobis requirunt, ſi Euangelij gratiam ac virtutem aſſequi
volumus. Illud tamen ſciendum eſt, eum, qui credidit Euange-
lio, vbi ſenſu ipſo percepit id, quod ſanctum Euangelium pollice-
tur, hoc eſt, ſpiritum ſanctificationis, nouám que re ipſa genera-
tionem ex aqua munda & ſpiritu ſancto, ex quo efficitur filius Dei
& hęres regni æterni, hic profectò aliam fidem certitudiném que
conſequendæ gloriæ adipiſcitur, quàm prior erat, ante quàm illa
dona aſſequeretur. ob hanc fidem & viuam ſpem, quæ ab illa ſan-
Gal. 3. ctificatione proficiſcitur, Paulus dicebat, concluſi in eam fidem,
quæ reuelanda erat. & Petrus appellat firmam ſpem rerum conſe-
1.Pet.1. quendarum. qui vocauit nos (inquit) in viuam ſpem. quam (ut ali-
Heb.6. bi legimus) ſicut anchoram tenemus animę tutam ac firmam, &
accedentem vſque ad interiora cœlorum, vbi præcurſor pro nobis
introijt Ieſus Chriſtus, pontifex factus, in ipſum cœlum. itaque
per fidem, quam Euangelio habemus, conſequimur ſpiritum ſan-
ctificationis, quo illa viua fides habetur, & viua ſpes rerum æter-
Rom.1. narum. quod oſtendit apoſtolus cum ait, iuſtitia Dei in eo reuela-
tur ex fide in fidem. nam ex fide, quę Euangelio habetur, aſſequi-
Eze. 37. mur iuſtitiam illam ſiue ſanctitatem, quam Deus pollicitus fuit no
ui teſtamenti fidelibus, vbi ſcriptum eſt. dabo ſanctificationem
meam in medio eorum in perpetuum, atque ita venitur in illam fi-
dem, quam ſanctum Euangelium aſſequi nos facit, quæ eſt viua
ſpes rerum æternarum. Atque vt aptius intelligatur vtriuſque fi-
dei differentia, eius videlicet, quam damus Euangelio, per quam
aſſequimur Chriſtianam iuſtificationem, & fidem aliam ac viuam
ſpem cœleſtis hæreditatis ac gloriæ, hoc vtemur exemplo. finga-
mus epiſcopum huius vrbis, qui decreuerit ſibi parare ſucceſſo-
rem. hic literas per certum nuntium ad quendam ſcribit, ſua ma-
nu ſuóque annulo confirmatas, iubét que vt Fulgineam veniat. vel
le enim ſe, vt ſibi in epiſcopatu ſuccedat. ille fidem habet & nun-
tio & literis, rectà que Fulgineam proficiſcitur. is vbi primum huc
profectus

profectus eſt, maioris ac cathedralis eccleſię archidiaconus ab epiſcopo creatur, qui eſt proximus ad epiſcopalem dignitatem gradus. hunc gradum vbi adeptus eſt, nihil eſt dubitandum, hunc maiorem ac certiorem fidem habere adipiſcendi epiſcopatus, quàm cum ſolas epiſcopi literas per certum illum nuntium accepit, atque iter Fulgineam verſus arripuit. in eundem modum accidit in hac cœleſtis Euangelij promulgatione, & cœleſtis hæreditatis promisſione. miſit enim Deus filium ſuum vnigenitum ad nos inuitandos, vt Diuinam adoptionem acciperemus, qua regnum cœleſte adipiſceremur. vt verò nuntius hic Dei filius certus agnoſceretur, à cœleſti patre miſſus, ſolennibus indicijs tanquam regio annulo facta eſt hæc ſignificatio. de qua apoſtolus dicit. qui declaratus eſt filius Dei cum potentia, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri. & alibi de ſalute loquens, quam Dominus nomine patris ſui offerebat, ait. quę, cum enarrari primum cœperit per ipſum Dominum ab ijs, qui audierant, in nos confirmata fuit, atteſtante Deo & ſignis & prodigijs, variis que virtutibus, & ſpiritus ſancti diſtributionibus iuxta ipſius voluntatem. qui ergo fidem habebant, atque obtemperabant huic cœleſti nuntio, iuſtificationem conſequebantur & ſanctificationem, quę eſt loco archidiaconatus, iuxta datam ſimilitudinem. ex qua ſanctificatione veniebant in magis viuam magis que certam ſpem cœleſtis hęreditatis adipiſcendę. hęc autem fides ac viua ſpes proficiſcebatur à virtute Dei, quę ipſis indita fuerat per fidem, quam habuerant eius Euangelio, ſine qua non potuiſſent illam conſequi, quæ peculiare donum eſt ipſius Dei, & hanc fidem, credendi uidelicet Euangelio, neceſſariò requirit à nobis Deus. quemadmodum Diuinæ illius ſcripturæ teſtantur. Verum, quando multa dicta hodie ſunt, & plura opinor ſupereſſe dicenda, danda eſt iam defatigatis animis aliqua quies, vt fortiores & alacriores ad ea, quæ reliqua ſunt declaranda reuertamur. tantum illud vos admonebo, &, cum Diuinas ſcripturas quis interpretari vult, diligentisſimè circunſpiciat, quę ſit earum mens, neque priuato ſuarum opinionum tuendi affectu moueatur. nam iſtorum error hinc proficiſcitur, quòd veram non habentes Diuinarum ſcripturarum intelligentiā, & ſuas opiniones erroris volentes ſtatuere, in maximos errores inciderunt. quod ne nobis accidat, ſumma cum reuerentia ad earum

Gal. 4. *Rom. 1.* *Heb. 2.*

ſcripturarum lectionem accedamus, atque identidem poſtulemus
Pſ. 118. Diuinum lumen, & dicamus cum propheta. reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. quod ſine dubio, ſi ex animo poſtulauerimus, conſequemur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LXVII.

ANTE quàm reliqua horum prædeſtinantium perſequamur, libet huic de prædeſtinatione parti finem imponere, & duabus vijs vti, ad eneruandam eorum de illa, quam fingunt, peculiari ſeruandorum electione, ſententiam, & humanis videlicet rationibus, & Diuinarum ſcripturarum auctoritatibus. nam & ij, licet auerſari humanam rationem videantur, vtuntur tamen ea, cum pro ſe facit, quemadmodum ſuperioribus orationibus demonſtrauimus. ab hac ergo humana ratione inchoëmus, quæ tamen Diuinis etiam interim ſulciatur auctoritatibus. Interrogo itaque vos prædeſtinatores, cur venit vobis in mentem, tam crudelem Deum facere, vt
Ioan. 3. in maximam eius generis, quod tanti fecit, vt pro eius ſalute vnigenitum ſuum daret, partem exercere miſericordiam recuſauerit? non cernitis, Seruatorem ipſum Chriſtum præcipere nobis fragilibus hominibus, atque ad omne rectum opus infirmis, vt, quoties
Mat. 18. peccauerit in nos frater noſter, remittamus ei? quantò ergo magis ipſe fons miſericordiæ in gratiam recipiet omnes, quicunque redire ad eum ex animo uoluerint? nullam enim aliam ob cauſam toties per ſcripturas ſanctas ſuas hortatur ad hoc, niſi vt nos recipiat.
Eſa. 1. Lauamini (inquit) mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruersè, diſcite bene facere, ſubuenite oppreſſo. quid tum? venite, & arguite me, dicit Dominus. ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, &, ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erunt. &
Eſa. 55. alibi, derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum,

noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. & apoſtolus Ioannes. ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi. quid hac ſententia apertius? quę quantum eam cunque intorqueatis, & ei tenebras offundatis, rectitudinem ac ſplendorem ſuum ſemper obtinebit. Illud etiam cogitate, ſi Deus ſua benignitate ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, vt mortalia corpora nutriat filiorum Adæ ſecundum carnem, quantò magis Deus idem eadem benignitate atque clementia ſolem iuſtitiæ, & fœcundam gratiæ pluuiam immittet, ad iuuandas eas animas, quæ ad ipſius imaginem ac ſimilitudinem factæ ab eo ſunt? deinde ſi Deus, qua eſt benignitate, ipſum auctorem peccati Adam, à quo omnia in nos mala profecta ſunt, voluit ſeruari cruenta vnigeniti filij ſui morte, quantò magis eius filios, qui illius peccati rei non fuerunt, ſeruari volet ac redimi? ò temerariam, & nefandam, & execrandam aduerſus gratiam & paternam charitatē Dei, horum blaſphemiam, qui tam impudenter contra apoſtolum ſentiunt. is enim ait. ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur ij verò dicunt, mortem ac redemptionem Ieſu Chriſti non pro omnibus eſſe factam. cur obſecro? quia efficax non fuit? ergo poëtius fuit peccatum Adæ in condemnationem, quàm Chriſti gratia in redemptionem. quòd ſi efficax fuit ad totius mundi abolenda peccata, quæ eſt hęc inuidia, nolle illud impertiri, quod ſine vllo ſuo incommodo quis poteſt? quod vitium ſi in aliquo homine reperitur, hunc ſceleratum, atque humani generis inimicum iudicamus. & audemus hunc morem in Deum reijcere? ſed verè & iuxta Diuinarum ſcripturarum teſtimonia, maior fuit liberatio ac redemptio Ieſu Chriſti, quàm peccatum Adæ. nam Chriſtus non ſolum liberauit nos à pœna & peccato primi parentis Adę, verum etiam à noſtris omnibus lętalibus peccatis, quę priuatim quiſque egit, modo illius pręceptis velimus obtemperare. atque hoc eſt, quod dixit apoſtolus. & non ſicut per vnum, qui peccauerat, venit mors, ita donum. nam condemnatio quidem ex vno delicto ad condemnationem, donum autem ex multis delictis ad iuſtificationem. Faciunt iſti crudelem Deum, & ipſe Dei filius ingentem erga nos illius identidem inculcat benignitatem, quis ex uobis (inquiens) patrem pe-

1. Ioa. 2. *Mat. 5.* *1. Co. 15.* *Rom. 5.*

Mat. 7. tit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut ſi piſcem, num pro pi-
Luc. 11. ſce ſerpentem dabit illi? aut ſi petierit ouum, num porriget illi ſcor pionem? ſi ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona dona dare filijs veſtris, quantò magis pater veſter cœleſtis dabit ſpiritum ſanctum petentibus ſe? & tamen nolunt hi, cœleſtem hunc patrem, plenum clementię ac pietatis, benignum eſſe erga animas, quas ad imaginem ſuam creauit atque ſimilitudinem. quis pater tam crudelis vnquam reperiri queat, cuius animus ferret, partem legitimorum filiorum abdicare, ac perpetuis tormentis tradere cruciandos? & ij tamen iuxta ſua dogmata volunt, hanc Diuinam bonitatem, partem earum animarum, quas ad imaginem ſuam fecit, abdicare à cœleſti hęreditate, atque in æternum ignem relegare, id que ob ſolam primi parentis culpam Adæ, neque ullo pacto volunt, hos poſſe à Deo conſequi miſericordiam, quamuis eam cum lacrymis à benigno hoc patre poſtularent. quod profectò nullus pater inter homines facere erga filium toleraret, qui aliquod dolentis animi præ ſe indicium ferret. quantò ergo minus hęc à cœleſti patre eſt expectanda ſeueritas, qui ita dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum
Io. 3. daret, ob hanc vnam cauſam, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat uitam ęternam? Quid obſecro aliud, non ſolum diuinæ ſcripturæ, verum etiam eorum philoſohorum, qui aliquo prędìti fuerunt lumine, prædicant, quàm gratiam & beneficentiam Dei erga omnes? & tamen prędeſtinatores, iuxta ſua dogmata, dicunt, Deum non ſolum non eſſe miſericordem ac benignum in omnium ſalutem, ſed crudelem atque iniuſtum etiam in damnandis ad ęternos cruciatus ijs, quos eligere noluit ac prædeſtinare, ſed, vt iſti docent, obdurauit eos, & excæcauit, ne conuerti poſſint, & aſſequi gratiam. & hoc eum facere volunt qui profitetur, ſe om-
Eſa. 49. nium matrum affectus ſuperare. nunquid poteſt (inquit) mater obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui? quòd ſi illæ obliuæ fuerint, ego tui non obliuiſcar. O impias horum mentes ac temerarias, qui Diuinæ gratiæ ac voluntati notam inurunt, quòd per eum ſteterit, quò minus crediderint, ac pœnitentiam egerint, & excuſant duritiem ac cæcitatem obſtinatorum hominum, & eorum, qui obedire recuſant. iuſtè enim (ſi hæc ſtaret proteſtantium doctrina) conqueri poſſent ac dicere. iuſtisſimè Deus cur me damnas, atq; ęternis pœnis cruciandum tradis ob eam cauſam, quòd

Euangelio

Euangelio ſancto tuo non crediderim, eí que non obtemperauerim, cum credendi mihi facultas defuerit, negata mihi tua gratia ac fidei dono, quo obedire & credere liceret? cur me in æternum exilium relegas, quòd tuæ legis fuerim præuaricator ob carnalem vitam, quando aliter à me fieri non poterat propterea, quòd tua gratia, liberó que arbitrio(nam & hoc auferunt, vt ſuo loco dicemus). fui deſtitutus, quę dare mihi noluiſti, vt obedire & recta via ingredi poſſem? cur Domine iraſceris contra me, quòd in via mandatorum tuorum ingreſſus non ſim, ſi tu non ſolum gratiam non dediſti, quo id poſſem, verum etiam obduraſti & excæcaſti cor meum, ne pœnitentiam agere & miſericordiam conſequi poſſem? cur me damnas, quòd Chriſtianam ſalutem accipere noluerim, ſi filius tuus hanc pro me noluit operari, ut proteſtantium dogma aſſerit? ſi me ad æternos ignes relegares, propter peccatum, quod à primo parente Ada nobiſcum afferimus, laudari poſſet tua in damnatos iuſtitia, & in electos ac prędeſtinatos miſericordia. at tu contra falſam proteſtantium opinionem damnas me, & dicis. abi execrande in ignem ęternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius, quia Euangelio meo non obediſti,quia in proximum quenque miſericors non fuiſti. ſententia hæc manifeſta eſt, quòd non ob parentis primi peccatum me damnas, vt prædeſtinatores volunt, ſed quia(inquis)hæc feciſti & illa, quę ſi ego facere non potui ſine tua peculiari gratia, neque hanc mihi dediſti propterea, quòd ex ijs non eram, quos elegiſti, ſed potius obduraſti cor meum & excæcaſti, ne hæc præſtarem; cur ob eam cauſam me condemnas, quòd non præſtiterim? Quis obſecro inter homines iudex tam iniuſtam in corporeis pœnis ſententiam ferret? quantò minus hæc iuſtisſimum, adde & benignisſimum, plenúm que miſericordiæ Deum decent? Hæc itaque horum doctrina efficit, vt videatur Deus iniquisſimus, qui condemnet eos ad ſempiternos cruciatus, qui Euangelio obedire noluerint, cum tamen id præſtare non potuerint propterea, quòd illis gratia & Diuina prædeſtinatio defuerit. at Diuinæ ſcripturæ neque in peccatum Adę neque in prędeſtinationem referunt culpam, cur quis damnetur, ſed in ſcelerata & iniqua obſtinatorum hominum facta. quemadmodum apoſtolus ait. oportet nos omnes manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt referat unuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum. dans vindictam ijs,

Mat. 25.

1. *Co.* 5.

qui

qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio gloriæ Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu ęternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Et ſanè quid attineret damnare partem filiorum Adę, ob ipſius Adę peccatum, & ipſum parentem ſeruare? quo pacto rationi hoc conſentaneum eſt? quis princeps tam inſigniter iniuſtus reperiatur, qui homicidam patrem à morte liberaret, & hęredem præterea conſtitueret, & ob patris peccatum eius filios, aut eorum partem innocentes damnaret? quantò ergo minus hoc faceret iuſtiſſimus Deus? Et hæc quidem atque huius generis alia dici poſſent ab ijs, qui vti humana ratione voluerint, quæ Diuinarum etiam ſcripturarum fundamento nitatur. verum quia ij humanis rationibus dicunt non eſſe nitendum, cum de Diuinis iudicijs ſermo fit, quamuis hoc iubent ibi tantum, vbi ea cótra ipſos faciunt. alioqui oſtendimus illos non ſemper hãc legem ſeruare. & quamuis demoſtrauerimus, Deum in ſcripturis ſuis ſanctis ſumma ratione, eá que humana nobiſcum agere, relinquamus tamen humanas rationes, atque ad ſacratũ ſcripturarum auctoritates veniamus. vnum duntaxat illos interrogabo. quæ ſcripturarum loca (obſecro vos) prohibent, ne humanis agamus rationibus cum Deo?

Rom. 9. Paulus (inquient) qui ait. O homo tu quis es, qui ex aduerſo reſpondeas Deo? nunquid dicet figmentum ei, qui ſe finxit, cur me feciſti ſic? an non poteſt figulus ex eodé luto facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? ſcio hoc eſſe aſylum veſtrum. quare tempus eſt, non ſolum oſtendere, hęc verba nihil impedire, quo minus vtatur homo eo munere, quod Deus uoluit illi eſſe peculiare, verum etiam veſtras omneis deijcere munitiones, quas huius noni capitis ad Romanos falſa interpretatione conſtruxiſtis. ſed interea iſtis relictis, qui fortaſſe audire nolent, vos ciues mei, qui fideles eſſe vultis, attentè quæ à me hodie dicentur, audite. ante verò, quàm ad uerborum & cuiuſque ſententiæ declarationem ueniamus, ſcire vos oportet, qui ſit Pauli ſcopus hoc præſertim capite. nam de totius epiſtolę ſcopo non tam eſt neceſſarium hodie loqui. Diſputauerat hactenus Paulus, qui eſſet uſus ac natura & neceſſitas legis, ut Iudæos ab humilitate literæ ad interiora veritatis myſteria intelligenda attolleret. ſed quia videbat Iudęos in hoc præſertim offendi, quòd perſuadere ſibi non poterant, eum, qui prædicaretur ab apoſtolis, eſſe Meſſiam

illum,

illum, qui promiſſus per prophetas Iudæorum gēti fuerat. primum enim impegerant in hoc, quòd Meſſiæ, hoc eſt, Chriſti ſui aduentum non ita humilem expectabant. deinde, cū uiderent, illum acceptum à gentibus, non putabant ad ſe illum pertinere. cum autem ſcirent, Deum fidelem eſſe in promiſſis ſeruandis, in hoc autem non eſſe ea prçſtita, quæ ipſi literç legis adhærentes, expectabant, ueniebant in hanc ſententiam, illum, qui prædicaretur, non eſſe Chriſtum. cum itaque Paulus hunc eorum errorem intelligeret, conatur ipſius legis ac prophetarum auctoritatibus demonſtrare, inanes eſſe eorum opiniones, & alia via eſſe ingrediendum ad agnoſcendam hanc ueritatem, quàm ea eſſet, qua illi vterentur. &, quod ipſi admirantur de gentium vocatione & Iudçorum reprobatione, iam olim & in veteris legis hiſtorijs figuris quibuſdam ſignatū, & à prophetis prçdictum fuiſſe. primum autem præfatur quædam, ut Iudçum beneuolum ſibi faciat, & perſuadeat ei id, quod eſt veriſſimum, ſe videlicet Iudçæ gentis vtilitatis gratia iſta loqui. ait ergo.

Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi ſimul perhibente conſcientia mea in ſpiritu ſancto. quòd triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. optaſſem enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt, & gloria, & teſtamenta, & legiſlatio, & cultus, & promiſſa, quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. amen. Rom. 9.

Oſtendit ipſo dicendi principio, ſe rem tractaturum magnam, & quæ ſibi ob Iudæorum ſalutem, vehementer eſſet cordi. quare teſtem inuocat Chriſtum eorum, quæ dicenda eſſent, conſcientiam item ſuam, & ſpiritum ſanctum, vt fidem faciat audientibus. nam dicturus de re, quæ maximè uideretur infenſa Iudæis, cum & hactenus in refutanda legis fiducia fuiſſet uehementiſſimus, quod idem eam gentem torquere ſoleret, nequis forte ſuſpicaretur, id eum ſuæ gentis odio facere, ante quàm ad narrationem deſcendat, oſtendit, quantum eis amicè ſit affectus, id que iureiurando, quod non feciſſet, niſi ſumma actus neceſſitate. quod autem ait, in ſpiritu ſancto, uel addit etiam ſpiritus ſancti teſtimonium, uel, quòd ipſe ſpiritus Pauli ſanctè ac ſine dolo ad hoc affirmandum moueretur. hoc autem iuſiurandum cò pertinet, ut fidem faciat Iudçis, quātum eorum ſaluti affectus eſſet, cuius gratia ingentem triſtitiam & continuum

doloremꝑ pateretur. qui quàm eſſet uehemens, aperit, cũ ait. optaſſem enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. tantum abeſt (inquit) ut odio eos proſequar, ut, ſi fieri poſſet, optarim ipſa, quàm à Chriſto expectamus (quo Chriſto nihil mihi charius eſt, ne cœlum quidem ipſum) felicitate priuari, & paratis ab eo ineffabilibus bonis, ut meo interitu & ęterno exilio ſalus Iudæis pararetur. qua charitate reperiri profectò maior non poteſt. ſic & Moſes

Exo. 32. aut remitte (inquit) eis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti. cernebat enim Paulus, omnes hunc Iudęorum lapſum admirari, & penè Deum incuſare, cur, quo tẽpore ſalus toti terrarum orbi proponebatur, eodem tempore alienigenę admitterentur, filij regni extruderentur, quibus in primis promiſſus fuiſſet Chriſtus. atq; hoc maximè Iudęorum quàm plurimos auocabat à fide, quòd perſuadere ſibi non poterant, Deum, qui ueraciſſimus in ſeruandis ſuis promiſſionibus ſit, reliquiſſe peculiare ſemen Abrahæ, cui facta fuiſſet hæc promiſſio, & gentes elegiſſe, quę omni promiſſione carerent. atque ita colligebant, hunc, qui ab apoſtolis prędicaretur, minimè eſſe illũ Iudęis promiſſum Chriſtum. Sciebat ij Paulus, ſolere homines facile, cum rerum cauſas non intelligunt, queri de Deo, qui poſt tam ingentia promiſſa, quaſi impoſuerit genti Iudæorum. has in Deum & Chriſtum blaſphemias audire, longè Paulo ipſa Geenna erat intolerabilius, quocirca optaſſet, ſi ſuo interitu reconciliari potuiſſet hęc gratia, relegari à Chriſto, vt hęc gloria ſeruatę Iudęæ gentis ipſi Chriſto accederet. Dictio autem, anathema, à rebus accepta eſt, quę in templis ſuſpenduntur, quæ Græcè ἀναθήματα, latinè donaria vocantur. vt ergo ea, quæ ſic dicata ſunt, in vſus hominum iam non ueniunt, ſic qui ab eccleſia alienus factus, in commercium hominum non admittitur, hunc Paulus hoc nomine appellare conſueuit. ſed vſus dictionis à contraria ſignificatione acceptus eſt. ꝙ verò in enumerandis Iudæorum priuilegijs ait, teſtamenta, intellige fœdera. quæ pepigit Deus cum Iudæorũ patribus, & Hebręa gente.

Non autem quaſi exciderit verbum Dei. non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſrael, neque quia ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii. ſed in Iſaac vocabitur

Gen. 21. tibi ſęmen, hoc eſt, non qui filii carnis, ij filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.

Dixi (inquit) me dolere interitum fratrum meorum, neque id propterea dixi, quòd irrita ſit facta promiſſio Dei. nam, ſi omnibus, quicunque

quicunque ex ſemine Abrahæ profecti ſunt, & ad eum ſola carnis cognatione pertinent, illa tam ingẽtia promiſſa facta eſſent, rectè admiraremur, ſed longè aliter res habet. non enim omnes, qui ſunt ex Iſraël, ij ſunt Iſraël, ille videlicet verus Iſraël, atq; interior, & in quem propriè conueniat nomen iſtud. ſic non omnes, qui ſunt ex ſemine Abrahæ, continuò ſunt filii, quod ipſa teſtatur ſcriptura, cum ait. in Iſaac, hoc eſt, in filijs promiſſionis, non carnis, vocabitur tibi ſemen. *Gen. 21.*

Promiſſionis enim verbum hoc eſt. ſecundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. *Gen. 18.*

Hęc (inquit) promiſſio, & hic Dei ſermo formauit Iſaac & genuit. iam enim erat Abrahę corpus emortuum, & mortua vulua Saræ, ſed efficax fuit Dei ſermo, qui nunc quoque eodem exemplo, filios promiſſionis, hoc eſt, uerum ſemen Abrahæ, & uerum Iſraëlem, nõ per carnis copulam, ſed per aquam & ſpiritum ſanctum quotidie generat. huius autem gratiæ & virtutis participes eſſe poſſunt omnes. neque enim ſelecto alicui populo repoſita eſt, ſed omnibus, quicunque per fidem accedere voluerint. Volens autem apoſtolus hoc euidentius demonſtrare, peculiarem & electum populum nõ eſſe eum, qui ſecundum carnem proficiſcitur ex Abraham, Iſaac, & Iacob. ſed qui per fidem accedit, & virtute Euangelij fit, addit.

Non ſolum autem illa, ſed & Rebecca ex vno concipiens patre noſtro Iſaac. *Gen. 25.* cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei. maior ſeruiet minori. *Gen. 25.* ſicut ſcriptum eſt. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. *Mal. 1.*

Suſpicabimini fortaſſe (inquit,) in Iſmaële & Iſaac hoc factum eſſe ob alterius ancillam matrẽ, ne ſeruile genus libero ſemini permiſceretur. verum, vt intelligatis, hanc veri Iſraëlis electionem ad iudicium ſolius Dei pertinere, non ad cognationem ſanguinis, videte huius rei exemplum præceſſiſſe in gemellis fratribus, quos Rebecca vno partu protulit, & tamẽ electio Dei eſſe impares voluit, id que ante etiam, quàm ederentur in lucem, & mali aut boni quicquam egiſſent, vt omne os obſtruatur, neque audeat quiſquam veſtrum conqueri, cur hos admittat, illos abijciat. atque ut, cum auditis, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe, maior ſeruiet minori, deſinatis ueſtra legis facta obijcere, quibus exiſtimatis, cæteros omnes *Gen. 25.* *ibidem.*

Zzz præ

præ vobis ne homines quidem eſſe, & quibus Chriſtianam iuſtitiam contemnitis, neque intelligitis finem legis eſſe Chriſtum ad iuſtitiam omni credenti. Quod autem ait.

Iacob dilexi, Eſau autem odio habui,

hoc odium nihil pertinebat ad ſpiritualem ſalutem ipſius Eſau, ſed citatur hęc Malachiæ auctoritas, qua dicit Deus, ſe multò maiora beneficia contuliſſe Iſraelitis. nam hę duæ gentes per Iacob & Eſau ſignificantur, fuerúntque ij duo figura quædam eorum, quæ in aduentu Chriſti facienda erant. quòd ergo tunc Deus prætulit Iacob ipſi Eſau, nulla habita ratione, quòd eſſet Eſau maior natu quàm Iacob, figura fuit eorum, quæ ſub Chriſto facienda erant aduerſus carnalem Hebręorum populum. propoſitum enim Dei fuit, abiicere Iudęos contumaces, nulla habita ratione generis, ex Abraham, Iſaac, & Iacob profecti, & gentium populum eligere, qui per fidem adepturus eſſet hęreditatem. Quod verò ad Eſau reprobationem pertinet, de ea ad Hebręos ita ſcribitur. nequis fornicator, aut prophanus, ſicut Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primogenita ſua, ſcientes, quòd poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt, & non inuenit pœnitentię locum, quanquam cum lacrymis inquiſiuiſſet eam. qua auctoritate apertè intelligitur, Eſau non fuiſſe ante natiuitatem reprobatum neque à Deo odio habitum, quòd Diuina gratia illi defuerit, aut peculiaris prędeſtinatio, ſed ait apoſtolus reprobatum illum propterea fuiſſe, quòd primogenituram vendidiſſet, profanus, & ſpernens tam vili eſca ſuam dignitatem, ſpiritualém que benedictionem. ex ſimplici itaque figura non fuit Eſau à cœleſti hæreditate abiectus, cum figurę non niſi de rebus eſſent temporarijs, ſed illa figura voluit Deus ſignificare, quod Deus ſpiritualiter effecturus eſſet erga prophanū Iudæorum populum ob eius incredulitatem, ſicut obiecit eis apoſtolus, cum dixit. vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quia repellitis illud, & indignos vos æſtimatis vita æterna, ecce conuertimur ad gentes. huc ergo pertinet hæc ſimilitudo, & ea etiam quę ſequuntur, vt oſtendat, Deum potuiſſe hęc facere, neque mirari eos debere, ſiqua facit Deus, quę ipſi non intelligunt. neque enim quis continuò iniuſtus eſt, ſiquid efficit, cuius rationem alius non intelligat. quare apoſtolus ſtans in eo, quod in his duobus figuratum

Heb. 12. *Act. 13.*

fuit,

ſuit, ſequitur, quaſi ipſe ſibi obijciens, & ait.

Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas eſt apud Deum? abſit. Moſi enim di cit, miſerebor cuius miſereor, & miſerabor quem miſeror.

non propterea iniuſtus eſt Deus (inquit) quòd iudicio ſuo hęc adminiſtret. quare? quia ſi quibus benignè facit, & ſi quos punit & caſtigat, eius ſapientię relinquendum eſt. vt ſit ſenſus. non in geminis tantum infantibus id accidit, ſed in tota Iſraëlitica ſimul gente, qui cum omnes peccauiſſent, cũ Diuinos honores vitulo exhibuiſſent, aliqui tamen ſeorſum miſericordiam ſunt conſecuti. neque hoc iniuſtitiæ Dei acceptum referimus, ſed eius infinitę ſapientiæ, qui corda nouit. qui finxit (ait) ſingillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. atque iccirco ſolus ſine errore tribuit cuique quod ſuum eſt, neque noſtrum cum illius iudicio concordare poteſt propterea, quòd imperiti nimium ſumus rectè iudicandi, & tanquam ignari alicuius artis, vt agnoſcendorum lapidum aut equorum, eos plerunque probamus aut eligimus, quos periti in primis damnauiſſent, ac reieciſſent. Itaque qui digni ſint, quí ue indigni, ſolus Deus nouit, non quiſquam hominum, etiam ſi multum ſibi ſe aliquid ſcire perſuadeant. ſed eos ſua ſæpius fallit ſententia. at, qui arcana mentis & cogitationis intelligit, ipſe tutò dijudicat, qui honore, aut qui pœna digni ſint, & propterea multos, qui hominibus probi habentur, reijcit, contrà que qui mali exiſtimabantur, hos honore ſuo eſt dignatus. ut ſignificatio fieret, hanc ſelectionem debere, non ex ſeruorum ſuffragijs, ſed Domini ipſius ſententia proficiſci. Hic autem locus, qui ab exodo acceptus hic citatur à Paulo, non loquitur de tota generis humani in Adam corrupta maſſa, ut falsò prędeſtinatores volunt. ſed oſtenditur, facultatem illam ac dignitatem, qua quis ingredi poſsit in cœleſtem patriam, cuius figura fuerat ingreſſus ille in terram promisſionis, à gratia ac vocatione Diuina pendere. non ab humana potentia, neque ob carnale ſemen Abrahæ, vt prophani Iudæi ſibi perſuadebant. quare ſequitur Paulus.

Exo. 32. Pſal. 32. Exo. 3.

Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

Non dicat ergo Iudęus, debuiſſe ſe prę cęteris honore affici, quòd ipſius fuerit legiſlatio & cultus, quòd que ſe in eis exercuerit. velit quidem (moneo) & currat, ſed non tamen in hoc fidat, neque iu-

dicet, quantum ipſe cæteris prẹſtet, ſed totum Dei iudicio permittat, qui ſolus exactè nouerit, quibus miſericordiam impertiatur. voluntas autem hoc loco & curſus pro animi propoſito & conatu accipiatur. ſignificat ergo apoſtolus, ſalutem noſtram, non ab humana vel voluntate, vel potentia vel iudicio pendere, ſed à Diuina gratia ac voluntate, quę eſt, vt eius gratiam conſequamur ac ſpirituales promisſiones, quibus efficimur filij Dei viui per fidem & obedientiam, quam ſancto eius Euangelio prẹſtamus, non autem alio modo, aut humana voluntate quod ſibi perſuadebant Iudęi,

Rom. 10. qui ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non fuerunt ſubiecti.

Exo. 9. Dicit enim ſcriptura Pharaoni, in hoc ipſum excitaui te, ut oſtendam in te uirtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in uniuerſa terra.

Non in beneficentia ſolum (inquit) verum etiam infligenda pœna licet hoc ipſum conſiderare, non poſſe ſcilicet dijudicare homines,

Exo. 9. qui grauiori, quiue leniori pœna ſint digni. cum enim ait Deus, ſe euexiſſe Pharaonem in regnum, aut eum ſeruaſſe in vita, vt oſtenderet in eo vim ſuam, quis audeat perueſtigare, cur ille præ cęteris fuerit tam ſeuerè caſtigatus? voluntati ergo illius, quæ non poteſt non æquisſima eſſe, permittendum eſt atque iudicio, cuius miſereatur, & quem obduret. ſic iſta Iudęorum reiectio, æquiore à vobis animo feretur. Hæc autem obduratio, quam omnipotens Deus

Exo. 14. operabatur in Pharaone, iam præceſſerat ob eius incredulitatem & & obſtinationem aduerſus Diuinum imperium, & ob tyrannidem, qua Hæbreos premebat, non autem propterea fuit, quòd defuerit illi Diuina gratia, & peculiaris prædeſtinatio. quod teſtatur Diuina ipſa ſcriptura, quæ prius quàm diceret, Deum obduraſſe cor

Exo. 3. Pharaonis, ait, dixiſſe Deum, ſed ego ſcio, quòd non dimittet vos rex Aegypti, vt eatis, niſi per manum validam. itaque non iniuſtè obduratus à Deo fuit Pharao, atque percuſſus, vt aſſerunt prędeſtinatores iuxta ſua dogmata. ſed quia credere noluit, & repugnauit Diuinę voluntati. quare ſecutum eſt, vt hac via oſtenderit Deus virtutem ac potentiam ſuam, & annuntiaretur nomen eius in toto mundo. in eundem modum Diuina eius omnipotentia declarata fuit aduerſus rebellem Hebræorum populum, quia repugnauerunt Euangelio Dei. & ob hanc potentiam, quam exercuit in illis reprobandis,

bandis, atque miſericordiam factam gentibus per fidem, quam Euangelio habuerunt, adiecit Paulus.

Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.

Vbi aduertendum eſt, non hic apoſtolũ loqui de cauſa, ob quam Iudęi fuerint obcæcati. nam in ſequentibus capitibus de ea loquetur, ſed tantum hic loquitur, cur iuſtè potuerit hoc facere. multò verò minus hęc verba pro ijs faciunt, qui volunt, Deum elegiſſe partem humani generis ad gloriam, alteram partem repudiaſſe & obduraſſe. neque enim hęc apoſtoli fuit mens, ſed tantum quòd iuſtè potuerit Iudæos abijcere ob eorum incredulum animum, & gentes in peculiarem populum eligere per fidem, quam habuiſſent Euangelio. nam neque Iudęi hac via reiecti ſunt, quod ſcilicet prędeſtinati non fuerint, ſed quia credere noluerunt, vt ait in ſequentibus Paulus. propter incredulitatem (inquit) fracti ſunt. qui tamen reſipiſcere poſſunt, ſi volunt. vt paulò poſt ait. & illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. potens eſt enim Deus, iterum inſerere illos, ſicut contra, electis ex gentibus minatur. tu (inquiens) fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. quibus verbis manifeſtè arguitur horum prædeſtinantium error, qui fixum eſſe volunt ſtatum vtrorunque & electorum & reprobatorum, ut neuter in alteram ſortem tranſire poſsit. Cum autem dixiſſet Paulus, cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, cernens quid Iudæus dicere poſſet, pręuenit ipſe, & ait. Rom. 11. Ibidem. Ibidem.

Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? voluntati enim eius quis reſiſtit?

Introducit Paulus perſonam eorum, qui ignorantes, iuſtiſsimo iudicio Deum agere omnia, audito illo verbo, ab eius voluntate pendere & miſericordiam & obdurationem, continuò exclamant. quid igitur nos accuſat Deus, ſi omnia ab eius voluntate proficiſcuntur? quorum Paulus ante quàm diſſoluat difficultatem, cogitat temeritatem deijcere, & ait. atqui

O homo, tu quis es, qui ex aduerſo reſpondeas Deo? nunquid dicet figmentum ei, qui finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem aliud in contumeliam? Eſa. 45. Ier. 18. Sap. 15.

15 Profectò

Profecto enim nimis eſt inſanum, velle cœnum, atque adeo nihil, intelligere rationem eorum, quæ à Deo fiant. cum multò iuſtius poſſet figlinum vas diſputare cum figulo, cur ſe ita finxerit, & tamen ne hoc quidem figmento licere manifeſtum eſt. Quod autem ait.

An non poteſtatem habet figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam.

Ier. 18. Hęc ſimilitudo eſt apud Ieremiam, vbi Ieremias iubente Deo deſcendit in domum figuli, & ecce (inquit) ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis, conuerſus que fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis eius, ut faceret. & factum eſt verbum Domini ad me dicens. nunquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere domus Iſraël, ait Dominus? ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſraël. repente loquar aduerſus gentem & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei, & ſubitò loquar de gente & de regno ut ędificem & plantem illud, ſi fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum vt facerem ei. Ex hoc itaque toto contextu ſententia Pauli eſt elicienda, qui breuitatis cauſa (vt ſolet) multa prętermiſit, quę legentium iudicio intelligenda relinquebat. ecce dicit. ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea. quo pacto? vt tam facile ſcilicet mutet cuiuſque ſtatum, quàm facile figulus vas confractum inſtaurat. quòd ſi ſolum arbitrium figuli ſpectes, non quadrabit ſimilitudo, nam figulus nulla habita ratione, niſi voluntatis proprię, format aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Deus verò quid? ſi egerit pœnitentiam, & ego pœnitentiam agam à malo, quod cogitaui facere ei. quod eſt facere vas, quod prius erat ignominioſum, vt ſit vas in honorem. ſic contra. ſiquis fecerit malum in oculis meis, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum ei, ut facerem. quod eſt facere vas, quod paratum erat ad honorem, ut ſit in contumeliam. itaque poteſt quidem Deus facere more figuli aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, ſed iuſtè tamen omnia facit, ſecundum hominum merita,

vt

vt hic apertiſsimè in propheta oſtendit. quare illa naturę in duas parteis diuiſio, electorum ſcilicet ac reproborum, nullum hic locum habet, quando hic aſſeritur, ex bene & malè factis & ſalutem & condemnationem proficiſci. at prædeſtinatores non intelligentes mentem apoſtoli, dicunt, hanc maſſam eſſe noſtrum genus corruptum ob parentis Adæ peccatum, à quo corrupti omnes ac mortales proficiſcimur. Deum tamen voluiſſe ſua miſericordia parti uni corruptæ huius naturæ gratificari, reliquam partem in ſua corruptione relinquere, quod iuſtè facere potuerit, ut quæ iam perdita eſſet. verum, ſi verba Pauli ſpectes, hęc eorum ſententia ſtare non poteſt. ſi enim ſtare comparationem vellent, oportuerat apoſtolum dixiſſe.

Nunquid dicet figmentum ei, qui finxit, cur me

in mea corruptione reliquiſti? non autem, Cur me feciſti ſic?

Neque enim prędeſtinatores dicunt, Deum feciſſe naturam hanc corruptam, ſed in ſua corruptione reliquiſſe. quare hic locus minimè omnium pro illis facit, ſed potius & hic & reliquæ Diuinę ſcripturæ eis aduerſantur, quę teſtantur, prius quàm Adam pulſus è paradiſo eſſet, aut filios genuiſſet, voluiſſe Deū redimere ipſum Adam *Gen. 3.*
cum ſua progenie omni, per vnigeniti filij ſui & Domini noſtri Ieſu Chriſti cruentam mortem. quod attigit apoſtolus, cum dixit: ſicut *Ro. 5.*
per vnius peccatum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem. iccirco & Ioannes aiebat. Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & non *1. Ioan. 2*
pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi. cum itaq; Diuina gratia ac voluntate facta fuerit promiſſio humanæ redemptionis ipſi Adæ prius, quàm è paradiſo expelleretur, filiósque genuiſſet, profectò nos omnes, qui eiuſdem naturę ac ſubſtantiæ cum mortali ac redempto Adam ſumus, participes erimus non ſolùm mortalitatis illius, verum etiam redemptionis, quam Deus ſua benignitate fieri voluit. Itaque proteſtantium opinio omnino falſa eſt, & iniuſtitiæ notam inurit Diuinæ maieſtati, dum auferunt partem Chriſtianæ redemptionis parenti Adę promiſſam, quod nemo, qui mente prędi tus ſit, credere poteſt. ſi enim Deus auctorem peccati ſeruari voluit ac redimi, quantò magis eius poſteros, qui eius peccato non aſſenſerunt?

runt? ſed apoſtoli mens eſt in hac tota vel gratiæ vel reprobationis diſputatione, velle oſtendere, vtraque, videlicet & gratiam & reprobationem Deum ſine perſonarum acceptione exercuiſſe, alteram in credentes, alteram in incredulos. & credentibus quidem immiſiſſe ſpiritum ſanctificationis, Diuinam que regenerationem, ut efficerentur filij Dei. incredulis verò ſpiritum caliginis & erroris, vt non fulgeat eis lumẽ Euangelij glorię Chriſti. quare ſequitur apoſtolus.

Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum.

Hic videtur eſſe quædam, quam Græci vocant ἔλλειψιν vel ἀναπόδοτον: ſed ſic abſolue ſententiam. quid habet homo, cur queratur, ſi Deus volens oſtendere iram, cæterá que, quæ ſequuntur. reſpondet autem nunc illi hominum temerariæ interrogationi, hoc modo. vtile eſt hominum generi intelligere, rem eſſe terrificam incidere
Heb. 10. in manus Dei viuentis, & irę atque vltioni eius ſe facere obnoxium. hoc vbi Deus oſtendere vult, non homines ipſe fingit malos, in quos ſęuitiam exerceat, ſed eos, qui ſeſe aptauerunt uaſa irę in interitum, caſtigat, vt eorum exemplo cęteri terreantur. vas erat Pharao, quod ſeſe aptauerat ad interitum. dignus erat, qui continuò plecteretur. verum ingentem erga eum tolerantiam Deus exercuit. atque interea, vt ſub Dei regnò ne mala quidem ſine aliquo eſſent vſu, ita ſapienter omnia moderatus eſt, vt eius correctio multis documento fuerit ac ſaluti. ita vno negocio hęc omnia confecit. oſtendit iram ſuam, notam fecit potentiam, lenitatem ingentem ferendo prę ſe tulit, iudicauit, quanti faceret vaſa miſericordiæ, quę præparauiſſet ad gloriam. Et vide, vt vbique horum hæreticorum ſomnia confutentur. cernis hic.

Vaſa iræ apta in interitum,

Multa cum lenitate & patientia tolerata fuiſſe à Deo. quam aliam ob cauſam, niſi ut eos ad pœnitentiam expectaret? quod apertiſſimè
Rom. 2. Paulus teſtatur, vbi de eiuſmodi contumacibus loquens ait. an diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſe

cundum

cundum opera ſua. audis hic iſtum inuitari per Dei longanimitatem ad pœnitentiam, propterea nimirum, quòd nondum deſperata ſit eius ſalus. & tamen hunc eundem recondere ſibi ob duritiem cordis iram in die iudicij. quod non fieret, ſi, ſecundum iſtos, quis ita reprobatus eſſet, vt ſeruari nullo modo poſſet. in hanc ſententiam & Petrus ait. patienter agit Deus, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. ſicut ſcriptum eſt. propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri. In Iudæos ergo, qui propter obſtinatum animum credere Euangelio noluerunt, hæc vltio uenit, vt fierent vaſa iræ ac perditionis, ſicut prędictum illis antea fuerat per Eſaiam. quia reprobaſtis verbum hoc, icc irco erit vobis iniquitas hæc quaſi interruptio cadens. & per Ieremiam. expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis & caliginem. atque in hunc modum apoſtolus de figulo loquitur, non vt prædeſtinatores volunt, alioqui ipſe & ſibi & Diuinis omnibus ſcripturis aduerſaretur. quæ generalem ſalutem & gratiam Dei pollicentur omnibus, qui credere & obedire eius Euangelio voluerint. qui ſoli iuxta electionem ac Diuinam voluntatem præordinati ſunt ad aſſequendum ſpiritum ſanctum, ac cœleſtem hæreditatem. de quibus ſubdit apoſtolus. &

2. Pet. 3. *Eſa. 30.* *Eſa. 30.* *Ier. 13.*

Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & uocauit, nempe nos, non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus.

Quæ vocatio ita communis omnibus eam volentibus fuit, vt prę ceperit Dominus apoſtolis, euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. ſi iubentur omni creaturæ prædicare, profectò ſpes ſalutis omnibus proponitur, quę ſalus in credentium eſt poteſtate. neque enim dicit, cui dedero donum fidei, ſed, qui crediderit, ſaluus erit. ſic non dixit, cui non dedero donum fidei, ſed, qui non crediderit, condemnabitur. icc irco ei, qui petebat ab apoſtolis. domini quid me oportet facere, vt ſaluus fiam, reſponſum fuit. crede in Dominum Ieſum, & ſaluus eris tu & domus tua. ad quam ſalutem & Chriſtianam redemptionem ij ſoli, qui crediidiſſent, vocati erant gratis per gratiam ipſius. qua in re nulla fuit acceptio perſonarum. & ob hanc cauſam dixit, non ſolum ex Iudæis, qui ſolis ſibi mittendum Chri

Mar. 16. *Act. 16.*

ſtum opinabantur, ſed etiam ex gentibus. cuius rei vt maiorem ſaceret fidem, ſcripturarum adhibet teſtimonia. & ait.

Oſe.2. *1.Pet.1.* Sicut & in Oſee dicit. vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam. & erit in loco, vbi dictum eſt eis, non plebs mea uos, ibi vocabuntur filij Dei viuentis.

Si ergo gentes nunquam antea fuerant in conſpectu Dei populus dilectus, niſi cum per aduentum Chriſti Diuinam gratiam & miſericordiam acceperunt per fidem, quam ſancto Euangelio habebãt, quo pacto ſtare poteſt prædeſtinantium ſententia, qui dicunt Deum ab æterno partem elegiſſe huius naturæ humanæ ad gloriam ac cœleſtem hæreditatem, reliquam verò ſponte ac uolentem abieciſſe? ecce hic eam, quæ non erat dilecta, & quę erat ſine miſericordia, effectam dilectam,

Et miſericordiam conſecutam.

Ier. 12 Contra uerò, eam, quam Deus hæreditatem ſuam vocabat, dimiſſam fuiſſe, ſicut per Ieremiam dicitur. reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam. dicent, opinor, (nam eiuſmodi homines, cum auctoritatibus Diuinarum ſcripturarum deſtituuntur, hæc quærunt diuerticula) eam, quę non dilecta appellabatur, fuiſſe tamen in Dei prędeſtinatione dilectam, & eam, quæ hęreditas appellabatur, in Dei prædeſtinatione, nunquam fuiſſe hæreditatem. quis ſanus hęc ſiccorum & ſanorum viſa, & non potius vinolentorum ſomnia iudicabit? ſi Diuinorum librorum auctoritate niti vos profitemini, oſtendite, quo pacto Diuina auctoritate hæc fulciantur, præſertim vos, qui humanam rationem tam vehementer deijcitis. ſed quæ tandem hæc ratio eſt, velle Deum alium habere erga homines affectum ob prædeſtinationem, alium ob hominum facta? nón ne centies oſtendimus ex ſcripturis, Deum ex factis ſiue bonis ſiue malis iudicare homines, non ex pręſcientia, ſiue prædeſtinatione? quod ſi ita eſt, quid attinet in hac, quę à vobis fingitur (nam quæ à ſcripturis demonſtratur, longè diuerſa eſt) prædeſtinatione ex ſtultis inſanos homines facere? ſed pergamus reliqua. nam hęc ſatis per ea etiã, quæ ſuperius diſputauimus, ſunt cõfutata.

Eſa. 10. Eſaias autem clamat pro Iſrael. ſi fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.

Clamat

Clamat (inquit) vt exaudire omnes poſſint. at quid clamat? ex infinita multitudine, quę olim arenæ maris fuerat comparata, exiguas reliquias eſſe ſeruandas. & modum etiam, quo id fiat, prædicit.

Sermonem enim perficiens & abbreuians in æquitate, quia uerbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram. (Quod ait) ſermonem perficiens & abbreuians in æquitate,

in Hebręo eſt, conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam. ex compendioſa (inquit) fidei prędicatione, immenſa iuſtitię copia, quod per inundationem intelligitur, proficiſcitur. non longo opus erit ambitu, neque laboribus & operum legis fatigationibus, ſed ſummo compendio ſalus hęc comparabitur, ſola ſcilicet fide. ſi enim crediderís corde tuo, & ore confeſſus fueris Dominũ Ieſum, ſaluus eris. Ne verò mirarentur Iudæi, tam paucos ex Iudæis fidem habere huic Euangelicæ prędicationi, & conuerti, oſtendit idem ipſum longe ante fuiſſe prædictum. & ait. *Act.* 8.

Et ſicut prædixit Eſaias. niſi Dominus Sabbaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus. *Eſa.* 2.

Semen appellat exiguas illas credentium Iudæorum reliquias, quemadmodum etiam, cum exigua meſſis eſt, dici ſolet, uix ſemina ſuperfuiſſe. demum aſſignat cauſam etiam, cur obcæcati fuerint Iudæi, & gentes, quæ crediderunt, ſanctificationem ſint conſecutæ, id que per interrogationem, quaſi concluſurus ſuam de hac re ſententiam, & ait.

Quid ergo dicemus? quòd gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem, quæ eſt ex fide; Iſrael uerò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.

Manifeſtè hic apoſtolus non Diuinæ electioni aut reprobationi, quemadmodum prædeſtinatores faciunt, obcęcationem Iudęorum, & ſalutem gentium acceptam refert, ſed alterum ob incredulitatem, alterum ob fidem habitam Euangelio accidiſſe.

Gentes (inquit) quæ non ſectabantur iuſtitiam,

quibus nullæ factæ fuerant promiſſiones, & quas ſine Deo appellat Paulus, ſine cuius agnitione nulla vera iuſtitia eſſe poteſt, *Ephe.* 2.

Apprehenderunt eam iuſtitiam, quæ eſt ex fide,

quam ſcilicet propoſuerat Deus omnibus, qui fidē habuiſſent illius Euangelio, Iſrael verò aduerſans electioni ac voluntati Diuinæ,

Sectando legem iuſtitiæ,

hoc eſt, eam iuſtitiam, quam ex lege ſe aſſequi poſſe adhuc gloriatur, cùm ignoret ſummam legis eſſe Chriſtum ad ſalutem omni credenti,

Ro. 1. In legem iuſtitiæ non peruenit,

hoc eſt, in eam legem, quę verè iuſtitiam affert.

Quare? quia non ex fide,

per quam elegerat Deus ſaluos facere credentes.

Sed quaſi ex operibus.

Et ob hanc cauſam digni fuerunt, qui obcæcarentur, atque impingerent. quare addit.

Offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt. ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali. & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

Eſa.28. & 8. Vtrunque in eodem Eſaia ponitur & alio loco, & ſalus uidelicet gentium, & reprobatio Iudęorum. ſic enim ait. & erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis & petram ſcandali duabus domibus Iſraël, in laqueum & ruinam habitantibus Ieruſalem. erit (inquit) vobis, nempe fidelibus & credituris in ſanctificationem. nam reliquis omnibus, qui per duas domos Iſrael ſignificantur, futurus erat in lapidem offenſionis & petram ſcandali. cuius & 1.Pet.2. beatus Petrus in epiſtola ſua fecit mentionem, cum dixit. propter quod continet ſcriptura. ecce pono in Sion lapidem, ſummum angularem, electum, pretioſum, & qui crediderit in eum, non confundetur. vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem, lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis & petra ſcandali ijs, qui impingunt in verbum, nec credunt. de hoc lapide idem ipſe, qui à prophetis hac lapidis appellatione

pellatione deſcribebatur, ad Iudęos loquens, & impactionem, quam facturi erant, prædicens, citans que ſcripturarum auctoritatem aiebat. nunquam legiſtis in ſcripturis, lapidem quem reprobauerunt *Mat.* 21.
ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. à Domino factũ eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? ideo dico vobis, quòd auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. & qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem verò ceciderit, conteret eum. vbi non ſolum eorum reprobatio deſcribitur, verum etiam quòd futura eſſet miraculo, id que propterea, quòd ipſi reprobauiſſent hunc lapidem. Quare apertiſſimè apoſtolus in hoc capite demonſtrat aduerſus mendacem prædeſtinantium ſententiam, profanos & incredulos Iudæos non fuiſſe odio à Deo habitos & obcęcatos, & ſpiritualibus promiſſionibus, cœleſti que hæreditate priuatos propterea, quòd gratia ac Diuina voluntas eos deſtituiſſet, neque quòd eos voluerit ſine priuata ac peculiari eorum culpa in ſua corruptione ac parentis primi mortalitate relinquere, ut iſti uolunt, ſed propterea, quòd ipſi impiè Diuinam illam ſpreuere iuſtitiam, quam ipſe Deus in eorum ſalutem fuerat operatus per cruentam proprij filij Ieſu Chriſti mortem, dum contra omnem Diuinarum promiſſionum veritatem proprię iuſtitię fiderẽt, quam ex operibus legis expectabant. ob hanc cauſam ſequenti capite dicit. ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam quęrentes ſtatuere, iuſtitiæ *Rom.* 10
Dei non ſunt ſubiecti, & alibi. eo quòd charitatem veritatis non *2. Theſ.*
receperunt, vt ſalui fierent, miſit illis Deus ſpiritum erroris, ut cre- *2.*
dant mendacio. & rurſus. in ſceleribus neſtris dimiſi matrem ue- *Eſa.* 50.
ſtram. quia veni & non erat vir, vocaui, & non erat, qui audiret. ſic
Eſaias. ſi non credideritis, non permanebitis. & ad Hebręos. qui- *Eſa.* 7.
bus iurauit Dominus non introire in requiem ipſius, niſi ijs, qui *Pſa.* 94.
increduli fuerunt? & uidemus, quòd non potuerunt intrare in re- *Heb.* 3.
quiem eius propter ſuam incredulitatem. Ex ijs omnibus & pluribus alijs, & apoſtoli & Diuinarum ſcripturarum locis arguitur, noſtram reprobationem, & in Geennam condemnationem non futuram ab peccatum Adę, neque quia deſit vlli Diuina gratia, neque quia noluerit Deus nos per vnigeniti ſui mortem redimere, quemadmodum & reliquos omnes, ſed quia, cum ob cõmunem gratiam paſſim omnibus propoſitam potuerimus, noluimus fidem habere Euangelio Dei, neque ea ingredi via, quam ipſe omnibus pręcepit,

atque

atque indicauit. Omnes ſcripti ſumus in libro vitæ, à quo neminem Deus delet, niſi ipſius culpa. Deus enim ſalutem duntaxat noſtram cupit, & ob hanc cauſam miſit vnigenitum ſuum, qui & ipſe
Luc. 9 dicebat. filius hominis non venit animas perdere ſed ſaluare. &
Ioan. 3. alibi. non miſit Deus filium ſuum in mundum, ut iudicet mundũ, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. idem omnes ſcripturæ ſanctę tam veteris, quàm noui teſtamenti teſtantur. quare deſinant iſti ita temere ſuos errores tueri, ex paucis ſcripturarum locis praue intellectis, quę ſi rectè volunt intelligere, conſulant totam reliquarum ſcripturarum infinitatem, atque ad eam exiguorum etiam horum locorum, quę pro ſe facere putant, interpretationem accommodent. ipſę enim ſe aperiunt, & fidę ſui ipſarum interpretes ſunt. ſed iſti contra faciunt. volunt enim, vt minimæ parti, quam ſecum facere ipſi ſibi perſuadent, immenſa illa totius ſcripturæ ſacrę loca ſeruiant. ex quo ſequitur, vt per illos non ſtet, quin negetur Diuina gratia, miſericor
Ier. 18. dia, & veritas, quas Deus per ſcripturas ſuas ſanctas paſſim ſine vlla
Eze. 18. perſonarum acceptione pollicetur cuicunque peccatori, qui reuerti
& 33. ex animo ad pœnitentiam voluerit, & ſancto eius Euangelio obtem
Mat. 32. perare. iniquiſſimum præterea Deum faciunt, qui peccatores con-
Luc. 11. demnet ob ea peccata, quę non potuerunt non patrare, cũ illis, iuxta horum dogma, defuerit Diuina gratia, & præterea fuerint obdurati
Heb. 2. & excęcati. quod ſi eſſet, non diceret apoſtolus. abundantius oportet nos obſeruare, quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. &, omnes
2. Cor. 5. nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. neque di-
Rom. 3. xiſſet. alioqui quomodo Deus iudicabit hunc mundum? Sed video, me longius fuiſſe progreſſum, quàm temporis ac loci huius ratio patitur, dum conati ſumus & humanis rationibus, & Diuinis auctoritatibus horum prędeſtinantium opiniones redarguere. reliquum eſt, vt ſequenti oratione etiam pernicioſum illum errorem eorum confutemus, quo nobis omnem arbitrij libertatem adimere conantur. &, ſiquid aliud ex eorum erroribus fuerit attingendum, quàm poterimus breuiſſimè percurremus. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO LXVIII.

EA, quæ de prædeſtinatione fuſius dicta à nobis ſunt, tantò magis fuerunt dictu neceſſaria, quòd in eiuſmodi errores incidunt non ſolum qui manifeſtè hæretici ſunt, verum etiam ij, qui ſe in primis catholicos profitentur. dum videlicet rationes ab humana ſapientia acceptas, quarum ſuperioribus orationibus fecimus mentionem, populo proponunt, atque ita parum prudenter loquuntur, vt auditores penè in deſperationem adigant, &, cum ſe Diuinæ maieſtati fauere maximè opinantur, tum ei detrahunt maximè. qui ſi cogitarent, quam ob cauſam de ea materia apud populum tractent, nullam opinor aliam inuenirent, quàm curioſitatem, cui plerunque coniuncta ſit oſtentatio, & captandę gloriolæ appetitus. hac itaque parte ſatis munita & aduerſus hęreticos, & aduerſus imprudentes, ne dicam impudentes catholicos concionatores, quod ſumus polliciti perſequamur. Idem proteſtantes ob ignorationem verę ſanctarum ſcripturarum intelligentiæ, efficiunt, vt eædem ſcripturę inter ſe maximè diſſentiant. nam pręcipit vbique Deus, vt eius pręceptis obtemperemus, quod niſi præſtemus, æterna Geennę incendia interminatur. hoc autem non pręſtatur, niſi à volentibus. & tamen iſti, ut calumniam peccantium in Deum reijciant, dicunt, in homine, poſt primi parentis Adæ peccatum, non eſſe libertatem ac facultatem, qua credere quis poſſit, aut Diuinis obedire præceptionibus, ſed ſolam eam libertatem reliquam eſſe, qua malè agere poſſit, ac ratione carentibus eſſe deterior, niſi Deus peculiare quoddam donum det, quo eum credere faciat, ac eius imperio obedire, id que Domini auctoritate confirmant, qua ait. ſine me nihil poteſtis facere. & apoſtolus. non quòd idonei ſimus cogitare ali- *Ioan.* 15.
quid à nobis quaſi ex nobis, ſed quod idonei ſimus id ex Deo eſt. 2. *Co.* 3.
& rurſus. Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bo- *Phili.* 2.
na voluntate. quare ſequitur iuxta horum dogma, eos, qui non credunt, neque obediunt Euangelio, propterea id pati, quòd deſit eis Diuina gratia, ſine cuius peculiari dono præſtare iſta non poſſunt. cur ergo hęc à nobis poſtulat Deus, &, niſi ea pręſtemus, æternum

ignem interminatur? cur Diuinæ omnes ſcripturæ admonent, vt pœnitentiam agamus, & Diuinis præceptis obediamus, vt eius redemptionis & ſalutis eſſe participes nobis liceat? cur Diuina ſcri-
Ier. 4. ptura dicit. laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias? &, la-
Eſa. 1. uamini, mundi eſtote, ac ſexcenta alia, quorum partem ſuperioribus orationibus attigimus? cur Deus tam ingentem vltionem exercuit aduerſus obſtinatos & peccatores, ſi credere non potuerunt, ac Diuinę voluntati obedire? cur minantur ſcripturę ſacrę interitum ſempiternum non obedientibus Euangelio, ſi facultas in eis non eſt hoc pręſtandi? poſſent profectò hoſtes Euangelij dicere, Chriſtum atque eius apoſtolos veritatem non dixiſſe propterea, quod ipſi capitales Chriſti hoſtes ſeruant Diuina præcepta ac virtutes, quę ad mores pertinent. idem ethnici ac barbarę nationes dicere poſſent, idem & philoſophi, qui ſine Chriſto iuſtè ac penè irreprehenſè vixerunt. ſi non poſſet homo à malo ſe cohibere, & rectè factis incumbere, cur tot leges & Diuinæ, & canonicę, & ciuiles ſcriptæ ſunt aduerſus tranſgreſſores legum? ij nimium profectò in hac parte, quemadmodum & in alijs longius à Chriſtianę fidei veritate aberrauerunt, dum peruerſis ſententijs ſcripturas ſacras interpretantur. vos verò obſeruate, quo ſe res pacto habeat. Poſt peccatum primi parentis Adę non eſt amiſſa arbitrij libertas, neque animi vires, Diuinitus à cœleſti patre nobis ingeneratæ, quia potius videtur ipſum peccatum nobis acquiſiuiſſe ſcientiam boni & mali, qua eligere bonum poſſet, ac malum reijcere. atque hoc mihi videtur ſummæ bonitatis opus, quæ ne peccantem quidem deſeruerit, neque ſine viribus reliquerit, quibus reſurgere ab errore aliquando poſſet. quòd niſi expulſus Adam à paradiſo fuiſſet, ea facultate, quam fuerat adeptus, agnoſcendi boni ac mali, vſus proculdubio fuiſſet. cum enim cerneret, ſe mortalem ob peccatum effectum, acceſſiſſet ad lignum vitæ, vt immortalitatem recuperaret. quare ob eam ipſam cauſam, videlicet ne veſceretur ligno vitæ, pulſus paradiſo fuit, non ob peccatum, ſed mortalis quidem ob peccatum euaſerat, vt ſcriptura Geneſeos memorat, obnoxiúſque corruptioni atque ęternę morti fa-
Gen. 3. ctus. obſeruentur enim Diuinæ ſcripturæ verba. ſic enim ſcriptum eſt. ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis ſciens bonum & malum. nunc ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in ęternum. & ne rediret Adam ad accipiendum

piendum ex eo ligno, collocauit ante paradiſum cherubim, & flam *ibidem*. meum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, itaque niſi acceſſus ad illud lignum intercluſus fuiſſet, accepiſſet ex ea arbore vitæ, quod maximum bonum eſt, ex ſcientia; quam ade ptus fuerat, boni ac mali. quòd ſi hoc potuit Adam, quantò nos magis accedere ad lignum vitę poſſumus Dominum Ieſum Chriſtum in redemptionem & ſalutem æternam; à quo tantum abeſt, vt prohibeamur, vt etiam maximis adhortationibus, & minis etiam, niſi id præſtemus, inuitemur, vt accedamus? quòd verò hęc facultas eligendi boni & abijciendi mali relicta nobis ſit, in ipſo Cain oſtenditur, cui dictum fuit. quare iratus es? & cur concidit *Gen. 4.* facies tua? nónne ſi bene egeris, recipies, ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſub te erit appetitus illius, peccati videlicet, & tu dominaberis illius, nempe ſi volueris. at ipſe obedire nolens Diuino conſilio, iuſtè execrationi fuit obnoxius. quod & originali mundo, & Sodomæ ac Gomorrę, & quicunque caſtigati à *Gen. 7.* Deo fuerunt, vſu euenit, qui noluerunt ijs animi viribus vti, quas *Gen. 19.* Deus in eorum naturam omnibus ingenerauerat. ſicut enim à patre Adam ſecundum carnem accepimus corporis membra, & ſenſus, quibus vti ac non vti poſſimus; ſic interiorem hominem à cœleſti patre habemus, Diuinis viribus ditatum, quibus incumbere in virtutes poſſumus, & reuerti per pœnitentiam ad Deum, & ſancto eius Euangelio obedire. atque ob hanc cauſam, quòd ſcilicet habet homo Diuinas vires. quibus ingredi in via mandatorum Dei poſſit, præcepit Deus homini, intentata etiam æternę mortis pœna, vt eas vires exerceat, ac diligat Deum ex toto corde ſuo, tota a- *Deu. 6.* nima, tota mente, omnibus viribus. quòd ſi vetus Adam obijcit ſeſe, atque interturbat, dicitur tamen, ſub te erit appetitus eius, & *Gen. 4.* tu dominaberis illius. quòd ſi nimium premi ſe ſenſerit, poteſtatem habet Diuinę opis inuocandæ, quę nunquam deeſt eam poſtulantibus. neque verò dicimus has vires idoneas eſſe ad euellendas carnis ac peccati concupiſcentias, ſed per has obſiſti poteſt, ne nobis dominentur. nam penitus eas tollere, ſolius Chriſti eſt. iccirco enim ipſe dixit. ſi filius vos liberauerit, verè liberi eritis. & Ioan- *Ioan. 8.* nes. in hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli, quod *Ioa. 3.* erat ipſum corpus peccati. de quo intellexiſſe videtur Ioannes Bapti- *Ioan. 1.* ſta, cum dixit, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, quo

nimirum obnoxij omnes eramus morti animę & carnis concupi-
Rom.6. ſcentijs. de hac liberatione etiam Paulus dicebat. ſcientes quòd ve-
tus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati,
Gal. 5. vt vltra non ſeruiamus peccato. & alibi. qui ſunt Chriſti, carnem
ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. & huius muneris
Rom.6. dans gloriam Deo ait. gratia autem Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati,
liberati autem à peccato, nempe per ſanguinem & mortem Chri-
ſti, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. & paulò poſt. nunc uerò liberati à pec-
cato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctifica-
tione, finem verò vitam ęternam. Ob hos itaque fructus ſanctifi-
cationis Chriſtianę ac nouitatis vitæ ſecundum nouum interiorem
Ioa. 15. hominem, ac nouam creaturam Seruator Chriſtus dicebat. ſine me
ibidem. nihil poteſtis facere. &, qui manet in me, hic fert fructum mul-
Phili. 3. tum. ob quos etiam fructus dicebat apoſtolus, conuerſatio noſtra
in cœlis eſt. quia poſt adeptum ſpiritum ſanctificationis, alijs cogi-
tationibus aſſueſcebant, quàm eę eſſent, quas antea habuerant. tunc
enim, hoc eſt, poſt ſanctificationem acceptam, ſpiritus ſanctus fa-
ciebat eos & velle, & operari, & cogitare cœleſtes cogitationes, &
fructus parere ſanctitatis. & ob hanc cauſam dicebat apoſtolus.
Phili. 2. Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona vo-
2. Co. 3. luntate. & alibi. non quòd idonei ſimus cogitare aliquid à nobis,
quaſi ex nobis, ſed quòd idonei ſimus, id ex Deo eſt. in hunc er-
go modum hæ auctoritates ſunt accipiendę. non quòd non poſſit
homo viribus animę ſibi à Deo inſitis credere Euangelio, & pœni-
tentiam agere, ac viuere cum ratione, quemadmodum iſti contra
Diuinarum ſcripturarum veritatem volunt, ut ſuam falſam de pe-
culiari electione ac prædeſtinatione ſententiam tueantur. Ex quo
magis arguitur mendax & pernicioſa eorum doctrina, quam de iu-
Mar. 1. ſtitia & operibus proferunt. cum enim ſanctum Euangelium requi
rat à nobis neceſſariò, intentata etiam æternę mortis pœna, ut pœ-
nitentiam agamus, & Euangelicis præceptis obediamus, iſti con-
trarium docent, & dicunt, hæc non eſſe neceſſaria ad adipiſcendam
Chriſtianam iuſtificationem, & ea auctoritate nituntur, quę ait.
Rom.4. ei, qui operatur, non imputatur merces ſecundùm gratiam, ſed ſe
cundum debitum, ei verò, qui non operatur, imputatur fides
eius ad iuſtitiam. & quod ſequitur. arbitramur hominem iuſtifi-
Gal. 2. cari per fidem ſine operibus legis. & illud, ſi per legem iuſtitia, ergo
gratis

gratis Chriſtus mortuus eſt. & eius generis alia, quibus ob verę intelligentiæ ignorationem concludunt hominem ſola fide ſine operibus iuſtificari. ob quam opinionem fuerunt multis cauſa, cur perirent, & in libertatem carnis abuterentur Euangelio, dum libertatem ſuis ſectatoribus pollicentur, ipſi ſerui corruptionis. at Chriſtus Ieſus contraria prorſus docet, quia à nobis primum requirit illam ex animo pœnitentiam, & obedientiam, quod & ipſe ſuę prædicationis initio declarauit. ſic enim ſcribit Marcus. venit Ieſus in Galilęam, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens pœnitentiam agite, & credite Euangelio. hęc inquam requirit, ſi adipiſci uolumus ſpiritum iuſtificationis, & ſanctitatis, quem dedit Deus (ait apoſtolus Petrus) omnibus obedientibus ſibi. quare ſecundum Diuinarum ſcripturarum veritatem neceſſe eſt pœnitentiam agere ex animo, & exuere veterem hominem, & affectus omnes carnis, atque ad Euãgelicorum pręceptorum regulam viuere, ſi ſpiritum ſanctificationis volumus adipiſci, ſicut prædictum per Eſaiam fuit. ſuper quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & contritum corde & trementem ſermonē meum? ſic Petrus quærentibus, quid agendum ſibi eſſet, ut ſalutem conſequerentur, dixit. pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquiſque veſtrum in remiſsionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. At proteſtantes mira ſibi hac in re fingunt ſomnia, dicúntque, oportere primum credere, nos eſſe iuſtificatos, Deúmque non imputare nobis noſtra peccata, deinde incipiendum obedire Euangelio, non vt rei neceſſariæ ad iuſtificationem, & remiſsionem peccatorum, ſed tantum amoris gratia. at Euangelica doctrina aliter docet, vt ſcilicet ante ſpiritus ſancti donum, pœnitentiam agamus. an pœnitentia, quę ex corde proficiſcatur, opus non eſt, ídque pręſtantiſsimum? an obedire Euangelio opus non eſt? at hæc, Euangelica doctrina vult, vt iuſtificationem antecedant. O ingentes tenebras, quas oculis hominum offudiſtis, quibus perſuaſi homines ac ſeducti, neque pœnitentiam neque Euangelij obedientiam curauerunt, ſed abiecto omni timore Dei pro certo habentes, Deum poſthac ſua illis peccata non imputare, vitam egerunt in ſuis concupiſcentijs. Vos verò ciues mei obſeruate, multum intereſſe inter opera fidei, quæ à nobis poſtulat Euangelium, vt Diuinas promiſsiones conſequi liceat, & opera legis, de quibus apoſtolus dixit. arbitramur iuſtifi- *Rom. 3.*

Mar. 1. *Act. 5.* *Eſa. 66.* *Act. 2.*

cari hominem per fidem ſine operibus legis : quibus cur apoſtolus detrahat, hoc in cauſa eſt. nam Iudęi ignorantes, Chriſtum eſſe finem legis in ſalutem omni credenti, falsò ſibi perſuadebant, ſe iuſtos eſſe apud Deum ex operibus legis ſine illa iuſtitia, quam Chriſtus in totius mundi ſalutem per mortem & reſurrectionem ſuam fuerat operatus, quam iuſtitiam aſſequimur per fidem, quam ſancto
Gen. 15. eius Euangelio adhibemus. de qua iuſtitia dictum eſt. credidit Abra
ham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, videlicet per Chriſtum
Exo. 20. conſequendam. neque ſatis eſt ea facere vel cauere, quæ lex præcipit, ut non occidere, non furtum facere, & alia huius generis, ad iuſtificationem conſequendam, niſi eam iuſtitiam admittant per fidem, quam Chriſtus in eorum ſanctificationem eſt operatus. ob hanc cauſam apoſtolus Iudæis aduerſatur. at opera fidei contrariò ſe habent modo. nam qui credit, obtemperat Euangelio, vt iuſtificationem conſequatur & ſanctitatem, quam ipſum Euangelium pollicetur. quę iuſtificatio tamen haberi non poteſt, niſi, adhibita fide veris promisſionibus, obtemperemus Euangelio. nam factis promisſionibus prius opera noſtra præcedant neceſſe eſt, poſtea ve
Mat. 19. rò donum ſequatur promisſionum. exempli gratia, promiſſum eſt,
Mar. 10. centuplum accipietis & vitam æternam posſidebitis. hanc promisſionem ſi volumus adipiſci, neceſſe prius eſt, ut vnum illud de-
Act. 2. mus, ut centuplum habeamus, & vitam æternam. ſic Deus pollicetur ſe daturum ſpiritum ſanctificationis, ſi pœnitentiam agamus, & abijciamus opera tenebrarum. fides ergo, quam adhibemus his pollicitationibus, efficit, ut pœnitentiam agamus, & exuamus veterem hominem, & obediamus Euangelio. quo facto, per hanc fidem Deus mox pręſtat, quod in ſua gratia ac voluntate pollicitus eſt: atque hoc pacto ſummè neceſſaria ſunt opera noſtra, atque erga Euangelium obedientia prius, quàm diuinas promisſiones adi-
Gen. 22. piſcamur. ideo dictum fuit Abrahę, quia obediſti voci meę, erit ti
Iac. 2. bi hoc atque hoc. & beatus Iacobus aduerſus eos, qui operari recuſabant, ait. O homo inanis vis ſcire, quòd fides ſine operibus mortua eſt? Abraham pater noſter, non ne ex operibus iuſtificatus
Rom. 2. eſt, offerens Iſaac ſuper altare? & Paulus. non auditores ſed factores legis iuſtificabuntur. & hi duo apoſtoli nihil inter ſe diſcordes
Rom. 3. ſunt, quamuis dixerit Paulus. arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. nam loquitur aduerſus eos, qui ſe iu-

ſtificari arbitrabantur ſua iuſtitia, quam operabantur factis legis, & non illa, quam promiſerat Deus per redemptionem vnigeniti filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti. & Iacobus inuehitur in *Iac. 2.* ocioſos, qui obedire nolebant Euangelio, ut conſequi cœleſtes promiſſiones poſſent, ſed arbitrabantur ſatis eſſe ad ſalutem, quòd Euangelio credidiſſent. quod plerique omnes hac ætate facimus. nam omnes credidimus Euangelio, ſed pauci ſunt, qui ei obediant. omnes in baptiſmo abrenuntiauimus Diabolo ac mundo, pompís que & vanitatibus eius omnibus, polliciti que ſumus coram ſanctiſſimæ trinitatis teſtimonio, nos ſancto Euangelio eſſe obtemperaturos. & tamen ita nihil horum præſtatur, vt nulla Chriſtianę vitæ forma reliqua eſſe videatur. non enim impletum in nobis cernitur, quod de ijs, qui ſub Euãgelio futuri eſſent, prædictum fuit. vocabunt eos, populus ſanctus, redempti à Domino. neque illud *Eſa. 62.* omnes, qui viderint eos, cognóſcent illos, quòd iſti ſunt ſemen, cui *Eſa. 61.* benedixit Dominus: ſed potius ſemen nequam, filij ſcelerati, prin- *Eſa. 1.* cipes Sodomorum, & populus Gomorrę. Sed peccarunt nimium ſummo cum populi Chriſtiani detrimento proteſtantes in hac parte, qui iuſtificationem prędicarunt ſine obſeruatione Euãgelicorum pręceptorum. neque enim metuendum erat, ne nos id faceremus, quod Iudæi faciunt, qui ſolum gloriantur externa iuſtitia, quam ex operibus legis adipiſcuntur. at Chriſtiani rectè factis operam dant, vt aſſequantur promiſſiones, & iuſtificationem à Deo expectant ac ſanctificationem, non à ſuis operibus. nam fides & opera tanquam manus ſunt, quibus Diuinas promiſſiones accipimus. neq; tamen deſinit verum eſſe, quòd non ex operibus iuſtitię, quæ nos feceri- *Tit. 3.* mus, ſalui ſimus facti. nam ſi pauperi manum porrigenti nummum aureum demus, non iccirco dicimus illam manuum porrectionem meruiſſe illam eleemoſynam, ſed oportuiſſe pauperem manũ porrigere, vt eleemoſynam illam haberet. ſic nos credendo Euangelio, atque ei obtemperando, quaſi manum porrigimus, qua iuſtificationem aſſequimur ac ſalutem, quæ nihilominus eſt ex Dei miſericordia, non ex meritis ac factis noſtris, quę tamen facta, uult Deus, qua eſt benignitate, pretium apud ſe habere. Cęcutiunt ergo uehementer in hac materia, quia Chriſtianæ veritatis lumine ſunt deſtituti: neque hoc contenti malo, illud etiam addiderunt, quòd Chriſtianis operibus detrahunt ſuam dignitatem, & uileſcere ea faciunt, dicunt

que, ea apud Deum fœtere, & prophetam Eſaiam teſtem adhibent,
Eſa. 64. qui ait. omnes nos immundi, & tanq̃ pannus menſtruatæ omnes
iuſtitiæ noſtræ. neque intelligunt prophetam hoc dicere, non propter opera, ac precationes eorum, qui Diuinæ voluntati cupiebant eſſe obſequentes, ſed ob tranſgreſſores & inobedientes, qui nolentes ab iniquitate diſcedere, tamen volebant à Deo exaudiri, & dice-
Eſa. 58. bant. quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras & neſciſti? quibus reſpondet Deus. ecce in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impio. verum, quia Eſaias erat membrum illius peccatoris & contumacis populi, numerat ſe inter illos, & in ſcelerati populi perſona iſta loquitur. at ſancti apoſtoli contraria ijs docent, oſtendúnt que, recta & honeſta facta & precationes, res eſſe acceptiſſimas Deo. quare aiebat
1. *Pet.* 2. apoſtolus Petrus. offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo. &
Rom. 12. Paulus. obſecro vos per miſerationes Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctã, Deo placentẽ. & de eleemoſynis lo-
Phili. 4. quẽs ait. quæ miſiſtis in odorẽ ſuauitatis, hoc eſt, in odorẽ ſuauiſſimum. ſcimus enim, quàm vehementer recreare ſoleat ſuauis odor, ideo hac vtitur ſimilitudine ad ſignificandum, quantum hæc Deo
Gen. 8. grata ſint. quare & in Geneſi dicitur. odoratus eſt Dominus odo-
Apo. 8. rem ſuauitatis. ſic in Apocalypſi. & alius angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum. & aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum, de manu angeli coram Deo. quare proborum hominum & timentium Deum preces & opera gratiſſima Deo ſunt.
Gen. 4. aſpexit (inquit) Deus ad Abel & ad eius munera. ad Cain autem
1. *Ioan.* 3 non aſpexit, nec ad munera eius. quare? quoniam opera eius (ait
Act. 10. Ioannes) maligna erant, fratris autẽ eius iuſta. ſic Cornelio dictum fuit. orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. itaque improbis quidem, & qui abalienato à Deo
Eſa. 1. ſunt animo dicitur. ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra. incenſum abominatio eſt mihi. neomeniam & ſabbatum & feſtiuitates alias non feram. & cũ extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. manus enim veſtrę ſanguine plenæ ſunt. ſed quid prius eſt faciendum?

lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum ueſtrarum ab *Ibidem.*
oculis meis, quieſcite agere peruerſè, diſcite bene facere. ſic in Euan *Mat.5.*
gelio. ſi offers munus tuũ ad altare, & recordatus ibi fueris, quòd
frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque munus tuum ante
altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres
munus tuum. Cum apud me cogito, cur venerit in mentem iſtis,
ita uehementer exagitare opera, primum quidem hoc tribuo igno-
rationi veræ ſanctarum ſcripturarum intelligentiæ, ſed præterea ve-
reor hoc illis ex eo accidiſſe, quòd exiguam rectè factorum habue-
rint experientiam, & illius Chriſtianæ exercitationis, quæ uerè inte-
riorem innouat hominem, cuius innouationis expertes cum ſint,
nihil mirum eſt, ſi etiam imputatiuam iuſtitiam introduxerunt, &
Chriſtianam iuſtificationem fieri per imputationem docēt, aſtruen-
tes hoc verbis apoſtoli, ubi ait. ſcriptum eſt autē non propter ipſum *Rom.4.*
tantum, quòd reputatũ eſt illi ad iuſtitiam, ſed & propter nos, qui-
bus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum
à mortuis. quod ſi ita eſſet, ij, qui ſub veteri teſtamento fuerunt, fe-
liciores multò iјs fuiſſent, qui ſub nouo ſunt. nam illi præter illam
imputatam iuſtitiam, temporarias etiam & terrenas promiſſiones
conſequebantur, quæ nobis factæ non ſunt, deinde ſi iuſtificatio nō
ſtra non re uera, ſed tantum per imputationem eſt, quid attinebat,
magnifica illa uerba de credentibus ſub Euangelio proferre, quibus
prophetæ omnes pleni ſunt, quæ ad imputatam iuſtitiam pertinere
nullo modo poſſunt? uidete enim, quàm admiranda de fidelibus
ſub Chriſto prædicent. vocabunt (inquit) eos, populus ſanctus, *Eſa.62.*
redempti à Domino. & alibi. in diebus illis dabo ſanctificationem *Eze.37.*
meam in medio eorum in perpetuum. &, in diebus illis effundam *Eze.36.*
ſuper uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquina-
mentis veſtris, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum meum ponam
in medio veſtri. & illud celeberrimum. ecce dies venient, dicit Do *Ier.31*
minus, & conſummabo ſuper domum Iuda teſtamentum nouum. *Heb.8.*
quodnam illud? dabo leges meas ſcriptas in cordibus eorum. &
Moſes. circuncidet Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut dili- *Deu.3.*
gas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.
& ſanè qui contemplatur illam per omnes Pauli epiſtolas vitiorum
mortificationem, carnis que concupiſcentiarum, & viuificationem
ac Chriſtianam ſanctificationem, quæ in regeneratis in Chriſto fuiſſe
dicit

dicit, cum illa iſtorum imputatione conuenire non poteſt. neque
Ephe. 1. enim vnquam dictum antiquis ſub lege Moſis fuit, eos omni ſpirituali benedictione fuiſſe donatos, & electos vt eſſent ſancti & im-
Gal. 5. maculati in conſpectu Dei in charitate, & eos carnem ſuam crucifixiſſe cum vitijs & concupiſcentijs, & plura huius generis. Si alia iuſtitia per aduentum Chriſti allata non eſſet, niſi ea, quam vete-
Rom. 3. res habuerunt, non dixiſſet apoſtolus. nunc autem iuſtitia Dei reuelata eſt, teſtimonium habens à lege & prophetis. iuſtitia autem Dei per fidem in eum. hęc autem iuſtitia in ipſis naſcétis eccleſiæ initijs re ipſa erat, in uiuum Chriſtianę ueritatis ac redemptionis teſtimonium. & hanc iuſtificationem conſequi neceſſe eſt eos, qui in
Apo. 21. regnum cœlorum ſint ingreſſuri. nihil enim coinquinatum intrare
Rom. 4. poteſt in regnum cœlorum. Quod ergo ait apoſtolus, non eſt ſcriptum propter illum tantum, quòd imputabitur fides eius ad iuſtitiam, ſed & propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum, non hoc dicit ob fideles noui teſtamenti, ſed loquitur ad Iudæos, docens non eſſe illam eorum iuſtitiam, de qua ipſi gloriabantur in operibus legis, ſed eam, quę promiſſa fuerat patri eorum Abrahæ per fidem, quam diuinis promisſionibus adhibuiſſet, & idem ipſis eventurum, quod eorum patri Abrahæ, ſi fidem adhibuiſſent Euangelicis pollicitationibus. idem eſt ergo, ac ſi diceret, ſicut fides Abrahæ imputata ei fuit ad iuſtitiam conſequendam per Chriſtum (neque enim dictum fuit, reputatus eſt iuſtus, ſed reputatum
Rom. 4. eſt ei ad iuſtitiam) ſic vos eandem iuſtitiam conſequemini, ſi in Chriſtum credideritis, quæ olim teſtimonium habens à lege & prophetis, nunc manifeſtata eſt ipſis fidelibus. Quare longè diuerſa eſt Chriſtiana iuſtificatio ab illa, quam proteſtantes habere ſe profitentur. qui ob falſam diuinarum ſcripturarum intelligentiam, aliud ingens malum introduxerunt, quo factum eſt, vt multi in libertatem carnis ſe darent, & ſancto Euágelio minimè obedirent. cũ enim eorum diſcipuli, non eſſent ſanctificati, ac ſancto ſpiritu viuificati, quo in nouitate vitæ ambulatur, dum iſti prędicarent, iam hominem ſub Dei timore non eſſe, neque ſub Diuinæ legis minis, euaſerunt multò deteriores, quàm prius eſſent, cum vel pœnarum metu à ſceleribus cohiberentur. Cur autem volunt hi tantopere nos à
Phili. 2. Diuino timore ſubducere? quo Paulus vult fideles ita vti, vt, cum de hoc loquitur, non contentus dixiſſe, cum timore, adijciat, &

cum

cum tremore veſtram ipſorum operantes ſalutem. &, cum tam ſę-
pe hortatur, vt, qui ſtat, videat, ne cadat. & ſuum ipſius exem- 1.Co.10
plum proponit, quòd ſcilicet caſtiget corpus ſuum, & in ſeruitu- 1.Co.9.
tem redigat, ne, cum alijs prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur. &
Hebręos admonet, metuamus (inquiens) nequando derelicta pro Heb.4.
miſſione introeundi in requiem eius, videatur aliquis ex vobis fuiſ
ſe fruſtratus. & ad Corinthios proponit exemplum eorum, qui cur 1.Cor.9.
runt quidem omnes, ſed vnus accipit brauium, & eorum, qui in
agone contendentes, ab omnibus abſtinent. hęc inquam & his ſi-
milia quàm plurima cum proponit, quid vult aliud, quàm ut cum
maximo timore viuamus? his monitis omnes veteris ac noui teſta-
menti ſcripturę plenæ ſunt, & plurimi faciunt timorem Dei pro-
pterea, quòd inſtrumentum eſt, non ſolum ad cauenda peccata,
verum etiam ad omnem gratiam ac miſericordiam à Deo cõſequen
dam efficaciſſimmum. vide enim, quid de timentibus Deum dica-
tur, quid ue illis promittatur, voluntatem (inquit) timentium ſe fa Pſ. 144.
ciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. quo
quid excogitari felicius poteſt, quàm vt Deus voluntatem noſtram
faciat? & alibi. ſecundum altitudinem cœli à terra, corroborauit Pſ. 102.
miſericordiam ſuam ſuper timentes eum. &, quomodo miſeretur
pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentium ſe. &, miſericor
dia autem Domini ab ęterno vſq; in æternum ſuper timentis eum. ibidem.
& ipſa uirgo Dei mater. miſericordia eius à progenie in progeniem Luc. 1.
timentibus eum. hunc timorem quoniam abiecimus, videte quo-
modo res Chriſtiana peſſum eat. vt in nos rectius dici posſit illud,
quod ab Eſaia in Iudæos fuit dictum. Væ genti peccatrici, populo Eſa. 1.
graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis. dereliquerunt Do
minum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retror-
ſum. omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pe- Ibidem.
dis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. & Ieremias. à principe Ier. 6.
vſque ad ſacerdotem, & à minore vſque ad maiorem omnes auari
tiæ ſtudent. Videte rurſus Pauli verba, quæ de ijs, qui Deum non
norant, dicit, ſi non in hanc non minus ætatem quadrant, quàm
in illos, in quos inuehitur. tradidit (inquit) illos Deus in repro- Rom. 1.
bam mentem, vt facerent, quæ non conueniebat, repleti omni in-
iuſtitia, ſcortatione, verſutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæ-
de contentione, dolo, malis præditi moribus, ſuſurrones, detra-

ctores, Dei oſores, contumelioſi, elati, glorioſi, excogitatores malorum parentibus immorigeri, expertes intelligentiæ, pactorum minimè tenaces, alieni à charitatis affectu, neſcij fœderis, immiſeri cordes. quis non videat Chriſtianum orbem ijs, & pluribus etiam plenum malis propterea, quòd timor Dei abiectus eſt? qui apud Iudæos & Turcas, & barbaras alias nationes magis uiget, quàm apud nos. ubi nam ſunt illi fructus ſpiritus, qui & in prophetis prædice-
Act.4. bantur futuri, & in prima eccleſia reperiebantur? tunc erat credentium cor unum & anima una, ſpiritum habebant ſanctificationis, pacis, ſobrietatis, unitatis, honeſtatis, omniúmque uirtutum. hi nouę regenerationis fructus ne nominantur quidem in nobis, nedum ut exiſtant. euaſimus horum proteſtantium diſcipuli, qui ſine ullo Dei timore in peſſimis factis perſeuerantes, perſuademus tamen nobis in electorum numero eſſe nos, & habere ſpiritum ſanctum, iuſtificatos eſſe, & pacem habere cum Deo ob redemptionem, quam nobis attulit unigenitus illius ac dilectus filius, ſed deſtituti omnibus rectè factis, in æterna Geennę incendia detrudemur, quia fatemur
Tit. 1. noſſe Deum, factis autem negamus. nam & Dęmones credunt, &
Iac. 2. contremiſcunt, nec tamen ſeruantur, qui plus aliquid faciunt quàm nos, qui credere nos profitemur, interea nullo Dei timore prędıti. Hac fide non eſt contentus Deus, ſed eam uult, qua ſancto illius Euangelio obeditur, cuius Euangelii ſumma eſt, mutua inter nos di-
Ioan.15. lectio. hoc eſt pręceptum meum (inquit) ut diligatis inuicem, ſicut
ibidem. dilexi uos. &, hoc mando uobis, ut diligatis inuicem. &, in hoc
Ioan.13. agnoſcent homines, quòd diſcipuli mei eritis, ſi mutuo inter uos dilexeritis. uideamus ergo, quo pacto ij, qui ſe credere Euangelio dicunt, hoc præceptum ſeruent. intueamur nationes, prouincias, regna, urbes, oppida, & videbimus, non minus capitali odio Chriſtianos inter ſe laborare, quàm ſi cum barbaris & efferis nationibus res
1.Co.12 ageretur: quinam ſunt in quibus impleatur, quod ait Paulus. uos
1.Co.10 eſtis corpus Chriſti & membra ex parte? &, unus panis & unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus? nos enim non ſolum non oſtendimus, eſſe nos myſticum Ieſu Chriſti corpus, ſed uera potius Diaboli membra, & nequiores, magis que inquinatos ac fœtidos quàm ipſi Dęmones ſint. nam maligni illi ſpiritus ob horrendi iudicij metum, uerentur illum probris afficere, quamuis natura fortiores ſint ad perferenda tormenta,

quàm

quàm nos ſimus. & tamen nos aſſiduis & quotidianis contumeliis illum afficimus, & cum factis tum uerbis plus uilipendimus, quàm domini uiliſſima mancipia. & hæc omnia fiunt ob ſublatum Diuinum timorem. nam ſecundum proteſtantium doctrinam, Chriſtus timorem ſuſtulit, non imputans nobis peccata noſtra. Deus enim habet nos pro iuſtis, & omnia cooperantur in bonum. non *Rom.* 8.
enim iam ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. tu ergo Seruator Chriſte miniſter corruptionis es atque peccati? tu amouiſti nos à Diuinæ legis obedientia ſublato timore, poſtea quàm non imputas nobis lætalia noſtra peccata, atque ita elegiſti, ac prædeſtinaſti, ut interire poſthac non poſſimus? tu ergo cauſa es tantorum noſtrorum ſcelerũ, dum effeciſti, ne ſimus ſub lege, ſed ſub gratia, ob quam non imputantur iam nobis peccata, ut iſti uolunt, quando ſatis à te factum eſt Diuinæ legi? non metuendum ergo poſthac eſt, licet Diuinis pręceptis tuis aduerſemur, quando liberatos nos à lege ſub gratia collocaſti? O blaſphemiam & ſententiam ipſi Euangelicæ ueritati manifeſtè contrariam. tantum enim abeſt, ut Chriſtus à Diuina nos lege ſubduxerit, ut etiam accuratiorem à nobis legis obſeruantiam expoſcat.
niſi abundauerit (inquit) iuſtitia ueſtra plus, quàm ſcribarũ & pha- *Mat.* 5.
riſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, atque id quo pacto
faciendum ſit, mox declarat. cum enim lex homicidium prohibeat, *Deu.* 5.
ipſe etiam animi commotionem uetat. lex adulterium, ipſe impu- *Mat.* 5.
dicum etiam aſpectum tollit. lex permittit odiſſe inimicum, Chri- *Exo.* 10.
ſtus iubet, ut eum diligamus. Quid ergo uenit in mentem iſtis tam *Mat.* 5.
abſurda dicere? hoc fecerunt in hac parte, quod & in aliis, uidelicet *Leu.* 19.
uerum ſcripturarum ſenſum peruerſè ad ſuas opiniones detorquẽ- *Mat.* 5.
do. nam quod ait Paulus. non eſtis ſub lege, &, non accepiſtis ſpi- *Rom.* 6. *et*
ritum ſeruitutis iterum ad timorem, uidendum erat, quam ob cau- 8.
ſam hoc dixerit, & ad quos uerba faceret. ubi ergo ait apoſtolus, Chriſtum nos à timore ac minis legis liberauiſſe, oſtẽdere uult Euangelii perfectionem, quam Chriſtus per ſpiritum ſanctum ſuum in ſuis fidelibus operabatur, dans eis, quemadmodum fuerat iam olim
pollicitus, legem ſuam ſcriptam in cordibus eorum. quo fiebat, ut *Ier.* 31.
plus etiam præſtarent, quàm lex præciperet. iccirco aiebat, non ac- *Heb.* 10.
cepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum ad timorem, ut is erat, quem da- *Rom.* 8.
bat lex ſeruantibus eam, qui ob imperfectam uitam obnoxii erant timori minarum legis, ſed ſpiritum adoptionis in filios Dei. quo

Diuino Chriſti ſpiritu in cordibus fidelium ſcripto, nōn contenti terminis legis, ex latitudine charitatis ferebantur, ut plus efficerent, quàm præciperetur. & per legem ſcriptam à ſpiritu Chriſti in cordibus eorum, mortui erant legi per Moſen datę. quod ſignificabat
Gal. 2. apoſtolus cum dicebat. ego per legem legi mortuus ſum, hoc eſt, non iam ei ſubijcior. qui etiam loquens de ea perfectione, quę operante Chriſto per ſpiritum ſuum inerat fidelibus, aiebat. non ſumus
Rom. 6. Gal. 4. ſub lege ſed ſub gratia. qui quaſi prænidens ſceleratas iſtorum interpretationes (quæ uerba miror eos nō obſeruauiſſe) adiecit. quid igitur? peccabimus, quia nō ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? abſit. an neſcitis, quòd cui accommodatis vos ipſos ſeruos ad obediendum eius ſerui eſtis, cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obedientiæ ad iuſtitiam? In hoc ergo noua lex ueteri antecellit, quod illa, ſcripta in tabulis lapideis præcepta dabat, iubebât que, & quæ facerent, & à quibus abſtinerent. nullam verò prętereà opem afferebat, neque vim implendi quæ præciperentur. & hoc eſt, quod ait
Heb. 7. apoſtolus. neminem ad perfectionem adduxit lex. at Euangelica lex, quę per ſanctum Ieſu Chriſti ſpiritum ſcripta in cordibus fidelium eſt, non ſolum euellebat radicitus lætalem omnem concupi-
Rom. 8. ſcentiam. quamobrem dicebat apoſtolus. lex ſpiritus uitę in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. etenim quod lex præſtare non poterat ea parte, qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio miſſo ſub ſpecie carnis peccato obnoxiæ, præſtitit. &
Rom. 7. alibi. cum eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quę per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti. nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſeruiamus in nouitate ſpiritus. non ſolum inquam hoc efficiebat ſpiritus Chriſti, uerum etiam, ut purificata Chriſtianorum pectora, amarent Deum toto corde, & perfectè diuinis præceptioni-
Eze. 36. bus obtemperarent, ut in eis impleretur, quod dictum per Ezechielem fuerat. effundam ſuper uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis ueſtris. &, auferam cor lapideum de carne ueſtra, & dabo uobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio ueſtri, & faciam, ut in pręceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini. in cuius rei teſti-
Rom. 5. monium dicebat Paulus. charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris
Rom. 8. per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. & rurſum. non enim

accepiſtis

accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum ad timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus, abba pater. ipſe enim ſpiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quòd filii Dei ſumus. Quòd uerò interdum inuitat fideles Paulus, ut deponant ueterem hominem, (Eph. 4.) hoc ideo facit, quia primis naſcentis eccleſię temporibus erant, non ſolum qui perfecti eſſent, in uiuum teſtimonium ipſius Chriſtianę ueritatis, uerum etiam imperfectiores, qui tamen crederent, & obedirent Euangelio. itaque fiebat, ut, cum Paulus ad aliquam eccleſiam ſcriberet, utroſque permiſceret, uideretúrque, eoſdem, quos appellabat ſanctos & immaculatos, & repletos omni ſpirituali benedictione, hortari, ut deponerent ueterem hominem, cum tamen eiuſmodi uerba non ad ſanctificatos, ſed ad imperfectiores dicerentur. atque ob hanc cauſam multi diuinas Chriſtianę ueritatis ſcripturas non intellexerunt. Et hæc quidem ſatis ſint ex occaſione uerborum domini, quibus dixit, ut caueamus, *à pſeudo prophetis, qui ueniunt in ueſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*, ad uos admonendos de falſis huius noſtri ſeculi magiſtris, qui, cum ſummam pietatem profiteantur, quàm longiſsimè tamen à pietate homines abducunt. nunc tempus eſt, ut ad Euangelicam narrationem reuertamur, ſed hoc melius ſecundum hanc diem fiet iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO LXIX.

OMNIS *arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur. igitur ex fructibus eorum agnoſcetis eos.* Admonet, qui ſit malarum arborum finis, hoc eſt, earum, quæ fructum bonum non ferunt. hoc enim eſt, eſſe arborem malam, non ferre fructus bonos. ſic homines, qui malos fructus ferunt, non ideo mali ſunt, quod ita ſint facti à Deo, ſed quia cũ bonos fructus ferre deberent, non faciunt, quos fructus niſi ferre poſſent, non ſucciderentur, neque in ignem conijcerentur. & in arboribus quidem fieri poteſt, ut cum uitio quodam naſcantur, quod impedit eas, quò minus

bonos atque incorruptos fructus ferant. at in hominibus non ita, quorum natura, quemadmodum ſuperioribus orationibus eſt demonſtratum, non ita corrupta eſt, ut non poſsint benefacere, & ex malis fieri boni, ſi velint, præſertim cum diuina illius gratia uolentibus nunquam deſit. ſic uas, quòd à figulo factum ſit vas in con-
Rom. 9. tumeliam, non poteſt conuerti, ut ſit vas in honorem, de homi-
2. Ti. 2. nibus uerò quid ait Paulus? in magna domo non tantum ſunt vaſa aurea & argentea, uerum etiam lignea & teſtacea, & alia quidem in honorem, alia uerò in contumeliam. ſiquis igitur expurgauerit ſeipſum ab his, erit uas in honorem, ſanctificatum, accommodum uſibus Domini, ad omne opus bonum præparatum. cernis in hominibus non naturam, ſed purificationem, quam Paulus in hominis poteſtate collocat, efficere, ut unuſquiſque uas honeſtum eſſe poſsit? quę ſententia etiam aduerſus iſtos prędeſtinatores facit, qui nolunt partem generis noſtri poſſe ſeruari, hoc eſt, ex uaſis ignominiæ fieri uaſa in honorem. ecce enim hic apertiſsimè dicitur, ſiquis expurgauerit ſeipſum ab iis, erit uas in honorem, ſanctificatum, quod nimirum ante purgationem erat uas in ignominiam. nam fructus atque opera ſunt, quę diſtinctionem faciunt, non naturæ. quare concludens hanc ſententiam Dominus ait. *igitur ex fructibus eorum agnoſcetis eos*. & mox ad ſermonis ſui clauſulam ueniens addit. *non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis eſt*. quibus uerbis ſignificare uult, ſalutem Chriſtiani hominis in factis, non in uerbis eſſe collocatam, neque debere quenquam ſibi perſuadere, ſe ſola credulitate ſeruandum, niſi rectè facta accedant. nam appellare Chriſtum Dominum, indicium quidem eſt eius, qui in illum credat, uerum ſi facta non accedant, nihilo Dæ-
Iac. 2. monibus melior eſt, qui non ſolum credunt, uerum etiam contremiſcunt. quę etiam ſententia acerrimè taxat eos, aduerſus quos ſuperioribus orationibus ſumus locuti, qui tam uehementer auerſantur rectè facta, & credunt, ſolam fidem ſatis eſſe ad ſalutem, neque intelligunt, fidem quæ operibus uacua ſit, eſſe mortuam.
ibidem. quemadmodum beatus Iacobus ait. ſicut corpus abſque ſpiritu mortuum eſt, ita & fides abſque factis eſt mortua. & paulò ſuperius cum dixiſſet, quę utilitas fratris mei, ſi fidem dicat aliquis ſe habere, facta autem non habeat? num poteſt fides ſaluum face-

re illum? uolens hoc, exemplo aliquo apertius facere, adiecit. quòd ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & egentes quotidiano uictu, dicat autem aliquis veſtrum illis, abite cum pace, caleſcite & ſaturamini, non tamen dederitis illis, quæ ſunt neceſſaria corpori; quę erit utilitas? ſic & fides, ſi facta non habuerit, mortua eſt per ſe. quę facta quàm ſint neceſſaria, etiam ex ſequentibus Domini uerbis magis declaratur, cum ait. ***multi dicent mihi in illo die, Domine, Domine nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum Dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præſtitimus, & tunc confitebor illis, nunquam noui uos. diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.*** Terrifica profectò uerba, & quæ unumquenque in officio continere idonea eſſe pollent. cernere in ſeueriſsimo illo iudicii die, homines in æternum Geennæ ignem relegari, qui ea tamen ſigna pręſtitiſſent, quę Dominus eſſe indicia fidelium uoluit, atque credentium. ſigna (inquit) eos, qui credide *Mar. 16.*
rint, hęc ſequentur. in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt, & tamen multos dicit futuros, qui talia præſtiterint, & nihilò minus, quàm alij peccatores in ignem relegabuntur, & audituri ſunt, ***nunquam noui uos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem.*** & hoc illis fiet propterea, quòd uoluntatem cœleſtis patris non fecerunt, ut ſanctis Euangelii præceptis obtemperarent. quid ijs fiet, in quibus neque opera neque ullum fidei ſignum reperietur? audiant huius ætatis rerum nouatores, quis eorum, qui ſe donum fidei accepiſſe à Deo gloriantur, eiuſmodi unquam ſigna exhibuit? quæ ſi etiam exhibuiſſent, audiat hoc ueritatem ipſam ijs, qui rectè factis fuerint deſtituti, dicentem, ***nunquam noui uos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem.*** opus eſt ergo factis, quę charitatem erga Deum & proximum quenque declarent. quę quàm ſit neceſſaria, audi admirandam Pauli ſententiam. cum enim de ſpiritualibus donis tractauiſſet, quę per ſpiritum ſanctum unicuique ad eccleſię ędificationem diſtribuerentur, adiecit. & adhuc excellentiorem vobis viam oſtendo quęnam hęc eſt? ſi linguis (inquit) hominum loquar *1. Cor.*
& angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut ęs *13.*
reſonans, aut cymbalum tinniens. &, ſi habeam prophetiam, & nouerim myſteria omnia, omném que ſcientiam, &, ſi habeam

omnem

omnem fidem ita, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. &, ſi inſumam in alimoniam omnes facultates meas, &, ſi tradam corpus meum, vt comburar, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. quantus enim eſſe cenſendus eſt, qui tam multa, quæ hic enumerantur, ſancti ſpiritus dona ſit aſſecutus, quorum vnum duntaxat ſatis eſſe poſſet, ad quempiam maximum declarandum? quis enim non illum diuinum uirum ac bitraretur, qui omnium hominum linguas calleret? quòd ſi & angelorum linguę adderentur, multò magis. ſi rurſus quis ſine linguarum dono prophetiam eſſet aſſecutus, noſſet que myſteria omnia, & omnem ſcientiam haberet, proculdubio ſupra humanam euectus naturam eſſe uideretur. cum uerò tam multa ſimul comprehendantur, quorum ſingula per ſe maxima ſunt, quę ſiquis ſine charitate habeat, nihil omnino ſit profectò charitas, aut ſola res digna pretio eſt, aut ſiquid aliud eſt ęſtimandum, ex charitatis acceſſu pretium habet. at charitas in factis agnoſcitur ſolis. ſi diligi-
Ioan. 14. tis me (inquit) pręcepta mea ſeruate. &, ſi pręcepta mea ſeruaueri-
Ioa. 15. tis, manebitis in dilectione mea. rectè facta enim uera ſunt Chriſtiani hominis indicia, & quæ certiora ſint, quàm ſigna atq; prodigia. quare non ineptè uir quidam pius dixit. reuera maius miraculum eſt de propria carne fomitem luxurię eradicare, quam expellere immundos ſpiritus de corporibus alienis, & magnificentius ſignum eſt, uirtute patientię truculentos motus iracundię cohibere, quàm aërijs principatibus imperare, plúſque eſt excluſiſſe edaciſsimos de corpore proprio triſtitiæ morbos, quàm ualetudines alterius febrés que corporeas expuliſſe. poſtremo multis modis pręclarior virtus, ſublimiorq; profectus eſt, animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni. quantò enim hæc ſublimior carne eſt, tantò præſtantior eius eſt ſalus, quantò que pręcioſioris excellentioríſque eſt ſubſtantię, tantò grauioris ac pernicioſioris eſt & ruinę. hæc ille. curandum ergo eſt, ut hæc habeamus, quibus à Chriſto in illo di ſimus agnoſcendi. nam ſigna, & prophetiæ etiam donum non ſolum ſanctis uiris, uerum etiam impiis permittuntur, Deo ita ſua incompre-
Ioa. 11. henſa ſapientia prouidente. ut cum dixit Caiphas. expedit, ut unus moriatur pro populo, ne tota gens pereat: prophetauit (ait Euangeliſta) cum eſſet pontifex anni illius. ecce non ſanctitati hominis, ſed dignitati perſonæ prophetiam tunc datam. ob hanc cauſam admonentur

nentur in Deuteronomio Iſraëlitę in hæc uerba. ſi ſurrexerit in me Deu. 13.
dio tui propheta, aut qui ſomnium uidiſſe ſe dicat, & prędixerit ſignum atq; portentum, & euenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi, eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis, non audies uocem prophetę illius aut ſomniatoris, quia tentat uos Dominus Deus ueſter, ut palam fiat, utrum diligatis Deum an non in toto corde & in tota anima ueſtra, hoc eſt, permittit hæc, ut appareat, quàm firmo animo illi adhęreatis. Verum, quo pacto, & qua ſimilitudine agnoſci poſsint ij, qui eius faciunt uoluntatem, hoc ultimis huius diu io ſermonis uerbis docet. *Omnis enim* (inquiens) *qui audit ex me ſermones hos, & facit eos, aſſimilabo illum uiro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, & deſcendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſuper petram. & omnis qui audit à me ſermones hos, & non facit eos, aſſimilatur uiro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, et deſcendit imber, & uenerunt flumina, et flauerunt uenti, & impegerunt in domum illam, & deiecta eſt, & fuit ruina illius magna*. Pollicitus (inquit) ſum, me non agniturum eos, qui pręceptis Euangelicis non obedierint quamuis per meum nomen multa ſigna fecerint. nam ij non uiriliter pugnarunt, neque ingruentibus aduerſis obſtiterunt. quod obſeruandum eſt iis, qui tanquam uictores cupiunt coronari, non enim coronatur, niſi qui 2. Ti. 2.
legitimè certauerit, at legitimum certamen eſt, perſtare & durare, & ingruentes impetus perferre, in morem eius domus, quæ cum eſſet fundata ſuper firmam petram, impetum imbrium, fluminum & uentorum ſuſtinuit. Hęc autem poſtrema uerba multum nobis ciues mei cordi eſſe debent, uidendúm que accuratè, utrum domus noſtra ſuper petram fundata ſit, an ſuper arenam. petra Chriſtus eſt, qui & factorum & cogitationum omnium noſtrarum fundamentum eſſe debet, de quo fundamento ait Paulus, fundamentum 1. Co. 3.
aliud nemo poteſt ponere, præter illud, quod poſitũ eſt à me, quod eſt Chriſtus Ieſus. in hunc unum intendenda eſt mentis acies, ſiue proſperæ res cedant, ſiue aduerſę ingruant. ſed nihil eſt, quod tam euidenter oſtendat nos ipſos nobis, quàm aduerſa. tunc enim agnoſcitur, quo domus noſtra nitatur fundamento. *imbres flumina uenti* arguunt huius domûs ędificium, ſolidúm ne an fragile ſit, cum ergo cernimus, nos qualibet etiam leui tentatione perturbari, & lo-

cum

cum noſtrum deſerere, tunc arguimus nos fundamentum noſtrum arenam poſuiſſe, rem nimirum omni ſoliditate deſtitutam, & hoc ſanè quotidie experimur. ſed res multò miſerabilior nobis accidit, quàm in manufactis domibus, nam illę non corruunt, niſi uehementi aliqua re aduerſa, ut ſunt *imbres, flumina uenti*, & nos etiam proſpera deiiciunt, & grauius plerunque quàm aduerſa ipſa, nam etſi inueniantur, qui tentationum moleſtijs atque hominum perſecutionibus frangantur, cernas tamen plurimos, qui ad ſe redeant, & flagellis correcti, veluti filij à parentibus caſtigati, reſipiſcant. at proſpera ipſa nos noſtra ſtultitia efficimus, vt aduerſa nobis fiant, & quæ inſtrumenta eſſe debuerant, ad firmandum interioris hominis ædificium, ijs ad illud euertendum vtimur, & feris ipſis ac ratione carentibus animantibus ſumus deteriores. illa enim beneficentia miteſcunt, nos verò beneficijs euadimus magis efferi, quod contra faciendum fuerat, cum enim videmus Deum onerare (vt prophetæ verbis vtar) nos ſuis donis, opibus, honoribus, robore ac ſpecie corporis, deberemus iis vti muneribus in eius gloriam, qui ſit ea largitus. verum omnia in eius potius conuertimus ignominiam. qui diues eſt, mille excogitat vias, quibus ita opes inſumat, vt nihil ad Chriſtum, à quo illas accepit, queat peruenire. nam pro facultatum ſumma arbitrantur homines oportere veſtium pretium, & exquiſitos cibos, & equorum apparatum, & ſeruorum numerum adhibere, idque nulla ratione, ſed erroris duntaxat opinione ſibi perſuadentes. ſic qui honoribus ac dignitatibus à Deo fuerunt honeſtati, iis abutuntur, proximum quenque contemnendo, atque interdum opprimendo, quamuis hæc adiuuandos homines, atque vt in eis honorificetur Deus, ſint data. alius cæteris ingenio antecellit, mox illud ad circumueniendum proximum quenque conuertit, ille robore ac forma corporis pręſtat, continuò in omnem laſciuiam ætatem inſumit. & hæc omnia ad firmandam ſtabiliendámque domum, apta potius fuerant, nos verò ad illam euertendam iſtis abutimur, atque ad noſtram duntaxat perniciem ſumus ingenioſi, & efficimus noſtris peruerſis moribus, vt ipſa bona nobis in malum conuertantur ob eam duntaxat cauſam, quòd in arena fundamenta noſtra collocauimus, neque ea, quæ à Chriſto audiuimus pręſtare curamus, ſed appetitionibus tantum noſtris, inſtabili videlicet arenę inhęremus. Nunc rurſus videamus, quàm clari ſint

ri ſint & magni, quorum domus fundata eſt ſuper petram. contem
plemur præſtantiſſimos illos viros, qui ob virtutis excellentiam ſpe-
ctaculum facti erant non ſolum hominibus, verum etiam angelis 1. Co. 4.
ipſis, qui in fragili corpore poſiti, corporeum omne pondus animi
virtute ſuperabant, qui non ſolum direptionem ſuarum facultatum
alacri animo perferebant, verum etiam exquiſitis examinati tormen
tis agebant gratias, & gloriabantur etiam. gloriamur (ait Paulus) Rom. 5.
ſuper afflictionibus. & alibi. placeo mihi in infirmitatibus, in con- 2. Cor.
tumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chri 12.
ſto. & beatus Iacobus. omne gaudium exiſtimate fratres, cum in Iac. 1.
tentationes varias incideritis. quàm ſolido nitebantur fundamen-
to, qui in quotidianis mortibus ſecuri verſabantur? qui in labori-
bus copioſius, in verberibus ſupra modum, in carceribus abundan
tius, in mortibus frequenter vitam agere gloriabantur? de quibus
etiam ad Hebræos ſcriptum eſt. qui ludibriis & flagris explorati fue Heb. 11.
runt, inſuper & uinculis & carcere, lapidati ſunt, diſſecti ſunt, tenta-
ti ſunt, occiſione gladii occubuerunt, oberrauerunt in ouillis, & ca-
prinis pellibus, deſtituti, preſſi, afflicti, quibus indignus erat mun-
dus, in deſertis errantes & montibus, ac ſpeluncis & cauernis ter-
ræ. Et hæc quidem perferunt in aduerſis ii, qui fundamentum ſu-
per petram collocauerunt. vbi vero remiſſionis tempus eſt, nihil
remiſsè agunt, ſed, ſi diuitiis abundant, non vulgi iudicium ſequun-
tur, ſed ad Euangelicam regulam eas diſtribuunt, ſe que tanquam
Dei diſpenſatores gerunt. in eundem modum honoribus, ingenio,
omnibus denique & corporis & animi bonis vtuntur, vt in omni-
bus honorificetur Deus, quemadmodum Petrus admonet. Videte 1. Pet. 4.
verò quanta ſit felicitas hominis, qui hoc poſuerit fundamentum,
vt videatur quædam cœleſtis vitæ repreſentatio, vbi quis in quauis
rerum fortuna ſemper idem eſt, ſemper ſibi conſtat, atque in mediis
moleſtiis etiam gaudet. ibant (inquit) apoſtoli gaudentes à con- Act. 5.
ſpectu concilii, quòd digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contume-
liam pati. contra verò, quanta eſt eorum infelicitas, quibus in nullo
rerum ſtatu bene eſt. ſi enim premantur moleſtiis, continuò fran-
guntur. ſi res proſperæ ſint, diſſoluuntur, & illæ intemperantes ap-
petitiones, tanquam beſtiæ omnem animi tranquillitatem ita diue-
xant, vt ab iis obſeſſus nunquam ſui compos eſſe poſſit, & meritò
dicatur, eiuſmodi hominis domum fundatam eſſe ſuper arenam.

etenim

etenim humana hęc omnia arena ſunt inſtabiliora, quæ nunquam
Iob. 14. eodem in ſtatu permanent, quibus qui innitatur, ruat neceſſe eſt, de qua ruina, vt eam metuamus, adiecit Dominus. *& fuit ruina illius magna*. quæ enim excogitari ruina maior poſſit, quàm ſempiternus interitus, & in illum inextinctum ignem relegatio? Et hic quidem finis eſt Diuini huius ſermonis à Seruatore Chriſto in monte habiti, quem diximus omnem Chriſtianæ philoſophiæ ſummam complecti, & ob hanc cauſam iudicauimus nõ fuiſſe ſuperuacuum, diutius in eo immorari. opto autem vt eundem ſermonem, & quę in eum dicta ſunt, ſæpius animo verſetis, & tanquam munda animalia, veluti ruminando repetatis. nam ipſa repetitione fiet, vt eius maieſtatem magis ac magis ſemper agnoſcatis, atque admiremini, quod & tunc vſu euenit turbis, quæ eum loquentem audierant. ſic enim ſequitur Euangeliſta. *& factum eſt, ut, cum finiſſet Ieſus ſermones hos. obſtupuerint turbæ ſuper doctrina illius*. & cauſam ſubdit. *docebat enim (inquit) eos, uelut auctoritatem habens, & non ſicut ſcribæ*. re enim vera ſola hęc eſt lex, quę hominum animos conuertere ad ſe meritò poſſit, vt quę ab ipſo eorum auctore Deo profecta ſit, atq; iccirco efficax ad eos permouendos, in quam die ac nocte incumbendum eſt, vt promiſſa illam ſeruantibus pręmia conſequamur, iuuante Domino noſtro Ieſu Chri ſo, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in omnia ecula ſeculorum, Amen.

Errata ſic corrigenda.

Fo. 5. b. u. 31. irritum. irritam. 12. a. u. 2. addatur in margine. Gen. 18. 13. b. u. 30. addatur in margine. 2. Cor. 8. 16. b. u. 7. locis. iocis. 18. a. u. 36. a. 9. Eſa. 9. 20. b. u. 4. Eppihaniæ. Epiphaniæ. 39. a. u. 36. addatur in margine. Dan. 4. 69. a. u. 22. miſeror. miſercor. 76. b. u. 20. inuitatur. innitatur. 88. b. u. 32. exignis. exiguis. 124. b. u. 34. nonm. non. 125. b. uſque ad folium 132. b. textus Euangelicus, eodem charactere imprimendus erat, quo in cæteris orationibus quæ præcedunt, & quæ ſequuntur impreſſus eſt. 255. b. u. 11. ergo. erga. 255. b. u. 27. addatur in margine. col. 2. 255. b. u. 30. addatur in margine. Pro. 3.

VENETIIS, Apud Dominicum Nicolinum.
M. D. LXVI.